UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Practica Theologiae Mysticae

Gelen, Victor

Coloniae Agrippinae, 1652

urn:nbn:de:hbz:466:1-9766

Visual Library

Th. 2659.

J. X.
9.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



SVMMA PRACTICA THEOLOGIÆ MYSTICA

DIGESTA IN DVAS PARTES

Editio Secunda

Authore

R. P. F. VICTORE GELEN

Treuirensi F. F. Min: Ordinis S. Francisci Capucinorū Prouinciæ Rhenanæ Ministro


PROVINCIALI

Cum gratia et priuilegio

Coloniæ Agrippinæ Apud Iodocum Kalcouium M. D C. LII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

4.914



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SVMMA PRACTICA THEOLOGIÆ MYSTICÆ,

IN OMNES AB INFIMIS VSQVE AD SVPREMOS DIVINI ANIMI STATVS, OPERATIONES, ET DISPOSITIONES MAGIS NOTABILES, ORDINE CONSECUTIVO DIGESTA,

IN

DVAS PARTES.

Editio Secunda

AVTHORE

R. P. VICTORE GELEN TREVIRENSI FF.

Min. Ordinis S. Francisci Capuccinorum Provinciæ Rhenanæ

MINISTRO PROVINCIALI.

Ex legato Celmi Principis Ferdin: Epi Paderb: et Monaster: Anno 1683.

Collegij Societ: Jesu Paderb:

COLONIÆ AGRIPPINÆ


Apud IODOCVM KALCOVEN Bibliopolam,

M. DC. LII.

Cum Gratia & Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



EMINENTIS. et ILL.mo PRÍNCIPI AC DOMINO
D. CAROLO CASPARO,
DEI GRATIA ARCHIEPISCOPO TREVIRENSI,
S. R. IMPERII PER GALLIAM ET REGNVM ARE-
LATENSE ARCHICANCELLARIO, PRINCIPI
ELECTORI, ET ADMINISTRATORI PRVMIENSI
PERPETVO. etc.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

QVod admirabilem Hierarchiæ Cœlestis ordinem, Hierarchia Ecclesiastica pro viribus ac conditionibus hujus vitæ quam studiosissimè imitetur, vel olim ex sapientia divina (quę omnia disponit suaviter) & à sanctis Doctoribus (tanquam per lumina quædã cœlestia in Ecclesia militante splẽdentia) hucusque incessanter didicimus. Cœlestis porrò Hierarchiæ ea dispositio invenitur, ut supremũ Numen divinis laudibus ordinato consensu beatissimi illi spiritus, à supremis ordinibus per medios, usque ad infimos collaudent atq; superiores medios, medii autem infimos choros ad Dei ordinatissimam voluntatem, illuminent. Iã verò & ejusmodi ordinem in Ecclesiastica Hierarchia observari: S. Paulus ostendit dicens: Ipse (a) (videlicet Christus Dominus) dedit quosdam quidam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationẽ sanctorũ in opus

(a) *Ephes.* 4.

 mini-

ministerii in ædificationē corporis Christi: quo ita Ecclesiæ totū corpus (a) per nexus & conjunctiones submini-stratum, & constructum crescat in augmentum Dei: per infatigabilem illam sollicitudinem animarum, quam divini pastores subditis suis impendere consueverunt, admirabili spiritus Sancti virtute cœlitus induti; cujus etiā operationes cum S. Paulus ad longum enarrasset; tandem subjungit: quę directè ad nostrū faciunt propositum, dicens: (b) præter ea quæ extrinsecus sunt instantia quotidiana, solicitudo omniū Ecclesiarum: quis infirmatur & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?

Quemadmodum igitur Ecclesiastica Hierarchia ad cœlestis Hierarchiæ imitationem per supremos medios, per medios infimos ordines piè sanctęque disponit, atque gubernat; ita quoque inter supremos ordines Archi-Episcopos jure merito comprehendendos statuit: intra quorum numerum cū Eminentia Vestra tam divina quā humana providentia annumerata sit, non minus gratui-

(a) Coloss. 2. (b) 2. Cor. 11.

gratuitis quam naturalibus adornata donis; noſtri profecto muneris fuit, hæc omnia, ea qua par eſt & reverentia, & cordis affectu humili Veneratione proſequi. Præcipuè verò cum jam ab initio Coadjutoralis Electionis Eminentiæ Veſtræ animum in afflictorum ſubditorum levamen, & ſolatium pleno cordis affectu inclinari didiciſſemus, per ſollicitam (in tam gravi dignitatis officio) adminiſtrationē juſtitiæ: quæ virtus quantam apud Deum remunerationem expectare habeat, nemo utilius Daniele Propheta expoſuit; qui in ſpiritu tam præclaræ virtutis merita prævidens ita loquitur. (a) Qui ad juſtitiam erudiunt multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates: in quibus verbis non tantummodo vitam æternam, ſed etiam præſtantem quandam gloriam ſuperaddendo promittit. Nec immerito certè, quo enim in genere vel ſcientiæ, vel artis, aut laboris, tantæ occurrant inſidiæ, fraudes, moleſtiæ ac tædia, quam in ſyncera juſtitiæ adminiſtratione? Quapropter ad tam pręclarum

(a *Dan*, 12.

opus Ecclesiasticus divino spiritu commotus; Militantis Ecclesiæ Magnates adhortatur dicēs: (a) pro justitia agonizare pro anima tua, & usq; ad mortem certa pro justitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.

Gliscit nunc animus hanc rem breviter quidē efficaciter tamen memorabili quodam Exēplo demonstrare: Itaque inter Anachoretas illos, qui olim admirabili austeritate Domino vivebant; cum primis celebris fuit magnus (b) ille Paphnutius, qui posteaquam continuis jejuniis, vigiliis, corporis mentisque afflictionibus, atq; orationibus præ omnibus nomen sanctitatis consecutus fuisset, pio desiderio incitatus ab Angelo sancto tandem didicit, quis in hac vita ipsi similis esset in merito & gratia: ejus porro vota cum Deo placuissent ab Angelo tale responsum tulit, quod nimirum similis esset illi apud Deum qui Primarius (sive ut aliqui volunt Princeps) erat vici illius, cui proxime cohabitabat; Paphnutius itaq; digna admiratione commotus tanti meriti virum con-

(a) *Eccl.* 4. (b) *In vita ipsius.*

convenit, divinam revelationem accuratè exponit, atque obnixè deprecatur, ut sibi candidè aperiat, per quæ exercitia ad tantam perfectionem, Deiq; gratiam pertigerit; qui divinam voluntatẽ cũ agnovisset, Paphnutio inter alia hisce formalibus respondit. (a) Suscipere hospites nunquam cessavi, Pauperes nunquam despexi, sed quæ necessaria fuerunt præbui; si in judicio sedi, nec filii mei personam contra justitiam accepi; alieni laboris fructus nunquam introjerunt in domum meam; litem si vidi, nunquam præterii donec reconciliarem dissidentes ad pacẽ; quantum in me fuit nunquam permisi, ut potentior infirmũ premeret. Iam verò hisce maturè consideratis, manifestum est in corde hujus Principis actas fixisse radices quod Ecclesiasticus monet dicens: (b) In judicando esto pupillis misericors ut pater, & pro viro matri illorũ, & Eris tu velut filius Altissimi obediens; & miserebitur tui magis quam mater: quo ita discamus non solum vitæ austeritatem, verùm etiam Iustitię administrationem sanctos

(a) *In vita S. Paphnu.* (b) *Eccli.* 4.

viros efficere. Quod certè in multis Episcopis & Archi Episcopis Trevirensibus Antecessoribus Eminentiæ vestræ conspicuũ est, qui divina sapientia perfusi, aurum & argentum quasi nihil reputabant, eoque mirabilia in Ecclesia militante operabantur juxta illud Ecclesiastici. (a) Beatus vir qui post aurum non abiit, nec speravit in pecuniæ thesauris, quis est hic & laudabimus eum fecit enim mirabilia in vita sua. nam sicut munera Iudicem excœcant; ita quoque animus à divitiarum cupiditate absolutus, quæ justa sunt aquilinis oculis intuetur & fovet.

Cum itaque Eminentia Vestra in Archi Episcopali dignitate (quæ onus est etiam ipsis (b) Angelicis humeris formidandum) per sollicitudinẽ omnium Ecclesiarum incredibiles pro domo Dei labores subire habeat, (c) & vel ideo etiam terrena inhabitatio deprimat sensum multa cogitantem, pro spirituali alleviatione jucundum & utile existimavi, si hunc librum quem de rebus cælestibus undique tractantem composui, Eminentiæ

(a) *Eccl.* 31. (b) *ut Concil. Trident.* (c) *Sap.* 9.

nentiæ Veſtræ dedicarem. Præſertim quod Eminentia Veſtra (tam humanis quam ſacris litteris probè inſtructa) per ejus lectionem ad divinas præguſtationes Dulciter poſſit elevari, ac guſtare (a) quam ſuavis ſit Dominus, etiam in hac vita piè illum quærentibus; Id quod non tantũ apud Religioſos viros ſed etiam apud Magnates, & pro Dei Eccleſia militantes evenire conſpicuum eſt, ex Bellicoſiſſimo & pientiſſimo Rege Davide, qui inter alia de familiari Dei fruitione ſic ait. (b) Dominus mihi locutus eſt, ſicut lux auroræ, quæ mane rutilat abſque nubibus. Vt ſciamus (juxta ſacrorum Doctorum Interpretationem) non infimam aut mediam, ſed ſupremam fuiſſe hanc cum Deo conjunctionem. neque hoc mirũ videri debet, imo quam maximè decens; hinc etiam non ex infimo, aut medio, ſed ex ſupremo Angelorum (c) choro Gabriel ſtetit juxta Regem Perſarum; non ſolum quo illum ab inſidiis hujus vitæ tutaret, vel utilibus regni conſiliis imbueret, ſed etiam ut cęleſtibus gaudiis divinum amo-

rem

(a) Pſal. 33. b) 2. Reg. 23. (c) Dan. 10.

rem incenderet; Quæ cum facta sint apud Gentilium Reges, quantò magis certum est, hæc apud sacros Antistites Ecclesiæ Christianæ fieri : Ne autem longior sim, rogo Eminentiam Vestram, ut hunc laborem & dedicationem clementer suscipiat foveatque Nos interea Deum ter optimum maximum pro fœlici regimine, diutina incolumitate, & æterna Beatitudine Eminentiæ Vestræ constanter exorabimus. Datum Treviris 23. Iulii Anno 1652.

Eminentiæ Vestræ

Humillimus

Frater Victor Trevirensis
Capuccinus Indignus.

APPORBATIO.

EGo Infrascriptus Ordinis FF. Minorum S. Francisci Capucinorum Prouinciæ Rhenanæ Diffinitor, Custos & Conuentus Colonienſis pro tempore Guardianus immeritus, ex ordinatione Adm. Reu. P. P. Innocentij de Calatagerone eiusdem Ordinis Miniſtri Generalis, quanta potui diligentia, attentione animi, & intenione perlegi hanc ſummam Myſticam ſua praxi & Theoria conſtantem, & in ſe omnes principaliores ſtatus myſticos ab infimo vſque ad ſupremum conſecutiuo ordine optimè diſpoſitos, & non minus piè quam doctè explicatos, continentem, à R. P. Victore Treuirenſi præfati Ord. Prouinciæ Rhenanæ Miniſtro Prouinciale compoſitam. Et non ſolum nihil in ea fidei Catholicæ & Apoſt. Rom. boniſuè moribus contrarium reperi, verum etiam pijs ac Religioſis mentibus in verâ ſinceritate ordinatéque vitam myſticam affectantibus ſerioque ſectantibus, nec non in ea magis ac magis proficere volentibus, mediante frequenti, pia, ac attenta eiuſdem Summæ Myſticæ lectione ad ordinatam eleuationem animi & ſpiritus in DEVM eiusque conſortium, ex ea ſpeciale lumen internum & auxilium ſpirituale vel maximè oportunum obuenire & accreſcere poſſe firmiter mihi perſuaſum habeo. Dat. Coloniæ Agrippinæ 2. Iunij An. 1645.

F. Lucas Maringius
alias Prouincialis indignus.

APPROBATIO.

EX Commiſſione A R.P Generalis noſtri, Ordinis Min. S. Franciſci Capucinorum, P. Innocentij de Calatagerone, vidi, legi, & relegi librum intitulatum: Summa Practica Theologiæ myſticæ, Authore R. P. Victore Treuirenſi eiuſdem Ordinis noſtri Prouinciæ Rhenanæ Prouinciali; nihilq; in eo niſi optimis moribus orthodoxæq; fidei conſonantiſſimum reperire potui: Quin imò ab omnibus hucusq; deſideratiſſimum in ſpirituali vita ſiue practica Theologia myſtica conſecutiuum de ſtatu in ſtatum, ordinem tam clarè, deuotè & eruditè tradentem video, vt ſicut Angelici Doctoris S. Thomæ nouiſſimum Scholaſtico Theologicum volumen, ex Angelica prorſus tum doctrina, tum ordine, ab omnibus Antonomaſticè pro completa ſacræ Theologiæ Scholaſticæ ſumma ſuſcipitur; Sic cum reſpectu & proportionaliter, præſens hoc R.P. Victoris Myſto-practicum Theologicum Opus, iure meritiſſimo Summæ practicæ Theologiæ Myſticæ Titulum proprium ſibi vendicet; vtpote quæ ſacram & arcanam ſuè myſticam doctrinam à Sanctis & Summis viris ſparſim & copioſè hucuſque traditam, optimo & ad praxin accommodatiſſimo ordine, ad ſuos quæq; ſtatus & loca propria, breuiter & quaſi ſub compendio acuratè & tam perfectè diſtribuat, vt planè ſperandum ſit, deuotiſſimum hoc opus, maximo omnibus (deuotis præſertim, veramq; pietatem ſincero corde & oculo ſpectantibus) emolumento futurum. Dat Coloniæ Agrippinæ An. 1645. 26. Maij.

F. Bernardus Treuirenſis Indignus Capucin. Prouinciæ Rhenanæ Diffinitor, Custos, SS. Theologiæ Lector & alias Prouincialis.

):( ):(

Hanc

APPROBATIO.

HAnc Summam Practicam Theologiæ Mysticæ à R. P. Victore Treuirensi Ordinis nostri FF. Minorum Capucinorum nuncupatorum, per Prouinciam Rheni Ministro Prouinciali compositam, ex mandato A. R. Patris Innocentij de Calatagerone, eiusdem Ordinis Ministri Generalis, accuratè perlegi, nihilque in ea reperi, sacræ fidei ac morum doctrinæ contrarium: quin potius in illa obseruaui mysticarum institutionum, ante hac non visum, ad praxin vtilissimum ordinem consecutiuum: in descriptione secretiorum animæ operationum profundam subtilitatem, diuinæ scripturæ mystico sensu aptè illustratam, Sanctorum piorumque virorum doctrina & auctoritate stabilitam: Confidens proindè sanctum hunc laborem, mysticorum cupidis, qui eum non per fragmenta sed seriosè scrutando legerint, magnam in spiritu lucem, vtilitatem, & iucunditatem allaturum. Coloniæ Agrippinæ Anno 1645. 1. Iunij.

F. Bartholomæus VVernensis FF. Capucin. Diffinitor, Custos, ac Theologiæ Lector Indignus.

APPROBATIO.

SVmmæ Theologiæ Mysticæ Practicæ, in spirituali vita progredi desiderantibus, per quam opportunæ; authore R. P. Victore Treuirensi Ordinis FF. Minorum S. Francisci Capucinorum, Prouinciæ Rhenanæ Prouinciali, quam certi eiusdem Ordinis Theologi accuratè perlegerunt, nihilque Orthodoxæ fidei, bonisque moribus contrarium complecti attestantur; maximo omnium Religiosarum mentium emolumento, luce publica donari poterit. Scriptum Coloniæ Agrippinæ. Die 8. Iulij Anno 1645.

Henricus Francken Sierstorpffius SS. Theol. Doct. Gymnasij Laurentiani Regens, Librorum Censor ordinarius.

APPRO-

APPROBATIO.

EXcommissione A. R. Patris, F. Ioannis Philippi Fridt, S. Theologiæ in Vniuersitate Colonienſi Doctoris, Apoſtolici ad tractum Rheni partesq; annexas Inquiſitoris, & Conu. Colon. FF. Prędicatorum pro tempore Prioris, accuratè perlegi ſummam practicam Theologiæ myſticæ, ab Adm. R. Patre Victore Treuirenſe, FF. Minorum S. Franciſci Capuccinorum per Prouinciam Rhenanam Prouinciale, compoſitam; Et licet plurima, quæ ob arcanam ſui ſublimitatem pleriſque, in hâc affectiuâ Theologiâ non exercitatis, paradoxa videri ſolent, in eâ inuenerim; Exiſtimo tamen, non continere illam quidpiam tale, vt alij celebres alioquin viri, in ſuis de myſticâ vitâ Tractatibus, iam authoritate publicâ approbatis atque in lucem editis, vel illud ipſum, vel illi ſimile, non pronunciârint: ac proinde, ob ſingularem doctrinæ ordinem, ſimul ac luculenta ſacrorum Doctorum teſtimonia, ex quibus argumentosè collecta eſt, omnibus prædictæ vitæ ſtudioſis, tum ad intelligendam ſtudij ſui eminentiam, tum ad piorum conatuum ſuorum directionem, fore gratam pariter & opportunam. Actum Coloniæ in Conuentu S. Crucis FF. Prædicatorum die 12. Martij Anno 1646.

F. Ludouicus Bevvel Ordinis Prad. S. Theol. Lector & præſentatus m. p.

Placet vt imprimatur.
F. Ioannes Philippus Fridt Ordinis Prædicatorum SS. Theologiæ Magiſter Generalis Apoſtolicus Inquiſitor, &c. m. p.

APPROBATIO.

VIſa ac perpenſa Summa hac Practica Theologiæ myſticæ Authore R. P. Victore Treuirenſi Capucino Prouinciæ Rhenanæ Prouinciali, eam in nullo ab orthodoxa fide, & ſacra doctrina diſſonam reperi; iuxta autem ſpiritum, & ſcopum huius doctrinæ inſigni ac præſtanti ordine, & methodo digeſtam, ſapientiſſimè diſpoſitam, tutam, pariterq; ſalutarem, dignamq; proindè, ac opportuniſſimam, quæ in commodum non modo cœleſtioris vitæ huius ſpecialiorum ſectatorum; verum etiam ac maximè. quo ad primam eius partem, animarum Paſtorum, Confeſſariorum, aliorumq; Directorum in lucem detur. Datum Tornaci 15. Octob. Anno 1645.

Matthias Naueus S. Theol. Doctor, Canonicus Tornacenſis, Librorum Cenſor.

PRIMA PARS
THEOLOGIÆ
MYSTICÆ.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AD MYSTICOS PROLOQVIVM.

FAciendi plures Libros nullus est finis, sapienter inquit [a] Ecclesiastes. Si enim [possumus alios [b] purgare, illuminare & perficere, dispositiue: quia sumus coadiutores Dei, qui solus hoc facit effectiue,] eorum autem qui purgandi, illuminandi, & perficiendi sunt, alij atq; alij indies exoriantur; quomodo in exercitatione mystica, vtpotè occulta, & à communi hominum (etiam piorum) viuendi consuetudine, remota; institutionis & scriptionis, poterit esse finis? idq; vel ex eo maximè capite, quod mystica viuendi ratio, difficulter intelligatur, difficilius explicetur, difficillimè autem in praxin redigatur. Vndè oportet, vt ad facilem intelligentiam, dilucidam explicationem, & ad praxis promptam expeditionem, à compluribus varia, eaq; diuersis modis, & institutis dicantur; quo ita commodius auxilium consequantur, qui in diuinis coniunctionibus multifariè, & instrui debent & exerceri.

Atque huius rei gratia, & nos cogitauimus Dei auxilio (ad euitandos superfluos discursus, & confusam doctrinam, quæque speculationi magis, quam praxi deseruiat, aut ne prodeat opus mancum, quodue de vno, aut altero tantum, & non de omnibus, & singulis statibus huius vitæ pertractet) breuiter, & dilucidè omnia, & singula in Theologia mystica vsitata, ad proprios sta-

a c.12. b S. Bonau. 7. Itin. æter. d. 4.

tus practicos ordinatè disponere: ita vt Mysticorum nemo in incertum currat, aut pugnet, quasi aërem verberans; multis, aut anxietatibus inuolutus, aut dubijs vagus, & quasi profugus super terram; nesciens illum, qui & intus, & foris adstat, atque ingredientibus, & egredientibus pascua largitur.

[Si quis ergò horum quæ dicuntur [a] cupit adipisci notitiam, amet; amor enim hic vbique loquitur: alioqui frustra ad audiendum, legendumue carmen amoris, qui non amat accedit; cum omninò capere non possit ignitum eloquium, pectus frigidum.] iam verò si pectus frigidum, & à mundi illecebris nondum depuratum, non capit ea, quæ sunt spiritus Dei; quid quæso capiet pectus verbosa scientia inflatum, quodque magis imperitè cum Eliu fastuosa eloquentia terreat, quam solida, & ad praxin conformi instructione ædificet? Vndè & apud istiusmodi farinæ homines (cum quibus forsitan & sapientia [b] morietur, quibusue omnes homines tacebunt) si quid hodie ab alijs litteris demandetur: scriptionis inchoatio est inuidia, continuatio dolor, finis odium.

Nos autem ad pias animas, (quibus ex gratia, & vocatione Dei datum est infracto animo terrenis cupiditatibus neglectis, conuersationem suam in cœlo collocare) conatus nostros, & labores dirigimus: [istumque [c] Librum offero intuendum non Philosophis, non mundi sapientibus, non magnis Theologis infinitis quæstionibus implicatis; sed rudibus, & indoctis,

a *Harph. Theol. Mysticus lib. 1 part. 2. cap. 96. ex S. Bernardo.* b *Iob. 2.* c *S. Bonau. in prol. de incendio amoris.*

ctis, magis Deum diligere, quam multa scire conantibus: non enim disputando, sed agendo scietur ars amandi. Arbitror autem ea, quæ hic continentur, ab istis quæstionarijs, & in omni scientia summis, sed in amore Christi inferioribus, non posse intelligi; vndè nec eis scribere decreui; nisi postpositis, & oblitis cunctis, quæ ad mundum pertinent, solius conditoris inardescant desiderio mancipati.] & diligenti, ac sollicita cura, viam diuini amoris inquirant. [nisi enim *a* alicui curæ sit Dei sapientia, quæ ex diuinis libris hauritur, quomodo nobis curæ erit, illius in diuina scientia institutio.]

Et sanè si quis ex mysticis Scriptoribus, omnes, & singulos status, dispositiones, & operationes, practica methodo pertractare voluisset; [profecto nunquam *b* eo insaniæ, aut vanitatis prorupissemus, vt nos vel diligentius illo, vel diuinius (mystica) assecutos putaremus; vel ijsdem superuacaneo labore repetendis, frustra in eo poneremus orationem.] quia verò non [*c* omnia laudare possumus, nedum planè intelligere, alijsque tradere,] hinc quæcunque, Deo fauente, exponimus, sub collecta, & quod maximè spectandum est, ad praxin bene ordinata summa, præstamus. [rogo igitur, quod magis pensetur *d* intentio scribentis, quam opus, magis dictorum sensus, quam sermo incultus, magis veritas, quam sermonum venustas: magis exercitatio affectus, quam eruditio intellectus; quod vt fiat non est harum speculationum progressus perfunctoriè transcurrendus, sed

a S. Dion. de div. nom. cap. 2. b S. Dion. de div. cap. 3. c de Eccl. Hier. cap 3. S. Bonav. Sum. ment. in Prolog.

ſed moroſiſsimè ruminandus.] quum autem [beatam [a] vitam facilius ſit conſequi, quam enarrare;] [tractaturus materiam, qua nulla ſublimior [b] eſt, nulla diuinior; ſed nec vlla quæri difficilior, ſicut nulla poteſt ſalubrior inueniri: vtpotè in qua noſtræ felicitatis cardo figitur.] Precor Cœleſtem Regem, vt in Lumine eius, videamus Lumen, quo ad iuſtitiam, virtutem, diuinumque amorem erudiantur multi.

a S. Bonau. Solit. cap. 3. b Gerſon. in proloq. Theol. ſpecul.

DE SPECTANTIBVS AD IPSAM SVMMAM.

DECISIO PRIMA.

ATTINGIT (vtiq; Sapientia Diuina) à fine *a* vſque in finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Fortiter quidem, eo quod in nunc æternitatis, abſque vlla operationis debilitate, omnem Diuinitatis ſuæ beatitudinem perfectè conſequatur ad intra. Suauiter autem, eo quod intermina ſua bonitate aliud à ſe, quantumcunque illud etiam in ſupremo Angelorum præſtans ſit, creatum eſſe & coëxiſtere, poſſit ſuſtinere ad Extra; pro vt omnes de facto etiam ſuſtinet creaturas. Et earum quidem [bonitatis illius participes *b* quædam fiunt, quod ſint, quædam quod vegetentur, quædam vt vita viuant, ſentiantque; aliæ verò, vt intelligant, participesq; fiant Diuinitatis:] per eius ſcilicet fruitionem, & gaudium, cuiuſmodi homines ſunt in via, & beati in patria. nos ergò de hominibus in hac vita per myſtica exercitia, conuerſationem ſuam in cœlo collocare geſtientibus Deo fauente, ordinatè dicemus, per totam hanc ſummam. & principiò quidem hic dicitur.

I. Quod Ordo Summæ Myſticæ ſit practicus, non ſcholaſticus.
II. Quid ſit Theologia Myſtica?
III. Theologiam Myſticam ſecundùm hanc ſummam practicam, dividi in duas partes, ſeu modos, ſcilicet in modum operandi naturaliter, & in modum operandi ſupernaturaliter.
IV. De varijs quibuſdam conditionibus modi tam naturaliter, quàm ſupernaturaliter operandi.
V. A Theologia Myſtica arcendos eſſe malos, & incapaces.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quod Ordo Summæ Myſticæ ſit practicus, non ſcholaſticus.

PRincipiò itaque pro inſtituto noſtro, quod practicum, non ſcholaſticum eſt, myſtico Lectori ſciendum, nullas quæſtiones ſcholaſticas, aut myſticas à nobis diſquiri; niſi in quantum praxi deſeruiunt: vndè ea, quæ à myſticis Scriptoribus, ſparſim tradita ſunt, conſecutiuo ordine proſequimur, vt ab infimis per medios, vſque ad ſupremos diuini animi ſtatus, diſpoſitiones, & operationes magis notabiles; nihil tam non deſit, quam ex altero, tanquam ex præmiſſo, & inductione ſubſequatur; per paraphraſes quidem ſimpliciorum praxi, per deciſiones verò ſcholaſticis doctioribus, myſto-ſcholaſtico autem, vtroquè modo, dilucidiùs conſulentes.

a Sap. 8. *b* S. *Dionyſ. de diuin. nom. c. 4.*

Idque non tantum circa ſtatus, eorumq; infimas, medias, & ſupremas regiones; ſed etiam, & quam maximè circa inſtantaneas, pro hic, & nunc, operationes: quo ita [bonum *a* ordinis, in ſingulis conſiſtens] penitùs agnoſcatur. [ordinis enim ignorantia *b* perturbat formam meritorum, nec reputatur perfecta rei cognitio, in nobis exiſtere, cum ſcimus, quid ſit in nobis faciendum; & ignoramus, quo ordine ſit procedendum.] & hoc eo faciliùs fieri debuit, quo vtiliùs & iucundiùs, dilucida, breuisque doctrina, ſapientis animum ſolet afficere. atque hac vel maximè de cauſa, quamlibet deciſionem in articulos ſubdiuidimus, vt illa, quæ ſubſtantialem aliquam explicationem poſcunt, per ſeparatam diſtinctionem, ſic clariùs & breuiùs, vt ſimul etiam magis neruosè tractentur.

De induſtria autem poſitæ ſunt plures ſententiæ in illis locis, in quibus aut inter Scholaſticos, aut Myſticos, aliqua diſceptatio ſolet torqueri; vt illarum varietate, & ſplendorem veritatis, & oblectamentum pietatis liceat concipere. Et hoc ipſum quidem, per ſacræ Scripturæ, ſanctorum Patrum, in arcano Dei amore magis expertorum, nec non Theologorum authoritate præſtantium, (quo ad fieri potuit) ipſamet verba, atque ſententias. Et quamuis ſcholaſtico ſcientifico, ſeu accurato ordine ſpectato, ſinguli ſtatus primò theoricè, dein immediatè practicè, tractari deberent; quia tamen amoris impatientia hoc reijcere videtur, quod ilicò ſuum non ſonuerit, ideò praxin Theoriæ antepoſuimus, ne (quod maximè ſpectamus) ab eo quod practico ordini inſeruit, vel in minimo deficere videamur.

Hinc etiam ea quæ ad notitiam praxis faciunt, non per quæſtiones, ſed per deciſiones explicamus. Verè enim diuinorum amans, non tam longam diſputationem, quàm ſimplicem inſtructionem, & veritatis cognitionem inquirit, eique lubens, ac modeſtè acquieſcit: ipſas autem deciſiones ſecundùm ſubſtantiales materias, ita diſtribuimus, vt ad vniuerſalem notitiam, omnium modorum Deum amandi, nil deſit; & ideò, vel à ſtatu prælibaminum myſticorum, & à modo Deum amandi, qui in ipſis Dæmonibus, & peccatoribus reperitur, incipimus; & conformiter ad praxin, omnes ſtatus, diſpoſitiones & operationes magis notabiles, vſque ad claram viſionem Beatorum proſequimur: intermediè, ad propria loca ea inſerentes, quæ ſic in illo, vt non citiùs in alio loco intelligantur. Vnde, v. gr. ea quæ in deciſione *c* quinta habentur in genere, ad omnes ſtatus modorum operandi naturaliter, ſi ante ſtatum meditationis, & pro deciſione quarta, poſita fuiſſent, à meditante non fuiſſent intellecta. Ipſa enim orationis mentalis praxis, oculum ſpiritualem prius acuit, vt diſcat parietem cordis, ex originali peccato vitiatum, effodere; & occultas in ſe abominationes, intelligere; id quod etiam in alijs deciſionibus per totam ſummam, vtriusque partis fieri, pro practico ordine cognoſcendo, cum primis retinendum erit. Cum autem frequenter de myſticis functionibus mentio fiat, ſequenti articulo dicendum erit,

Quid

a S. Thom. l. 1. cont. Gent. c. 78. b S. Ambroſ. apud S. Bonau. in ſolil. c. 1. c hic infra.

Quid sit Theologia Mystica.

ARTICVLVS SECVNDVS.

SIcut nõ loquimur hoc loco de Theologia scholastica, quæ veritati reuelatæ nititur, sic nec de Theologia mystica, pro vt tanquam scientia, vel virtus Theologica siue habitus supernaturalis spectari potest; sed pro vt habet, & cõmunicat vsum, & exercitium, siue fruitionem eorum, quæ speculatiuè apprehenduntur, vel etiam propter sui excellentiam, nullo ingenio assequi possunt: siue, pro vt est [fructus *a* Spiritus sancti, & dicit actuale charitatis experimentum, vel sentimentum, siue charitatis fruitionem, quod idem est ac gaudium.] atque ita [ipsa mystica Theologia *b* non est propriè scientia, pro vt scientia est habitus acquisitus, aut etiam infusus informis; qui in speculatiuum, practicumque diuiditur: imò sapientia ista nunquam informis est, sicut nec charitas. Vnde & in mystica Theologia non dirigitur iugiter sermo mentis ad Deum; sed ipsa mentis in Deum defixio, admiratio Maiestatis, suspensio animi in Lumen immensum, ac æternale feruentissimum, ac quietissimum, & transformatiua, seu absorptiua inspectio Deitatis, est mystica illa Theologia, præsertim si accipiatur pro actu; si autem sumatur pro habitu, realiter idem est quod præstantissimum donum Spiritus sancti, quod sapientia nuncupatur; sumendo sapientiæ donum, non vt est donum gratiæ gratis datæ, de quo ait Apostolus: Alij per Spiritum datur sermo scientiæ; sed vt est donum gratiæ gratum facientis supernaturale, & infusum, charitati inseparabiliter innctum: de quo loquitur Isaias, requiescet super eum Spiritus sapientiæ & intellectus.]

Maioris insuper elucidationis gratia [Theologia mystica est *c* extensio animi in Deum per amoris desiderium.] Aliter sic: Theologia mystica est motio Anagogica, id est sursum ductiua in Deum per amorem feruidum & purum. Aliter sic: Theologia mystica est experimentalis cognitio habita de Deo per amoris vnitiui complexum. Aliter sic: Theologia mystica est sapientia, id est, sapida notitia habita de Deo: dum ei supremus apex affectiuæ potentiæ rationalis per amorem coniungitur, & vnitur. vel sic: Theologia mystica [est *d* irrationalis, & amens, & stulta sapientia, excedens laudantes.]

Nobis autem breuiter sit, Theologia mystica notitia contemplatiua, sapida Dei, ac diuinorum: notitia quidem, quia est proprius actus substantiæ intellectualis, in ordine vltimati boni inchoatus duntaxat; vt autem sit completus, & perfectus, additur sapida Dei, ac diuinorum. [ad beatitudinem enim non solum *e* requiritur visio, quæ perfecta est vltimi, & intelligibilis finis cognitio; sed etiam comprehensio, quæ finis præsentiam respicit; & fruitionem, quæ rei amantis in amato quietationem importat, & est gaudium, seu delectatio de aliquo bono; tanquam de vltimo fine.] [Amor itaque pro vt est *f* vehemens desiderium vitæ æternæ.] [Theologia mystica est, *g* & quędam occultissima sapientia; quam immediatè Deus solus homi-

a S. Thom. 1.2. q. 112. a. 5. ad 4. b Dionys. Carthus. in Theol. myst. S. Dion. q 3. a. 5. c.

c Gerson. Theol spec. con. 28. d S. Dion. de diuin. nomin. c. 7. e S. Thom. 1.2. quæst. 4 art 3. c. f S. Thom. supp em. q. 95. g Harph. l 3 p. 1. c. 6.

nem in spiritu edocet.] & est [charitas, secundùm quod est singularis quædam *a* amicitia hominis cum Deo.] hinc ergò mystica, seu occulta iure meritò dicitur, ac habens arcana, ad sacra pertinens, silentioque veneranda. Cum autem incipientes, & proficientes, aliter Theologiæ mysticę functiones exerceant, quam perfecti; consequenter dicendum est,

Theologiam mysticam secundùm hanc summam practicam, diuidi in duas partes, seu modos, scilicet in modum operandi naturaliter, & in modum operandi supernaturaliter.

ARTICVLVS TERTIVS.

DVplicem *b* esse Theologorum traditionem, alteram quidem occultam & mysticam: alteram planam, & notiorem: & illam quidem signis contineri, atque perficiendi vim habere: hanc sapientiæ studiosam esse, & demonstrandi habere vim: atque hanc quidem probare, & confirmare eorum quæ dicuntur, veritatem, illam autem efficere, & collocare in Deo obscuris, & quæ doceri non possunt modis, & instructionibus: non enim more hominum, & medio interiecto, sed purè & sanctè; ac more humano superiore, & efficaciter sua considerat;] non est illa, quam hoc loco intendimus, distinctio. Nostri enim instituti non est; de plana & notiore illa, quæ hodie scholastica dicitur tractare; sed contemplationis diuinæ, ordinatam prosecutionem, ab infimis vsque ad supremos huius vitæ status, tradere. Per se autem [Theologia mystica duplicem cibum *c* apponit, alterum firmum & stabilem, alterum liquidum, & profluentem; solidum quidem cibum significare arbitror, mentis participem, stabilemque, ac eodem in statu manentem perfectionem; qua diuinarum rerum participes fiunt sensus illi mentis, per stantem, potentem, singularem, indiuiduamque scientiam. Liquidum autem, fluxionem quæ vim habet diffusionis, & foras excurrere studet. Varijsque etiam, ac multis, & diuiduis, eos qui educuntur pro captu & modo suo, ad simplicem, stabilemque Dei scientiam, benignè deducit.] Et ex tali pariter cibo [duplex cordis munditia progignitur; Vna *d* quidem præambula, & dispositiua ad Dei visionem; quæ est depuratio affectuum, ab inordinatis affectionibus. & hæc munditia cordis fit per virtutes, & dona; quę pertinent ad vim appetitiuam. alia verò munditia cordis est, quæ est quasi completiua, respectu visionis diuinæ. & hæc quidem est munditia mentis depuratæ à phantasmatibus, & erroribus: vt scilicet ea, quæ de Deo proponuntur, non accipiantur per modum corporalium phantasmatum.] [diuinis enim viris sacrarum rerum radius, quod spiritali cognatione teneantur, sincerè ac per se, re nulla *e* interiecta collucet, mentisque eorum captum, planè odore perfundit.]

Et secundùm hæc, maioris perspicuitatis gratia, totiusque negotij mystici breuitate, summam hanc practicam in duas partes duntaxat, diuidimus; scilicet in modum operandi naturaliter, id est,

a S. Thom. 2. 2. q. 23. a. 1. c. *b S. Dion. epist. ad Tit.* *c S. Dion. epist. ad Tit. Pontif.*
d S. Thom. 2. 2. q. 8. a 7. c. *e S. Dion. de Eccl. hierarch. c. 4.*

est, cum phantasia, & discursu; & in modum operandi supernaturaliter, id est, cum pura & simplici intelligentia, absque vsu phantasiæ, & rationis discursu: idque habitualiter per dona intellectus, & maximè sapientiæ. Vel, vt solidiùs dicamus, [duplex *a* requiritur contemplationis genus, vnum secundùm humanum modum, quatenus, etsi fiat cum auxilio ordinario gratiæ, adaptatum tamen nostro connaturali operandi modo, vtiq; medio discursu præuio, nec non cooperatione phantasiæ: aliud verò supra humanũ modum, quatenus nimirum ex specialissimo auxilio gratię, correspondente dono intellectus, mens eleuatur ad hoc, vt sine prædictis imperfectionibus, pro hoc statu connaturalibus, veritatem quasi nudam cõtempletur.] & hoc [per gratiam *b* eleuantẽ in altiorem statum, quamuis status non mutetur viatoris.] Prior ergò modus incipientes, & proficientes complectitur, nam [connaturalis *c* modus est naturæ humanæ, vt Deum nõ nisi per speculum creaturarum, & per ænigmata similitudinem percipiat.] secundus verò modus, perfectos respicit, qui [qui spiritualia quasi nuda *d* veritate vident; supra humanum modũ per donũ intellectus.] maximè verò per donũ sapientię.

Per hanc verò duplicem distinctionem nolumus contraire ordinariæ triplici distinctioni; quæ circa incipientes, proficientes, & perfectos solet considerari. (incipientes enim, & proficientes, sub naturali modo operandi, perfectos autem solos sub supernaturali modo operandi complectimur) sed attendentes maiorem radicationem in charitate, per interna exercitia contemplationis, seu orationis mentalis, inuenimus mysticum quandoq; naturaliter, seu cum vsu phantasiæ, & rationis discursu, quandoque autem sine illorũ admixtione, pura intelligentia, & substantijs separatis cõformi modo, per dona intellectus, & sapientiæ operari. Iam verò [cum tres gradus charitatis distinguantur, non secundùm intensionem, & maiorem *e* radicationem in charitate; sed secundùm varia studia, & exercitia habentium charitatem incipientium, proficientium & perfectorum:] minus propriè, maiorem radicationem, & perfectionẽ in charitate respiciunt, ac practicos status secundum naturalem, & supernaturalem modum operandi, non satis distinguunt.

Cum autem de statibus naturaliter operandi incipientium, & proficientium, à quam plurimis copiosè scriptum sit; nos de illis tota prima parte breuiter, & summariè duntaxat tractamus, quo ita mysticus, magis ordinatè intelligat, quæ fusè apud alios legerit: at directè vim & operam nostram in statibus modi operandi supernaturaliter, ad facilem intelligentiam collocamus, cum illorum cõsecutiuus ordo in praxi, non clarè, sed obscurè admodũ, & vix laborioſè colligi possit ex tot mysticorum libris. Vndè etiam post accuratum, & consecutiuum ordinem mysticorum statuum, in illis contentas infimas, medias, & supremas

a *S. Thom. in 3. sent. d. 34. quæst. 1. a. 2. & disp. 35. q. 2. a. 2. & latè Nic. à Iesu Elucid. p. 2. c. 5.*
b *S. Thom. quæst. 10. de ment. a. 3.* c *S. Thom. 3. sent. d. 34. a 2. q. 1. & d. 35. q. 2 a. 2.* d *S. Thom. ibid.* e *S. Thom. 2. 2. quæst. 24 art. 9.*

regiones, magis notabiles, & scriptioni dignas practicè exponimus; pro innumerabilibus autem, & inexplicabilibus momentaneis operationibus (quo ita mysticus in exercitio actus, etiam minutissima quæque intelligere, purgare, illuminare, & perficere possit) fusè, & quoad fieri potuit, dilucidè *a* tractantes. quę omnia priusquam fiant, maioris perspicuitatis gratia, de ampliori differentia modi operandi naturaliter, & supernaturaliter hic consequenter dicemus,

De varijs quibusdam conditionibus modi tam naturaliter, quàm supernaturaliter operandi.

ARTICVLVS QVARTVS.

PRo vtriusque *b* autem modi varijs conditionibus, sciendum erit primò, quod sicut in his duobus modis: [voluntas fertur in finem & absentem, *c* cum ipsum desiderat & præsentem, cum in ipso requiescens, delectatur.] ita etiam vtriusque modi cum Deo vnio, sicut desiderium, & delectatio differat. naturalis enim modus, per proprias actiones incessanter contestatur, quia Deus sit, quem quęrit anima eius; supernaturalis autem modus, vt iam de obtento, & possesso gaudium excitat. [amor enim facit *d* vnionem, vel effectiuè mouens ad desiderandum, & amandũ presentiam amati, quasi sibi conuenientis; (pro incipientibus, & proficientibus) vel formaliter, vt amor amicitiæ, qui est talis vnio, vel nexus,] pro perfectis. [his quidem perfectam *e* fruitionẽ vltimi finis habiti, realiter; illis autem imperfectam, & vt plurimum in intentione, tantum tribuendo.] Secundò, quod [limitari ad humanum *f* modum, (scilicet operandi) non sit aliud, quam limitari ad discursum, & rationem; ita tamen, vt ratio per discursum perueniat ad cognoscendum illud, quod intellectus sine discursu cognoscit.] [Intellectus enim & ratio, differunt, quantum ad modum *g* cognoscendi; quia scil. intellectus cognoscit simplici intuitu; ratio verò discurrendo de vno ad aliud.] Tertiò, quod incipientes & proficientes, aliquando per accidens, ad modum operandi supernaturaliter pertingere valeant, ac etiam ad actus infusos *h* recipiendos, capaces sint. Quartò, quod [impediatur actus *i* cõtemplationis, (in quo essentialiter est vita contemplatiua) & per vehementiam passionum, per quã abstrahitur intentio animę, ab intelligibilibus ad sensibilia, & per tumultus exteriores:] quo ad vsque per virtutes morales impediatur vehementia passionũ, & sedetur exteriorum occupationum tumultus. Quintò, quod quamdiu vt plurimum, & ordinariè mysticus procedit secundùm rationis discursum, ad naturalem statum redigatur, vel incipientium, vel proficientium: quando verò ordinariè vt plurimum, sub vno intelligentiæ radio operatur, ad supernaturalem modum maioris radicationis in charitate referatur. Sextò, quòd hi duo modi, ita inter se differant, sicut vmbra, *a* &

a infra 2. p. para. 6 & 9. & 2. p. dec. 6. & 9. *b vt latius inf. 2. par. Dec. 1.* *c S. Th. 1. 2. q. 3. a. 4. c.* *d S. Thom. 1. 2. q. 28. a. 1. c.* *e S. Thom. 2 2. q. 24. a. 9 c. & q. 11. a. 4 c.* *f 1. 2. q. 68. a. 2.* *g S Thom. de Intell. & Intellig. opusc. 53.* *h & infra decis 10. a. 5.* *i S. Thom 2. 2. quæst. 180. a. 4. c.*

a & imago. quia incipientium, & proficientium modus, ex sua natura, phantasmatum vmbris, & distinctionibus subijcitur; perfectorum autem per dona intellectus, vel sapientiæ, quo ad fieri potest viuam, & claram imaginem vitæ æternæ, in se producit. hinc etiam ad pulchritudinem vniuersi contuendam, sufficientissimè diuina illa sapientia, creauit duo tantummodo luminaria, *b* luminare scilicet minus, vt præesset nocti; & luminare maius, vt præesset diei: alijs sideribus, ab his duobus abundanter, pro sua cuiusque capacitate participantibus. Vnde etiam incipientibus, & proficientibus, (quantumcunque benè sua peregerint) lumen minus, scil. naturalis modi operandi, perfectis autem lumen maius, scil. supernaturalis modi operandi, sufficit. Septimo, quod sicut modus naturaliter operandi, habet statum purgatiuũ, scil. meditationis, & illuminatiuum, scil. aspirationis, ac perfectum, scil. contemplationis; sic etiam modus operandi supernaturaliter, habeat statum purgatiuũ in priuatione, illuminatiuum in vnione, perfectissimũ in transformatione. Octauò, quòd vterque modus non tantum secundùm hos tres status continuò proficiat · sed etiam, quod in exercitio actus; & toties, quoties, in mentali oratione, sese mysticus Deo coniungere conatus fuerit, operationes intellectuales purgare, illuminare, & perficere habeat: pro vt etiam in praxi *c* latiùs ostensum est. vt autem hæ margaritæ ante porcos non proijciantur, consequenter dicimus,

A Theologia Mystica arcendos esse malos & incapaces.

ARTICVLVS QVINTVS.

CVm [plerisque ad diuinam *d* & occultam diuinarum mentium Veritatem, aditus non pateat] sed [solis *e* viris sanctitatis studiosis, & amatoribus] aperiatur; sollicitè agendum est, vt non tantum profani, ab ea arceantur, seu illi qui [sacris *f* nostræ religionis non sunt initiati] sed etiam, qui fœtoribus peccatorum, voluntariè, & voluptuosè nigrescunt, vel qui nondum per mortificationis, & virtutis studia, animi candorem acquisiuerunt.

Et sicut eiusmodi à sola notitia cohiberi debent, ita vel maximè in praxi ab omni felicitate mystica alieni censendi sunt, qui Dei sapientiam in mysterijs absconditam ignorãtes, ingenij sui pruritu, excogitatas cõpositiones prædicare gestiunt; ea arrogantiæ præsumptione tumidi, vt quæ ignorant, *g* blasphement, quæcunque autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrũpantur, verisque Dei amicis quoquo modo molestias inferant. de quibus in locis proprijs, & ad praxin accommodis *h* vtilius, quam hic latiùs dicendum iudicauimus. præsertim quod status priuationis opus cuiusq; rigidè satis examinet, ac ad purum excoquat; in supernaturalibus autem operãdi modis, nullus figmentis relictus sit locus. Iam verò priusquam de statibus, & operationibus directè mysticis loquamur, de illis, quæ implicitè mystica aspiciunt, hic breuiter dicendũ erit.

STA-

a *Hebr.10.* b *Genes.1.* c *infra 1.p.decis.7. a.8. & 2. p.par.6. & 9.* d *S. Dion. de cœlest. hierar. c.2.* e *Epist. ad Tit.* f *Theol. Myst. c.1.* g *Epist. Iud.* h *infra Decis.7.a 7. & Decis. 8.a.2.*

STATVS PRÆLIBAMINVM MYSTICORVM.

DECISIO SECVNDA.

QVAMVIS ordinaria Catholicorum deuotio, ad ſtatus myſticos præcisè non pertineat; vniuerſalis tamen pietatis notitia, hoc videtur exigere, vt ante negotij myſtici tractationem, tantum de ea dicamus, quantum communi vtilitati prodeſſe viſum fuerit, Et ideò hoc loco tractatur,

I. Quomodo Damnati, & finaliter impij Deum perſentiſcant.
II. Quid Catholici pœnitentes de myſticis participent.
III. Pientiores ſiue in ſtatu Religioſo, ſiue ſæculari, in ſuis precationibus ad Deum frequenter conſolationes diuinas experiri.
IV. Pientiores eiuſmodi non facilè ad exercitia myſtica tranſeant, relicta praxi ordinaria ſanctæ Matris Eccleſiæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quomodo damnati, & finaliter Impij Deum perſentiſcant.

CVm non ſit *a* qui ſe abſcondat à calore eius, à remotioribus, ſeu infimis incipiendo, inueniuntur primo Dæmones, & finaliter impij Homines, *b* qui licet [propter *c* aliquos particulares effectus, qui interdum eorum voluntati contrariantur, dicantur Deum odio habere: tamen in quantum Deus eſt Bonum commune omnium, naturaliter diligunt Deum plus quam ſeipſos] interea verò, quia deſperantes, ſemetipſos tradiderint iniuſtitiæ ad iniquitatem, [*d* miſerè, & inuiti, ex hac vita exeedunt, nulla ſancta ſpe freti, propter vitam, quam flagitioſiſſimam egerunt] cumque ex intima Dei præſentia, quod illa cum ipſis multa *e* fortitudine contendat, & magnitudinis ſuæ mole premat, ad ſupremum vſque deſolentur; vtriſque ſcilicet tam Damnatis, quam ſceleſtiſſimis hominibus penitus nihil, (illis quidem in æternitate; his autem in tempore) pœnoſiùs, ac intolerabilius euenire poteſt, quam in ſemetipſis ſupremi boni, & malitiei propriæ coëxiſtentiam contrarijs affectibus viciniſſimè compati, & tolerare. Vndè etiam ab omni myſtica beatitudine, iure merito excluduntur. ſufficiat interim ad vniuerſalem ſtatuum ordinem, obſeruaſſe, quod *f* omnia propter ſemetipſum operatus ſit Dominus; impium quoque in diem malum. Quo *g* ibo itaque à ſpiritu tuo, & quo à facie tua fugiam ſi enim deſcendero vel in infernum, ades. nam & ibi altitudo diuitiarum tuarum Domine, in imagine tuæ San-

a *Pſ.*18. b *Epheſ.* 4. c *S. Thom.* 1. p. q. 60 a. 5. ad 5. d *S. Dion. de Eccl. Hier. c.* 7. e *Iob.* 23. f *Prou.* 16. g *Pſam.* 138.

Sanctiſsimæ Trinitatis effulget, quamuis ad nimium cruciatum, quem proprijs voluptatibus inebriati, iuſto Dei iudicio ſuſtinent. His autem relictis, ad illos quibus ſpes vitæ æternæ affulget, tranſeamus.

Quid Catholici pœnitentes de myſticis participent?

ARTICVLVS SECVNDVS.

QVi Catholica fide muniti, deprauatæ naturæ malitiam non ſatis cauent, & grauioribus peccatis ſubindè commaculant; durum profectò conſcientiæ ſtimulum, ac Syntheresis contra malum, obmurmurationem inceſſanter ſuſtinere habent, velint nolint ipſi. ex quo fit, vt ad ſalutarem pœnitentiam, peccatorumque deteſtationem denuò commoueantur, optimam pœdagogiam de ſummo bono participantes, vt *a* oculi eorum ſint videntes præceptorem ſuum, & aures eorum audientes vocem poſt tergum monentis. quibus auxilijs commoti gemitibus *b* inenarrabilibus propriam dein fragilitatem deplorant, peccata Sacramento pœnitentiæ delent, ac diuinam in ſe bonitatem collaudant.

Quod autem eiuſmodi homines ad contemplationem primi principij, & optimi, quod Deus eſt, non pertingant (quamuis in mentibus ipſorum intimè præſens ſit) ex eo prouenit, quod [mens humana *c* ſollicitudinibus diſtracta, non intrat ad ſe per memoriam phantaſmatibus obnubilata, non redit ad ſe per intelligentiam, concupiſcentijs illecta, nequaquam reuertitur ad ſeipſam per deſiderium ſuauitatis internæ, & lætitiæ ſpiritualis; ideo totaliter in his ſenſibilibus iacens, non poteſt ad ſe, tanquam ad Dei imaginem reintrare] quapropter inter alia Chriſtianæ pietatis, & miſericordiæ opera nihil ſalubriùs talibus ſupereſſe videtur, quam [oratio, quæ Deo eſt *d* ſacrificium Angelis organum, Sanctis conuiuium, orantibus præſidium, contritis vnguentum, pœnitentibus remedium, hoſtibus iaculum, & omnibus tentatis fundamentum.] quinam autem vicinius Deum prælibent, conſequenter videamus.

Pientiores, ſiue in ſtatu Religioſo, ſiue ſæculari, in ſuis ad Deum precationibus frequenter conſolationes diuinas experiri.

ARTICVLVS TERTIVS.

CVm melior ſit dies vna in atrijs Domini, ſuper millia ſæculi nonnulli pientiores Catholici, ſiue in matrimoniali, libero, aut voto continentiæ obligato ſtatu, vel etiam in ordine aliquo regulari à ſede Apoſtolica approbato, degant; quocunque pio affectu tanquam apes argumentoſæ, varijs ſanctisque exercitijs in fide, ſpe, & charitate Domino famulantur. modo enim orationes vocales abſoluunt, modo amoroſis ſuſpirijs, ad diuina feruntur, vix ſacris ceremonijs, & diuinis laudibus (ſiue

B cho-

a *Iſai.20.* b *Rom.8.* c *S Bonau. Itin. men. c. 4.* d *S. Bern. apud Harph. l. 1. p. 2. c. 42.*

chorali, siue figurali cantu peragantur) interesse contingit, quin & ipsi miris spiritus suauitatibus Deum collaudent, verbo diuino sic intersunt, vt omnes homines ad salutem pertrahi exoptent, maiores non tantum culpas; sed & leuiores, & quæ magis ex humana fragilitate, quam ex proposito committuntur, humili, deotoq; Sacramentorum vsu expiant, atq; ad opera misericordiæ spiritualia, & corporalia, magno interno solatio feruntur, Virtutumq; perfectionem in alijs maximè commendant, & pro viribus imitantur, non sine magna diuini spiritus dulcedine, quæ rectè agentes semper concomitari assolet, omnia qualiacunq; acciderint de manu Domini humiliter accipientes. Considerant enim piè, quod [misericors *a* Deus mœstis rebus quædam etiam iucunda permiscuit, quod certè in Sanctis omnibus facit, quos neque tribulationes, neque iucunditates sinit habere continuas; sed tum de aduersis, tum proseris iustorum vitam, quasi admirabili varietate contexit.]

Talibus autem cum [oratio sit cibus mentis, *b* præclaraq; alimonia suauitatis, quæ membra non onerat, sed in ornamenta conuertit:] hinc frequenter insigniores cœlestes affluentias fideli sua exercitatione, à Deo consequuntur: quam plures illorum, qui ex instituto, aut vocatione mysticæ exercitationi appropriati, remisso, tepidoq; spiritu, nec frigent, nec calent; aut etiam (magis tamen verbosa iactantia, quam opere & veritate) in mirabilibus super se ambulant, & super nescium & quia ex vtrisque nonnulli, (quibus tamen à vocante dictum non est) altioribus se temerè ingerunt, hinc consequenter monemus, ne altum quis sapiat, sed Deum, timeat,

Pientiores eiusmodi non facilè ad exercitia mystica transeant, relicta praxi ordinaria Sanctæ Matris Ecclesiæ.

ARTICVLVS QVARTVS.

NOn in humanis tantum; sed & in diuinis, appetitus ad altiora nobis innatus, hallucinari solet, & immatura celeritate, sublimioribus rebus se se ingerere. Vndè etiam pientiores aliqui ad vitam conteir platiuam, ex regulari statu, aut particulari gratia nõ vocati, mysticorum orandi modos, & diuinas perceptiones assumere attentant, non sine periculo. Cum enim quilibet in ea *c* vocatione, in qua vocatus est manere habeat, eiusq; consueta pietatis exercitia peragere; si absq; iudicio prudentis mystici, ad maiora Religionis, ac status sui se transtulerit, non mirabitur, si aut corporis debilitates, capitis dolores, aut spiritus ariditates, tædiaq; incurrat; Insuper etiam, quæ pietatis videbatur habere exercitia, deperdat, & cum explicitum mysticorum studium *d* totam vitam hominis requirat, qua non temeritate ad illorum statum, aut gratiam, diuinasq; contemplationes non vocatus, se se intruderet?

Eia

a S. *Chrysost hom. 8. in Mat.* b S. *Amb. apud Alens. 4 p. q. 26. memb. 1. a. 1.* c 1. *Cor. 7.*
d S. *Tho. 22 q. 180. a 8, c.*

Eia ergò, Ecce *a* nunc benedicite Dominum omnes serui Domini, qui statis in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri, in noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum, & collætamini in domo Domini, ac in consilio iustorum, & congregatione confitemini illi; pio zelo constantes in prælibamine deliciarum Sanctæ Matris Ecclesiæ, quæ in fimbrijs aureæ charitatis circum amicta varietate, tum Sanctorum Sacramentorum, tum prædicatione verbi diuini, bonorumque operum exercitatione, tum Angelicis penè concentibus, alternatis vicibus intercurrentia tædia vitæ vestræ, (dum in hac lachrymarum valle peregrinandum est) alleuiabit; inexplicabili oblectamento cordis vestri, donec ad plenum soluto corporis pariete, Lucifer claræ visionis, oriatur in cordibus vestris, tum ad satietatem hausuri, quod in hac vita absconditum permanere decreuit diuina dispositio.

Interea verò à consuetis sanctæ Matris Ecclesiæ pietatis & virtutis exercitijs, atque à communi praxi vocaliter orandi, & subindè gemitibus inenarrabilibus ad Deum suspirandi, nequaquam recedite; contenti Confessariorum, & Deum timentium directionem, ac consilium in noctibus ignorantiæ propriæ vtilitatis, tanquam lumen clarissimum, peregrinantibus necessarium, debita humilitate suscipere, & hæc profectò vel maximè considerãda veniunt circa iuniores Virgines, & mulieres. nam [amans lachrymarum *b* est semper sexus fœmineus, & mentem habens flexibilem ad pietatem.] vt vel ideò facilè maiorem, quam à parte rei sit, ad mysticæ vitæ dispositionem, præ se ferat.

Et his quidem obseruatis, nulla hic alia praxis apponenda est, tum quod nostri instituti non sit, tum etiam, quod dictis consilijs obsequentes, abundè satis ipsorum prouideatur, & saluti, & internæ deuotioni; sileo quod *c* simplicitas iustorum diriget eos; *d* timore Domini protecti in vmbraculo merediani, & occasione ad malum stimulante. Quapropter altiora *e* te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcepit tibi Deus, ista cogita semper. Nos autem consequenter ad mystica transeamus.

a *Psal.* 133. b *Cyrill. in Luc.* 23. c *Prou. c.* 11. d *Eccl* 34. e 3 *cap.*

DE ORATIONE MENTALI IN GENERE.

DECISIO TERTIA.

PRÆMISSIS ijs quæ ad ordinariam pientiorum deuotionem, vt prælibamina mystica pertinent, nunc de extraordinaria, scilicet

oratione mentali, dicendum est. quæ sicut ad omnes mysticos status, eorumq; modos, seu internas locutiones, amorisq; actiones se se extendit; ita etiam quædam in genere complectitur, quæ hoc loco ad ordinatam spiritualis ædificij structuram, priusquam ad particularia descendamus; exponuntur. Et quidem

I. Quod Oratio ad Deum sit duplex scilicet Vocalis, & Mentalis, ac de vtriusque conditionibus.

II. Oratio mentalis ad omnes mysticos status, & modos se se extendit, ad acquirendam, & continuandam præsentiam Dei.

III. Statum mysticum, seu exercitium orationis mentalis, veram Dei vocationem, totam hominis vitam, & animam infractam expetere.

IV. De libris, tempore, loco, ac corporis situ, exercitio mentali magis accommodis.

V. Series omnium statuum orationis mentalis, secundum modum operandi naturaliter.

ARTICVLVS PRIMVS.

Oratio ad Deum est duplex, scilicet Vocalis & Mentalis, ac de vtriusque conditionibus.

DEuota oratio lato modo, & generica acceptione spectata, est duplex, Vocalis scilicet, & mentalis. Vocalis dicitur, quæ cordis petita, & desideria per os, & voces peragit; & [est Dei reconciliatio, *a* lachrymarum mater, peccatorum propitiatio, tentationum pons, tribulationum murus, Angelorum opus, futura iucunditas, Virtutum fons, delicię animę, mentis illuminatio, desperationis securitas, spei demonstratio, tristitiæ solutio, diuitiæ Monachorum, thesaurus quiescentium.] Hæc porrò vocalis oratio exercetur passim ab omnibus Christi fidelibus, quando orare, & à Deo eiusque sanctis aliquid petere, & impetrarè gestiunt: ex his autem Pientiores, quandoque gemitibus inenarrabilibus ad Deum suspirant, & tum [quicunque pius affectus in Deum oratio dici solet, à *b* Patribus.]

De orationis porrò vocalis conditionibus, ad nostrum propositum non facit aliud dicere, quam vt quilibet talia rosaria, aut alias piorum librorum precationes assumat, quæ in suo viuendi statu, ad maiorem deuotionem ipsum excitare compererit. Hæc etiam oratio vocalis apud illos, qui mysticam vitam directè non exercent, ideò necessaria, familiaris, & quasi sola nota est, eo quod ob sæculi, & sensuum internorum tumultus, alioqui ad varias distractiones abriperentur, & sine ea attentè orare non possent; vndè per orationis vocalis lectionem, aut elocutionem, pium aliquem externum sonum, sensus adimplentem, ceu, scutum opponunt, vt attentiùs Deum exorare valeant.

Oratio

a *Harph. l 1. p. 2c. 42. ex Abbat. Ioan. Mont. Sinai. Hug. de S. Vict. & aliis.*

b *Alens. 4. p. q. 26. m 1. a. 1. ex Aug.*

Oratio verò mentalis est, quæ solo interiori actu mentis perficitur, non tam ad aliquid à Deo petendum; quam ad actualem coniunctionem amoris, creaturæ ad Creatorem excitandum. Et talis [oratio est *a* ascensus mentis in Deum.] vel est [ascensio *b* animæ de terrestribus ad cœlestia: inquisitio supernorum, inuisibilium desiderium.] vel [est *c* conuersio mentis in Deum, per pium & humilem affectum.] [vel est hominis *d* Deo adhærentis affectio, & familiaris quædam, & pia allocutio] vel tandem [est coniunctio, *e* & vnio hominis, & Dei:]

Orationis porrò mentalis genus est triplex. Primò, religionis infusæ, seu fidei per tres virtutes Theologicas, scilicet fidem, spem & charitatem. Secundò, per dona habitualia intellectus, & sapientiæ, modo supernaturali, id est, absque imaginationis vsu, & discursu, secundùm simplicem, & Angelis conformem intelligentiam. Tertiò, per gratias gratis datas, eminentiori modo, quàm per dona habitus, in actu transeunte duntaxat, pro vt fit in speciebus infusis, aut præuijs voluntatis commotionibus. In primo genere exercentur incipientes & *f* proficientes, dum in interiore homine purgantur, & illuminantur; in secundo *g* genere perficiuntur perfecti; in tertio autem singularibus fauoribus Spiritus sancti dignantur *h* sancti Viatores, quibus etiam dona, & gratiæ sanitatum, prophetiæ, ac miraculorum, conceduntur.

Ad orationem insuper mentalem, seu [contemplationem *i* tria requiruntur, primò, vt sensualitas sit munda. Secundò, vt non obumbretur caligine phantasmatum. Tertiò, vt voluntas per charitatem, & deuotionem, sit ordinata in Deum.] de quibus per singula ordinatè ad praxin, in proprijs locis, tota hac summa tractatur. Interea verò ad vtriusque orationis scilicet vocalis, & mentalis durationem, quod attinet [oratio *k* quantum pertinet ad eius causam, quæ est quoddam charitatis desiderium, perpetua esse debet. quantum verò attinet ad propriam eius rationem, tamdiu durare debet, quamdiu sine tædio, feruori interni desiderij excitando, seruit.] Quam ampla verò sit oratio mentalis, iam consequenter dicendum est.

Oratio mentalis ad omnes mysticos status, & modos sese extendit, ad acquirendam & continuandam præsentiam Dei.

ARTICVLVS SECVNDVS.

IAm verò hæc omnia genera, status, & modos ad orationis mentalis gremium spectare, in eoque ceu varias species sub genere comprehendi; non tantum ex eo constat, quòd hi status veram Dei vocationem, *l* totam hominis vitam,

a S. Damas. l. 3. de fid. c. 24. b S. Augast serm. 230. de temp. c lib. de spir. & anim. c. 50. d S. Bern. ep. ad fr. de mont. e Ioan. Abb. apud Harph. vbi sup f hac tota 1. part. g 2. par. tota. h 2. p. dec. 9. i S. Thom. in 3. cap. de diuin. nom. k S. Thom. 2. 2. q. 83. a. 14. c. l hic a. 3.

vitam, & animum infractum expetant; sed etiam quod in suis exercitijs toties, quoties internum aliquem conceptum formant, exprimuntque, verbum mentis pronuntient, non qualecunque, sed spirans diuinum amorem, & quamdiu hoc ipsum continuant, mentaliter, non vanè, sed mysticè loquantur: cum ita mentaliter loqui, aliud non sit, quam mente aliquem conceptum, aut internam locutionem, in se ipso in ordine ad Deum amandum exprimere.

Quum autem [diuersæ sint actiones *a* intellectus, scilicet cogitatio, consideratio, meditatio, speculatio, auditio, lectio, locutio, visio, seu contemplatio;] hoc ipsum quoque per omnium harum actionum operationes, diuersum mentaliter loquendi modum constituet. Et hinc meditatio per discursum, & rationem diuinum pulchrum quærit, & inuestigat, ac voluntate amat; Aspiratio autem sufficienter cognitione instructa, celeriùs, & moræ impatiens (iuxta amoris impetum) cito ad Deum amplexandum, & fouendum fertur; Contemplans autem sicut per intellectum firmiori aspectu, ipsum pulchrum intuetur, ita ipsum bonum intimiùs amplexatur, & stringit. atque ita [ratio *b* per discursum peruenit ad cognoscendum illud, quod intellectus sine discursu cognoscit,] ac consequenter ad orationis mentalis ordinem pertinent, non tantum status modi operandi supernaturaliter *c*, scilicet simplici intelligentia; sed etiam omnes status modi operandi naturaliter *d*, scilicet cum rationis discursu, & phantasiæ vsu: in his enim omnibus, & singulis Dei præsentia acquiritur, perficitur, & continuatur; licet in vno perfectius, quam in altero, pro vt scilicet in amore diuino, fit amplior progressus. Ne autem aliquis temerè se ingerat exercitijs mysticis, consequenter dicimus.

Statum mysticum, seu Exercitium orationis mentalis veram Dei vocationem, totam hominis vitam, & infractum animum expetere.

ARTICVLVS TERTIVS.

[VOcatio illa, quæ dicit *e* auxilium Dei mouentis interiùs, & excitantis mentem ad deserendum peccatum:] fundamentum duntaxat est ad vitam mysticam superædificandam. Et ideò alia adhuc vocatio requiritur, in qua videl. Deum mentaliter possit contemplari, cum interno spirituali gustu, & complacentia de diuina bonitate. ad hanc autem cõtemplationem peragendam, nõ requiritur hoc loco, vt idipsum præstantiori, & supernaturali modo fiat. ad illum enim magis singularem gratiam requiri, dictum est infra *f*, sed sufficit vt aliquo modo secundùm status incipientium vel proficientium: iuxta ordinatum progressum meditationis, aspirationis, vel contemplationis, affirmatiui, vel negatiui modi, sese exerceat; Deo

a S. Thom. 2.2.q.188.a.3.c. b Opusc. de Intell. & intellig. c vt habetur tota 2. parte. d vt habetur tota hac 1. parte. e S. Thom. 1.2.q.113.a 1. ad 3. f 2. par. Dec. 1. ar. 3.

Deo mentem interius mouente, & excitante, ad aliquo modo Deum contemplandum. & hoc ideò dicitur, ne quis ad internam vitam se sufficienti fundamento moueri credat, quando ad illam mouetur; vel quia videt, vel audit hos vel illos, eiusmodi institutum assumpsisse; & ad horum imitationem, vel aliorum leui persuasione, aut proprio etiam marte, à pia sua viuendi ratione se *a* transfert. mystico enim modo ipsum bonum amare, non tam persuadendi sumus, quàm docendi. aliter enim cerro certiùs incipiet ædificare; & non poterit consummare; id quod tandem in miserijs constituti seriùs lugebunt.

Non inferat tamen quisquam hoc loco, quasi matrimonio iunctos, aut in propria libertate degentes, à felicissimo hoc instituto reijciamus; absit omninò. nam [in omni vitæ *b* genere, & exercitijs, internus quis fieri potest. si tamen in occupatione externa maior pars sit introuersa, & in quiete totum se intro recipiat.] nullus ergò status, nulla viuendi ratio excipitur, dummodo in statu suo quilibet pro primario, summo, ac diligentiori studio habeat, vt sine sollicitudine, & impedimento internis exercitijs vacare possit, & velit. Et certè Taulerus prudenter obseruauit, se [plures *c* nouisse homines, & ætate iuuenes, annorum scilicet viginti, & in matrimonio degentes, & generis nobilitate claros; in hac tamen via perfectè constitutos.] [non *d* enim contemplationis gratia summis datur, & imis non datur, sed sæpè hanc summi, sæpè minimi, sæpius remoti, aliquandò etiam coniugati percipiunt.] quia [non repugnat esse *e* perfectum, licet quis in statu perfectionis non sit; sicuti contingit etiam esse in statu perfectionis; & tamen non esse perfectum.] hinc etiam indocti, licet non sciant definire, vel diuidere, suosque discursus articulatè explicare: tamen diuina gratia adiuti, sæpè profundius, quam docti veritatem penetrant; [& per intelligentiæ *f* radium, quæ in illa continentur discernunt.] atque hinc fluit deuotus fœmineus sexus, ad ardua regenda quidem non admissus, ad Diuina autem fortius procumbens.

[Tota autem hominis *g* vita ad contemplationem requiritur,] non ideò, vt necessario tria vota essentialia, scilicet obedientiæ, paupertatis & castitatis in regulari aliquo instituto profiteri debeat: emittuntur enim dicta vota ad melius esse, & maiorem Euangelicam perfectionem; ob quam Paulus (spiritu *h* Dei afflatus) consilium tantum dat Virginitatis seruandæ, vt scilicet dein sancti corpore, & spiritu, quæ Domini sunt sollicitè agant, ac tempus habeant Dominum sine impedimento obsecrandi. Eapropter quicunque in aliquo gratiæ statu ita viuit, vt Deum super om-

a *vt sup. dec. 2. a. 4.* b *Tauler. in fest. vener. Sacram. serm. 3.* c *serm. 1. post Trin. Dom 15.* d *S. Gregor. sup Ezech. homil. 17.* e *S. Thom. 2. 2. q. 184. a. 4. in c.* f *S. Bonau. de profess. Relig in 7. c. 78.* g *22. q. 180. a. 8. c.* h *1. Cor. c. 7.*

omnia mentaliter in suis actionibus spectet, & contempletur, idque non ad menses, vel annos; sed tota vita, is quoque ad vitam contemplatiuam ducendam aptus iudicatur; & tum labores, & seruitia internam vitam nō impediunt. Licet enim [actiua *a* vita contemplatiuam impediat: ad eam tamen conducit, in quantum ordinat, & moderatur affectiones;] scilicet inordinatas, quibus otiosi homines frequenter grauissimè infestantur.

Infractus demum animus (ad reparandam, & sanandam naturam ex originali peccato vitiatam) necessarius, rem melius docebit; & non verè vocatos, aut in sua vocatione desides egregiè discutiet, reijcietque. Viam enim istam [arctam scilicet ascendunt Viri duntaxat ad bella doctissimi, & terribilis castrorum acies ordinata, Virorum *b* fortium, & eorum qui possunt ad bella procedere, viam veritatis eligentes, vtpotè vim facturi; arctam & arduam illam, quæ ducit ad vitam, cum alacritate apprehendunt, & cum summa festinatione per semitam mandatorum de valle lachrymarum ascendunt de virtute in virtutem, quæ retrò sunt obliti, & in interiora extenti satagunt semper magis, magisque sapere, quæ sursum sunt, non quæ super terram; donec vix cum multo labore tandem aliquando apprehendentes montis verticem, perueniant ad Ciuitatem munitam.] & quia [vna sola contemplatio Dei est, *c* cui merito omnia iustificationum merita, & vniuersa virtutum studia postponuntur,] & in qua optimam partem sibi elegit Maria. Hinc iure meritò exigitur à *d* nobis, vt omni diligentia, seriò, & ex animo ab omni nos vana occupatione, multiplicitate, & ijs, quæcunque nobis verè necessaria non sunt, auertamus, atque ilicò intro nos recipiamus ad nosipsos, nostram illic vocationem obseruantes explorantesque, qui, & ad quid, quaque ratione vocati simus à Deo.] quin imò etiam [qui hunc statum *e* aggredi desiderat, & satagit, opus est omninò, vt velut clausis oculis, & sensibus de nullo se penitus implicet, ac perturbet, sollicitus sit, & curet: sed cuncta tanquam impertinentia, & pernicioſa funditus excutiat.] nam [absque dubio *f* sine ingenti exercitio, sine frequenti studio, sine ardenti desiderio, ad perfectam scientiæ altitudinem mens nostra non subleuatur.] & licet ad perfectionem *g* contemplationis requiratur incolumitas corporis, ad quā ordinantur artificialia omnia quæ sunt necessaria ad vitam; requiratur etiam quies à perturbationibus passionum, ad quam peruenitur per virtutes morales, & per prudentiam;] longè tamen vtiliùs infractus animus, qui patientia, & longanimitate omnia superat, requiritur.

Iam nunc quæso considerent, qui ad

2 2.q 182 a.3. b *Rich. de S. Vict. in Psal. 28.* c *S. Augùst serm. 43. de temp.* d *Taul. Dom. 20. post. Trin. serm. 2.* e *Alber. Magn. de adhæren. Deo, c 2.* f *Rich. de præp. ad conf. c. 79. Cass. coll. 14. c. 2. 3.* g *Ion. Carth de font. luc a. 9. Caiet. in 22. q. 180. a. 1. & q 182. a. 1. Molin. Carth. t. 1. p. c. 6. §. 3. & passim omnes.* g *S. Thom. cont. Gent. l. 3 c. 37.*

ſtatum orationis mentalis ex inſtituto religioſo, aut ſingulari vocatione (in quocunque tandem ſtatu) determinati ſunt, quidnam non animi, ac diligentiæ adhibere oporteat, ne tanquam nec frigidi, *a* nec calidi ex ore Dei euomantur; negligentia mortificationis, & piæ internæ exercitationis omiſſione eo prolapſi, vt inter cœleſtes epulas, tanquam vagi & profugi ſuper terram, fame, & inopia ſpiritualis ſolatij, in regione longinqua, pereant. Quapropter fili *b* accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in inſtitia & in timore, & præpara animam tuam ad tentationem. deprime cor tuum, & ſuſtine, & inclina aurem tuam, & ſuſcipe verba intellectus. Et cum pietas ad omnia vtilis, fundamentum ſit, & origo in Deo benè ſolati animi; reſoluto, viriliq́ue pectore ſibi fixum ſtatuat ſpiritualis Athleta, illud Pſalmiſtæ: *c* Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo: Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo. Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum; ſi exurgat aduerſum me prælium, in hoc ſperabo. quaſi diceret; Tu Domine, qui me ad debellandam naturæ malitiam per guſtum tuæ dulcedinis vocaſti; eſto multum propriæ imperfectionis, & modicum tui ſolatij habeam, ac opus quaſi impoſſibile aggredi videar; attamen in omni difficultatis moleſtia, tibi me ex toto corde committo, tuæq́ue Bonitati magis, quàm proprijs conatibus innitens, offero memetipſum, & intrans in domum tuam *d* adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo. Quia verò homo nunquam in eodem ſtatu permanet, vt vel ideo frequenter in ſpiritu & inſtrui, & roborari debeat ſpiritualis Athleta; hinc de varijs auxilijs externis hic conſequenter dicemus,

De libris, tempore, loco, ac corporis ſitu, exercitio mentali magis accommodis.

ARTICVLVS QVARTVS.

DE librorum lectione, & maxime, an huius vel illius præcepta, modus, & ordo, in praxi ſeruanda ſint, nulla poteſt certa regula aſſignari; quod enim vni pulchrum, alteri ſordidum videtur, & quod hic magni æſtimat, ille vilipendit, quodq́ue huic prodeſt, iſti nihil vtilitatis confert. Hinc etiam quemlibet præſertim incipientium, & proficientium ad lectionem, & praxin talium librorum remittimus, qui ipſum viuacius ad exercitia mortificationis, virtutis, & deuotionis commouebunt. Verùm non tam cardo rei in hoc verſatur, vt vtiles libri legantur, quam vt conſtet, qua diligentia perlegi debeant, & quamdiu horum lectio auxilium ferat. Et quidem ad diligentiam quod attinet, ea quæ in myſticis libris (præſertim quæ in hac ſumma practica,) continentur, non perfunctoriè aut fruſtulatim, aut ſemel; ſed maturè conſequenter, ac perſæpè, perlegenda erunt. [paſſio enim *e* amoris hoc habet; tum

a *Apoc. 3.* b *Eccl 2.* c *Pſal. 26.* d *Pſal. 5.* e *S. Thom. 22. q. 27. a. 2.*

quod non subitò fiat, sed cum morali quadam duratione;] tum quod ex sua natura insatiabilis sit, & ex quolibet bono, nouum lumen consequatur, bonumque amplius cognitum amare gestiat. pro vt Maria Magdalena Christi Domini amantissima suo exemplo docet. Hæc enim [cum fleret, *a* inclinauit se, & prospexit in monumentum. certè iam monumentum vacuum viderat, iam sublatum Dominum nuntiauerat: quid est quod se iterum inclinat, iterum videre desiderat; sed amanti semel aspexisse non sufficit, quia vis amoris intentionem multiplicat inquisitionis. Quæsiuit ergò prius, & minimè inuenit; perseuerauit, vt quæreret, vndè & contigit, vt inueniret, actumque est, vt desiderium dilata crescerent, & crescentia caperent, quod inuenissent.] Ad durationem verò lectionis spiritualium librorum quod attinet, notandum venit, tres esse differentias eorum, qui circa orationem mentalem versantur; Prima est illorum, qui toto vitæ tempore *b* circa status modi naturaliter operandi, scilicet meditationis, adspirationis, & contemplationis, siue affirmatiui, siue negatiui modi, interiora sua perficiunt; & hi quoque tota vita à variis piorum librorum lectionibus auxilium capiunt. Secunda est illorum, qui peruersis cupiditatibus victi, *c* amicitia Dei indignos se reddiderunt, & hi sicut maius tormentum non habent, quam vt orationi mentali interstint; sic neque libros de pietate tractantes perferre possunt. Tertia est illorum, qui ad status modi supernaturaliter operandi transeunt, & hi cum ad priuationem rigorosam pertigerint, & priori deuotione fuerint destituti, ita vt illam nullo modo resumere possint; nec tamen videant, quid vlterius agendum sit, maius leuamen ex librorum lectione vix haurient, quàm quod legendo ea, quæ statu priuationis habentur, videant, eadem aut similia iam pridem alijs contigisse, & profectui spirituali non tantum non aduersari; sed quam maximè prodesse, imò necessaria esse; vnde etiam successu temporis, præsertim in medio priuationis, omnis lectio, & auditio de mysticis in nauseam conuertentur, quo ad vsque in statu vnionis, sensus, ratio, mens, & consilium restituantur: atque tum, & maximè in statu transformationis, nil tam subtilè ab vllo mysticorum scriptum est, quod non intelligant diuino intelligentiæ radio benignè semper collucente, & expedita praxi, absque librorum lectione, in arcano amore procedant.

Tempus verò matutinum omnium iudicio orationi mentali commodissimum esse; ex eo prouenit, quod corpus per quietem somni magis ab onere ciborum alleuiatum, & confortatum, ad omnes actiones communiter sit magis aptum. [post cibum *d* enim impeditur operatio intellectus.] cui accedit ipsum silentium, & ab omni tumultuatione

a *S. Gregor. homil 25 in Euang.* b *infra Decis. 9.* c *infra Decis. 5. art. 4.*
d *S. Thom. q. 13. de verit. art. 4. c.*

tione quies, vt animum à multis in vnum collectum, ad functiones spirituales commodiùs possit applicare; atque ita frequenter, dum medium *a* silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter perageret, omnipotens sermo tuus Domine de regalibus sedibus venit, ac deuotam animam bona cœlestia esurientem consolatur, iuxta illud: *b* Nox illuminatio mea in delitijs meis.

Circa tempus porrò orationis mentalis, hoc cumprimis animaduertendum est, nonnullos quasi omne tempus, velle contemplationi impendere, non quod hoc ipsum vtiliter præstare; sed vt sub specie pietatis, ab officijs communitatis, & charitatis proximo exhibendis, sese subducentes, otio, & pigritiæ vacare possint; quod incipientes, & proficientes, vtpotè varijs adhuc defectibus sibimetipsis onerosi, & charitate sufficienter nondum perfusi, familiarè habent, sicut & alias pleraſque imperfectiones. & ideò discretè, non autem superfluè, aut excessiuè (vti nonnulli durioris humoris, & in amore diuino sicci, facere solent;) laborare, & charitatis officia ipsos præstare doceant spirituales Magistri. Et certè si vel perfectus, [& qui à Deo ad *c* internum silentium, in diuinamque caliginem vocatus est, semper à charitatis operibus vacare vellet, multum à veritate aberraret:] quid non fiet apud illum, qui subindè tempore orationis mentalis, de Superiorum iussu, aut charitatis lege vtiliùs labori applicari non vult; sed potius interno, obscuro, & tœdioso suo fundo inhærere? [itaque vbi res *d* postulat, ipsique incumbit, amoris actibus insudabit, idque cum abnegatione sui ipsius, non ex actionis affectu, cum voluptate, & oblectatione sui, (cui tamen vitio perplures subiacere probantur;) sed ex amore purissimo in abstractione, cum vacandi desiderio, seu ad vacandum festinatione. Nam qui actioni abstractus insistit, huic omnia quæ agit, multiplicitati obnoxia videntur. Nemo siquidem multiplicitatem æquè perspectam habet, vt is qui semper in abstractione positus est.]

Locus autem quantum fieri potest, ab omni tumultu, sono, & luce assumatur separatus, vt quantò plus ab externis perceptionibus sensus vacant, tantò profundiùs ad interiora tendentem, sese recipere sinant. Et huius rei gratia contemplatiui loca deserta, & ab hominum accessu remota, seligere consueuerunt, & [Reuelatio *e* diuinorum dicitur occulta, quia non nisi in occulto percipitur. ideò etiam ad eam necessaria est secreta habitatio, & mentis collectio, & vnio: vnde etiam non in multitudine Deus secreta reuelauit, & hoc ideò, vt nos ad secretum vocet, & in vnum colligat.]

Situs verò corporis, ad dignitatem diuini consortij tempore orationis mentalis maximè decens, est genuflectere, vel stare; quod si verò quispiam infirmitate, debilitate, aliauè corporis incommoditate cogeretur, sedendo, aut iacendo, Deo vacare poterit; ne [per

a Sap. 18. b Ps. 138. c Taul. Dom. 20. post Trin. ser. 2, d ibi. e Hugo ap. S. Bon. 5, Itin. at. d. 2. cor-

corporis indispositionem actualis in Deum *a* tendentia impediatur.]

In prædictis tamen fallit quandoque regula in praxi, apud illos, qui corporali inedia, aut debilitate torquentur; præsertim iuniores, qui in annis crescentiæ matutino tempore libentius esurientem stomachum satiarent, & à molestia famis liberarent, non quidem per consensum voluntatis, sed per martyrium corporis, & sensualitatis, cui subijciuntur. Vti etiam apud inquietum animum loci solitudo, & quies modicum præstaret; talis enim etiam in *b* deserto, in loco *c* horroris, & vastæ solitudinis representationibus varijs, ad quælibet distrahitur; sicut etiam, qui dum mentaliter orandum est, doloribus intensis cruciaretur, nec in situ mollioris lecti, attentè oraret; nec aridus, dum cœlum supra se æneum, & terram, quam calcat, ferream experitur, amoris dulcedine se replet, licet omnes pios libros peruolueret, & ipsum sacrum codicem proprio capiti supponeret. Cum ex his & similibus, eo tempore, quilibet sibi proportionato modo (Deo aliud melius prouidente) torqueri habeat, ad maius meritum. Ne autem de statibus mysticis confusa, sed ordinata notitia concipiatur, consequenter ponitur,

Series omnium statuum Orationis mentalis, secundùm modum operandi naturaliter.

ARTICVLVS QVINTVS.

CVm ex amissione *a* originalis iustitiæ hominis intellectus plurimum obtenebratus, & voluntas in diuinis amandis admodum languida, ad caduca verò, & ab incommutabili ad commutabile bonum, hæ potentiæ prolapsæ ingemiscant; studio sanctæ meditationis paulatim ignorantia intellectualis, voluntatisque durities, corriguntur: ita vt loco speculationũ, & appetituum mundanorum, Dei ineffabilibus operibus, & beneficijs humano generi præstitis, toto intellectu, & voluntate intendere collibeat. quod vbi diutina, & varia exercitatione factum fuerit, & tanquam humidum lignum à continuo calore ignis ad siccitatem aliquam & lenimentum naturæ corruptæ pertigerit, aspirationis vsu faciliùs, & viciniùs cœlestia degustare, incipiet.

Porrò sicut meditationis conditio, pium animum per intellectuales discursus, & voluntatis varias excitationes, ad diuina intelligenda, & amanda perducit, longiori aliqua interueniente mora, propter vtriusque potentiæ imbecillitatem; ita aspirationis studium celeri motu, & facili repræsentatione intellectum allicit, voluntatemque inflammat, vt penè in instanti exardescat sicut ignis in spinis, subitò diuino lumine, & calore tarditatem meditationis, non tantum corrigens; sed & intimiùs, perfectiùsque fruitionem mysticam tribuens.

At nequaquam Amori sufficit, instantaneo penè sacrarum aspirationum motu, à terrenis distractionibus absolui, diuinisque coniungi: cum ob eiusmo-

a Theol. myst. apud Bonau. *b Exod. 6.* *c Deut. 32.* *d inf. Decis. 5. a 5.*

modi aspirationum facilem exspirationem, interruptionemque, graue sit, & laboriosum nimis, momentaneis penè interuallis, ei de nouo coniungi, quem constanti intuitu, & forti amore, magis luberet constringere. hinc fit, vt ex aspirationis volubilitate, amor diuinus interiora amplius perfundens, contemplationis, & firmi intuitus, dilectionisq; statum producat.

Contemplatio igitur diuinam bonitatem, mystico communicans, firmo intuitu stabilique amore, duplici quoque differentia, statum contemplationis distribuit. Primo quidem contemplatione affirmatiua, siue amorosa, in eos qui sortiti sunt animam bonam, Deique docibiles ingenuitate, modestiaque naturæ, Deo Opt. Max. omnia tribuentes, amorosa fruitione sua peragunt. Secundo verò contemplatione negatiua, siue transcendente, in eos, qui in se ipsos rigidiores, forti animo quæuis externa, internaue, tanquam summè à primo, & Ente, & Bono deficientia, transcendunt, insatiabilem constantis amoris præstantiam supra ea, quæ sunt, & quæ non sunt, infatigabili conatu prosequentes.

Et hi omnes cum Elia ab Angelo Domini, gratiaque diuina à sæculi periculis excitati, in initio conuersionis, per aliquot temporis spatium, panem artum, & aquam breuem cum fletu miscentes, mortem spiritualem fugiunt, dein laboriosum montem *a* Dei Horeb in sacræ meditationis exercitijs, conscendunt; Vbi zelo zelantes Diuinam agnitam, & benè afficientem bonitatem, in ea quoque per aspirationis statum scintillant, & exardescunt, postmodum gratissima voce Domini, qua dicit egredere, & sta in monte coram Domino, eleuati, in contemplationis spatia se se diffundentes; cum eo tamen vt ijs, qui ad vlteriores status non pertingunt, nec diuina commotione, colloquio, & aspectu supernaturalis modi dignantur, Dominus transeat, ac in his statibus duntaxat, qui in hac prima parte tractantur, brauium certaminis sui consequantur, iuxta mensuram donationis Christi, distribuentis cuilibet sicut vult. Et hisce quidem breuiter, & in communi præmissis, consequenter fusiùs de singulis statibus, tota hac prima parte tractatis, dicendum erit.

a 3. *Reg.* 19.

PRIMVS STATVS MYSTICVS EST MEDITATIONIS.

DECISIO QVARTA.

CVm [notitia, quæ communiter *a* de Deo habetur, sit imperfectissima,] & ea quæ status prælibaminum habet, indirectè ad con-

a S. *Thom. l.* 3. *Ant. Gent. c.* 38.

contemplatiuorum exercitationem, referantur; in posterum de statibus directè mysticis, modi duntaxat operandi naturaliter in specie, & pro vt veram Dei vocationem, totam hominis vitam, & animum infractum expetunt, dicendum est. *Et Primo quidem*

Quid sit Meditatio.

II. An à meditatione incipiat vita mystica.

III. Meditationem Passionis Domini præ cæteris esse vtilissimam.

IV. Meditatio tres habet partes substantiales, videlicet, præparationem, meditationem, & actionem.

V. Meditatio tribus potissimum peragitur modis.

VI. Quod in Meditatione circumstantiæ necessariò sint considerandæ.

VII. Quod maxima circumstantiarum sit meditatio Diuinitatis, quæ subinde transit in contemplationis actum.

VIII. Præsentiam Dei foueri aspirationibus, & alijs pijs exercitijs.

IX. Synopsis status meditationis.

X. De spirituali profectu, duratione, & transitu, à meditationis ad aspirationis statum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit Meditatio.

VAria est apud Mysticos Meditationis *a* descriptio; nobis est meditatio attenta consideratio vnius ex altero, in ordine ad excitandum pium affectum. ex hoc ergò, quod meditatio sit consideratio, excluditur cogitatio, quæ volubiliter intellectui quodcunq; obiectum repræsentat, absque firma perscrutatione illius, quod obijciebatur; quod autem sit vnius ex altero, dicitur propter discursum, & inuestigationem diuersorum, [passio enim amoris hoc habet, quod non subito *b* exoritur, sed per aliquam assiduam inspectionem rei amatæ.] & quidem hoc loco, quæ de Deo cognoscuntur, non simplici intelligentia; sed admixta sensuali crassa, & imaginaria apprehensione, intelliguntur: Ex eo autem quod dicit ordinem ad excitandum pium affectum, reijcitur speculatio, quæ quidem firmo contuitu rem aliquam considerat, & perscrutatur; attamen absque necessaria dependentia ad amoris diuini, aut virtutis exercendæ perfectionem, nuda oblectatione spirituali, quæ à speculatione exoritur, contenta. Et hoc modo Ethnicorum nonnulli Philosophi, ac plures Hæretici de diuinis quædam cognouerunt, posterisque tradiderunt, non vt indè meritum, aut vtilitatem *c* vitæ contemplatiuæ consequerentur, sed vt natura spiritualis, secun-

a *Aug de spir. & an. l.1.c.32. Bern de Scal. Cla. Richard. l.1. de Cont. c.4. Hugo de S. Vict. l. de med, S. Bonau. 2 Itin. cter. d.2 & recentiores omnes.* b *S. Tho. 22. q.27. a.2.* c *2.p. dec.1.a.16.*

secundum modum sibi proportionatum, in speculatione primi Entis, suam perfectionem consequeretur. At nos de tali consideratione loquimur, quæ ideo sollicitè, & attentè Deum, Diuinaque scrutatur, vt eundem ardenter diligat, iuxta Psalm. dicentem, concaluit *a* cor meum intra me, & in moderatione mea exardescit ignis, scilicet amoris, quo amplius diligam, in tantum, vt quoties ex meditatione non subsequitur aliquis affectus siue sensitiuus, siue volitiuus, id est, secundum voluntatis desiderium mouens, totius etiam vt infructuosa speculatio, censeri debeat eiusmodi meditatio. Et quia inter Mysticos variat opinio, de orationis mentalis initio, consequenter dicemus,

An à meditatione incipiat Vita Mystica.

ARTICVLVS SECVNDVS.

NOnnulli, eo quod ante statum, aut vocationem vitæ mysticæ, quosdam singulari probitate conspicuos, meditationis Summam etiam quasi inaduertenter absoluisse, aut quod in benedictionibus dulcedinis à Domino præuentos, morosa, vel imaginaria meditatione opus non habere; vel quod singulares diuinos modos in quibusdam sanctioris vitæ ignorarent, opinati sunt vitam mysticam non tam à meditatione, quam ab aspiratione, aut etiam, quæ indè facilè sequitur, amorosa contemplatione Diuinitatis principium sumere; quod licet in similibus locum habeat; attamen re ordinario cursu spectata, meditatio ad tollendam intellectus, & voluntatis in diuinis, & rebus rectè agendis ineptitudinem, exordium ponit in vita mystica. quo ita prius *b* sit, quod animale & infimum, dein quod spirituale, & perfectum est. Atque ita quoque dubium soluitur, an scilicet vita spiritualis à mortificatione, resignatione, humilitate, contemptu suijpsius, & similibus virtutum exercitijs auspicanda sit: eiusmodi enim virtutes, ipsius meditationis actus & fructus sunt.

Concedendum est nihilominus, quosdam subindè gratia ampliori præditos, citiùs, faciliusque, & quasi absque vlla meditationis remora, aspirationis statum incipere, & ad contemplationis amorosæ contuitum transgredi in principio vitæ internæ. Conformiter autem ad communem praxin, postquam antiqua vita, & peccata præterita vnius, vel alterius *c* mensis spatio deplorata fuerint, ad meditationis exercitium se se transferet incipiens. Circa quam verò materiam meditatio fructuosè magis versetur, constabit exsequentibus,

Meditationem Passionis Domini præ cæteris esse vtilissimam.

ARTICVLVS TERTIVS.

CVm inuisibilia *d* Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciantur: quidam distinctioni creationis, eiusque

a *Ps.* 38. b 1. *Cor.* 15. c *Theol. Myst. apud S. Bon. in Proloq.* d *Rom.* 1.

eiusque pulchritudini, aut virtutum amori, præstantiæque, penè totam vitam impendunt. quod quidem in pientioribus Scholasticis, diuinorum speculationibus summè deditis, quam maximè commendandum est. Nonnulli enim in mitiore consuetudine viuendi, absque rigida illa corporis maceratione, ad imitationem vitæ, & passionis Saluatoris nostri IESV Christi directa; similium consideratione se ipsos excitare possunt sufficienter; illi verò quibus propositum est pro virili stigmata Domini nostri IESV Christi, & crucis mortificationem, iugiter in suo corpore portare, (talibus hostijs ad purum scoriam deprauatæ naturæ excoquentes) nequaquam eiusmodi speculationibus occupari debent; sed absque ambage, seipsos in corpore, anima, & spiritu ad integrum Domino holocaustum offerre habent, ac eum in finem, meditationem acerbissimæ passionis in prototypon, ac viuum Exemplar sibi anteponere; pro vt securissima doctrina, & ordine perlucido ad viuum deducit Bellintanus *a* noster, quo etiam Ordinis nostri Iuniores Fratres, ad vtilissimam praxin imbuuntur. subinde tamen pro animi alleuiatione, & varietate, de virtutum pulchritudine, Beatorum gloria, aut huiusmodi quippiam meditantes.

Hæc autem vt euidentiora fiant, fructus aliquos meditationis Dominicæ Passionis apponimus. [fuit enim quidam Dei amicus, qui quæreret, quidnam *b* ei Dominus præstare vellet, qui in suis crebro vulneribus commoraretur. ad quod Dominus benignè respondit. Quisquis necessitatibus meis miserationis affectum impendens, aliquoties per diem, & noctem passionis meæ meditationi insistit, nouem indè vtilitates consequitur. Prima est, quod indè à peccatis omnibus mundatur, & quidquid neglexit, ex meis illi meritis restituitur. Secunda, quod ad resistendum securè hostibus suis ita confortatur, vt nullum ex ipso Triumphum referre queant. Tertia, quod ad bona quæque opera, diuersasq; virtutes peragendas, vires accipit. Quarta, quod quamlibet breuissima eam cogitatione reuoluat, semper anima illius in meæ gratia renouatur. Quinta, quod deuotè eam commemoranti libenter ipsi commoror. Sexta, quod arcana mihi à Deo Patre manifestata, illi similiter pandam. Septima, quod ante mortem illius ad perfectionis eum perducam apicem, & defunctum cum charissimis amicis meis remunerabo. Octaua, quod nihil eorum, quæ seriò, & rationabiliter petit, illi denegabo. Nona, quod in morte illi aduersus hostes eius assistam, & de vita æterna ipsum faciam certum, atque securum.] Vt autem Vtilissima hæc meditatio facilius peragi possit, de notabilioribus eius partibus vlterius agemus,

Meditatio tres habet partes substantiales, videlicet, Præparationem, Meditationem, & Actionem.

ARTI-

a *in Pract. Orat. ment.* b *Taul. serm. de præpar. ad felicem mortem in fine.*

ARTICVLVS QVARTVS.

PRima pars dicitur Præparatio, & hæc fit lectione alicuius mysterij, aut piæ materiæ, vel etiam actuali renouatione memoriæ eorum, quæ alias legit, vel audiuit, eo fine, vt proximè hoc ipsum consideret, circumstantias, proprietates, & similia examinet; quo ita intellectus lumen aliquod, siue notitiam acquirat, in ordine ad voluntatem rectè mouendam. Est autem Præparatio duplex, scilicet proxima, quæ vti iam dictum peragitur, & remota, qua nimirum spiritualis Athleta timorato conamine, se ipsum in omnibus suis operibus veretur, ingenti cura, & sollicitudine, mortificationisq; exercitio, sensus suos, & præcordia contutatur, ne ab exteriorum tumultuosa multiplicitate, ad caduca, mundanaue abripiatur; quæ præparatio magis certè, quam proxima illa est necessaria; quales enim in oratione, & meditatione esse volumus, tales nos esse extra orationem oportet. Præparatio ergò est accumulatio rei distribuendæ, & per singula meditandæ.

Secunda pars est ipsa Meditatio, quæ fit per auditionem, Lectionem, vel propriam conceptionem, dum indagatione, attenta cogitatione, & intimiori semper notitia, propositam materiam minuit, & quasi masticat; vt virtutes, mortificationes, & Dei gustum extrahat; affectuique seu voluntati conseruandum dein tradat; idque triplici modo, & differentia, vt habetur *a* infra.

Tertia pars est, quando intellectus tot rationibus & beneficijs commotus, tot, tamque stupenda perstringens, ipsam voluntatem aggreditur, inducitque ad actus imitationis, mortificationis, & virtutis; producere insuper facit tanquam particulares operationes ipsius actionis, affectus oblationis, petitionis, gratiarum actionis, & huiusmodi plura, secundum dispositionem internam, & conditionem temporis, ac materiæ, similiumque accidentium, quæ apud incipientes facilè mutationem, ad amorosum, vel aridum successum operantur. Ipsam autem meditationem, quæ secundum has tres partes substantiales peragitur, etiam diuersimodè practicari, consequenter dicendum est,

Meditatio tribus potissimum peragitur modis.

ARTICVLVS QVINTVS.

QVamuis infinitæ propemodum instructiones, modi, & meditandi formulæ assignari soleant; multifariè tamen magis in ipsa praxi, quot sunt meditantium capita, tot quasi & procedendi sunt actiones; quæ nihilominus triplici potissimum differentia peragun. tur. Primo, crassa, & imaginaria inhæsione, tanquam V. G. præsens quis intueretur anxietatem Christi Domini in horto, præagone nimio sanguineas sudantem guttas, audiretque Iudæ, & cohortis tumultuantes iras, accessus vincula, catenarum strepitus, & plura similia, quibus voluntas commoueri potest

a Hic a. 5.

ad compassionem. Secundo, rationali considerationе, quæ proponit causam mouentem, quæ est immensus amor, & finem, qui est Beatitudo æterna. quo ita eorum, quæ gesta sunt, veritate cognita, ad inflammandam voluntatem deindè procedat meditans. Tertio, affectuosa notitia, quando videlicet in meditatione breui, & quasi nuda apprehensione eorum quæ sibi proposita habet, mox præ bonitate diuina, & gratia sibi, humanoq; generi facta, in lachrymas, compassionem, amorem, gratiarum actionem, Deique laudem prorumpit. Et hi tres modi, quandoque ab eodem meditante, vna meditationis hora, successiuè peraguntur: In praxi enim ordine promiscuo sibi inuicem cohærent, quamuis meditans hoc ipsum sæpè non aduertat. Cum autem humana mens ad euagationem prona sit, oportet illam varijs considerationibus alligare, & ideò consequenter dicitur,

Quod In Meditatione circumstantiæ necessariò sint considerandæ.

ARTICVLVS SEXTVS.

TRia præstat circumstantiarum diligens meditatio. Primo, vt inconstans, & vaga mens, cogitatioque animum attentione, & ratiocinatione debilem, non tam facilè perturbet, distrahatque. Secundo, vt cæcutiens Intellectus lumen clarius rei gestæ assequatur, & spiritus tædia non incurrat. Tertio, vt voluntas ad virtutis, mortificationisque exercitium, validius commoueatur ab intellectu. Solent autem tales circumstantiæ, vt plurimum vsu venire, nimirum Quis sit qui hæc vel illa patiatur, peragat, vel mandet; scilicet Deus, vel Deus, & homo. Quid, id est, quam crudelia, pœnosa; Vbi, in loco sancto, videlicet in Ciuitate Hierusalem, cui multam dignitatem, & beneficia contulerat: Quibus auxilijs, scilicet ingrati Apostoli, deficientis in proditorem; & ludæorum, quibus corporis, & animæ plurimas gratias præstiterat. Cur, vt nimirum tuam animam ab inferno eriperet, cœloque redderet. Quomodo, id est, quanta humilitate, mansuetudine, patientia, omnia sustinuerit. Quando, nimirum [non ab initio, *a* aut fine mundi, sed quando salus hominum id maximè requirebat.]

Et quia de his, & similibus circumstantijs, meditationumq; modis, quam plurima, tum fusa, tum compendiosa oratione scripta leguntur, assumat, & comedat de his quilibet tantum, quantum proprius palatus de prudentis mystici consilio, appetit: in meditationis enim statu penè apud singulos aliter, atque aliter se res habet, & pro accidentium; naturarumque ordine, instructio, & praxis variat. Pro illis verò, qui in benedictionibus dulcedinis à Deo præuenti, dispositionem ad modum supernaturaliter operandi, vel à longè per odorem Diuinitatis vocantur, consequenter dicimus,

Quod

a S. Thom 3. p. q. 1. a. 5, 6.

Quod Maxima Circumstantiarum sit Meditatio Diuinitatis, quæ subindè transit in contemplationis actum.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

SIcuti meditantium quidam vtiliter, & suo statui conformiter, tota vita pijs meditationibus occupati, non singulariter Diuinitatis sublimitates indagant, at simplici, humilique corde, eo modo, quo aut legunt, aut audiunt, interioritati propriæ satisfaciunt; ita profecto illi, qui ad vlteriora mystica transire habent, omnes meditationes aliqua ad Diuinitatem transgressione, communiunt, & paulatim in eiusdem perceptione, notabile spatium meditationis vtiliter expendunt: cum enim in vno composito, Christus Dominus sit Deus, & Homo, optimè vtriusque consideratione anima deuota proficit.

Porrò, sicut [cogitatio *a* transit in meditationem, quum studiosè insistit, vt aliquid attentè consideret; ita transit in contemplationem *b* quando tenebrositate sensualis cogitationis non permiscetur, accidentia deserit, quidditatis studium, vehementius intelligentiæ lumine depurat.] & ideò [ibi non oportet *c* cogitare de creaturis, nec de Angelis, nec de Trinitate: quia hæc sapientia non per meditationem præuiam, sed per affectus desiderium habet aspirando consurgere. &[quemadmodum oportet nos *d* mori nobis ipsis, si in Deo viuere debemus, ita oportet etiam paulatim addiscere in Deo viuere, & requiescere per practicum efluxum amoris Dei; qui nos Deo vniat.] & hæc vt faciliùs tempore orationis mentalis peragi possint, consequenter dicimus,

Præsentiam Dei foueri aspirationibus, & alijs pijs exercitijs.

ARTICVLVS OCTAVVS.

VT ergò facilius, attentiusue diuinis considerationibus, tempore meditationis vacare liceat, oportet per diem in omnibus actionibus, paulatim se se ad aspirationis statum præparare, & frequenter, vel ex scriptura sacra, vel ex lectione pia, aliquas sententias, seu orationes iaculatorias assumere, quas iteratis vicibus, & affectibus cum sine interno gustu se compererit, in se ipso quasi eloquatur, & animitus proferat, iuxta illud Psalmist. Concupiuit *e* anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore. & alibi, Prouidebam *f* Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commouear.

Tanti porrò refert, præsentiam Dei aspirationibus, & mentis eleuationibus continuò fouere, vt vel maximè ideò omnia alia mortificationis, & virtutis exercitia (quæ tantopere in-

a *Gerson. Theol. myst. spec. Conf. 23.* b *Conf. 24.* c *Theol. myst. apud S. Bonauent. 3 Vnic.* d *Harph. l. 2. p. 2. c. 13.* e *Psal. 118.* f *Psal. 15.*

culcamus *a*) præscribi soleant. non quidem tanquam finis perfectionis internæ, sed duntaxat vt medium, sine quo non, ad contemplationis quietem, instabilis, & vagabundus animus pertingere potest. Vndè etiam sicut aqua turbata, aut inquieta, imaginem non recipit; sic neque spiritus vagus, & profugus super terram, varijsq; concupiscentijs allectus, & mortificationis, ac Virtutis labore nondum confractus. Et hinc iure merito tam ad aspirationis, quam [contemplationis perfectionem requiritur quies à perturbationibus *b* passionum, ad quam peruenitur per virtutes morales, & per prudentiam.] Vt autem quæ fusiùs dicta sunt de statu meditationis, compendiosa praxi complectamur, apponitur hic consequenter,

Synopsis status Meditationis.

ARTICVLVS NONVS.

MEditatio c *cordis mei in conspectu tuo semper.* ac si diceret. ô pia anima, quæ opitulante diuina gratia, vitę mysticæ initia subire statuisti, & per sacras meditationes, vnum ex altero colligis, vt ignorantiam cæcutientis intellectus corrigas, quo ita voluntatem (ad omne opus bonum languidam) piè commouere possis: noli hoc ipsum tepida negligentia aliquando facere, aliquando autem omittere; sed prorsus virili animo tam diuino muneri, totam vitam tuam sanctifica, deuoue, & consecra; ideò enim dicitur, meditatio cordis mei in conspectu tuo semper, id est, tota vita.

Non tamen ad instar Ethnicorum, aut Hæreticorum more, vel etiam spiritualem honorem ambientium, qui speculationibus rerum diuinarum ad oblectationem intellectus, & iactantiam duntaxat, se se dedicare solent; & ideò dicit, meditatio cordis mei, vt videlicet sicut ex naturali corruptione de corde *d* exeunt cogitationes malæ, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, auaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia, ita prorsus ex meditatione talem haurias vtilitatem, vt dein ex eodem corde procedant, vt fructus spiritus, cogitationes bonæ, ac charitas, *e* gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.

Ad has porrò virtutes, nulla meditatio tantum proderit, quam accurata & perspicua illa sacratissimæ vitæ, & passionis Saluatoris Domini nostri IESV Christi, in qua non tantum humanæ, sed & diuinæ virtutes, animæque oblectationes habentur, vt ideò etiam subindè, ab humana ad diuinam præstantiam considerandam transire liceat. Vndè quoq; dicit, & meditatio cordis mei in conspectu tuo, scil. diuino; quatenus non semper hæreas, in considerandis mysterijs humanitatis, sed etiam diuinitatis, cum Saluator noster simul in eodem

a Inf. dec 3. n. 1. & 2. b S. Thom. cont. Gent. l. 3. c. 37. c Ps. 48. d Marc. c. 7. e Gal 5.

eodem composito fuerit; sitque Deus, & homo. Quæ vt faciliora euadant, diligenter obseruentur tres partes substantiales, scilicet præparatio, meditatio, & actio; idque vel imaginatione, ac si præsens omnia intuereris audiresque; vel ratiocinatione, tecum cogitando causam, id est, amorem, & finem, id est, salutem humani generis, & tuam in particulari: vel affectu, dum ipso instanti cogitationis sacrorum mysteriorum, in compassionem, amorem, gratitudinem, & similia resolueris, prout ex aliquo approbato, & praxis mysticæ prudente viro audiueris, legerisvè in tali libro, quem tibi magis vtilem dideris in praxi.

Vt autem meditatio firma sit, & non facilè subiecta distractionibus, vtque intellectus clarius lumen percipiat, & voluntas penitiùs moueatur, diligens habeatur ratio circumstantiarum, quæ copiosè à meditationis scriptoribus solent explicari. Sit etiam meditatio, non sensibilis deuotio, ne propriæ consolationi affixa, amorem sensibilem extorquere labores, & fortè ex propria culpa corporis debilitatem, & capitis dolores incurras. quandoquidem sensibilis illa deuotio principaliter, ad demulcendam naturæ corruptæ insaniam, & inclinationem ad mundanas cupiditates alleuiandam, pijs animabus concedatur. Et certè si meditatio cordis tui fuerit in conspectu Dei semper, omnes illusiones, visiones, ecstases & nimias suauitates (nonnullis periculis expositas) euades facillimè. In corde enim tuo cognosces, te similia non debere appetere, ad perfectionem, & mortificationis depurationem necessaria etiam non esse, ipsis alijs taliter illusis, tandem in corde suo intelligentibus, quo mouente, quo authore, & quam modico virtutis progressu, ac mortificationis ardore, dies suos vanè, ne dicam malitiosè consumpserint. & ideò esto affluant sensibilis deuotionis diuitiæ, noli cor tuum apponere, vt meditatio cordis tui sit in conspectu Dei semper, nec ab illo oculum auertas, vt illius paruulo gustu sensualitati tuæ satisfaciat; imò modicum talem deuotionem æstimare debes, & tantum de ea assumere, quantum ad recollectionem, virtutis, & mortificationis studium, noueris esse necessarium: alioqui Deo mittente aliquam ariditatem, se seque abscondente, ex contraria sensualitate, supra modum inuenies te desolatam, & tristem.

Sit etiam meditatio cordis tui, id est, non sensualitatis, sed magis fidelitatis & constantiæ; cor enim dat animum virilem, vt infracto pectore, quæque sui muneris subire valeat. quando ergò meditatio non poterit fieri pacifica quiete, noli putare, te aliud non posse præstare, quin imò ad cordis tui virtutem, meditationem tuam recipias, & vbi vis concupiscibilis, & blandientis amoris deficit, ibi vim irascibilem commoue, te ipsam contemne, contra proprios defectus indignare, acrius virtutis & mortificationis studium propone, indignam te ipsam habeas, quæ ali-

qua quiete interna fruaris, quæ Dei amore, & gustu afficiaris: Ac demum quamcunque ariditatem, modestiam, afflictionemqúe compereris, illam insigni constantia arripias, passionem, crucem, & mortem Saluatoris pro modolo imitatura.

At ne in incertum curras, aut pugnes, quasi aërem verberans, noli propositum virtutis, mortificationis, & emendationis generali modo instituere, ac dicere, in omnibus me offerro ad quælibet toleranda, in omnibus imperfectionibus me emendabo: nam oportet, vt meditatio cordis tui sit, non alicuius indifferentis cogitationis: de corde enim particularia exeunt, scilicet inclinatio ad hoc, vel illud videndum, audiendum, dicendum, appetendum; & ideò in particulari quoque firmiter statuere habes hodie, vel vsque ad proximum tempus orationis, verbi gratia, tertio in oculis, auribus, cogitationibus, &c. mortificabo meipsam, sincero desuper examine instituto sequenti oratione, dum iterum ad propositum ventum fuerit, an prius promissa præstita sint, nec ne, dura tui ipsius increpatione adhibita, si quidquam omissum deprehenderis; illicò de nouo iterum ex corde statuens particulares defectus emendare, ne illorum absurditate, iure merito ab interna pulchritudine reijciaris.

Quod si meditatio cordis tui taliter fuerit constituta, spirituali profectui, virtutis, & mortificationis puritati, pro modulo tuo satisfacies. nec contristaberis diutiùs, quam coætanei, aut fortè tota vita, in meditatione cordis tui in melius procedas: sic enim vtiliter meditando eris quoque in conspectu Dei semper, nec te affliget, imò gaudebis amplius, si & tu cum illis, qui in perfectioribus statibus Deo coniunguntur, adstiteris duntaxat. ideò etiam non leuiter, & sine prudentis mystici consilio, ad perfectiores status transibis; sed sit semper meditatio cordis tui in conspectu Dei, si ipsi ita visum fuerit, hoc modo paulatim, & mitiori modo, tenebras intellectuales, & voluntatis cupiditates conuersura in delectationem spiritualis vitæ, virtutis præstantiam, & Dei amorem. Vt autem mystico constet, quantum in spirituali vita profecerit, consequenter dicimus

De spirituali profectu, duratione, & transitu à meditationis ad aspirationis statum.

ARTICVLVS DECIMVS.

SAcræ meditationis fidelis exercitatio, id tandem præstat, vt non solum inuisibilia *a* Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciantur, vtque in omnibus Dei operibus liceat aliquam bonam haurire cogitationem, sed etiam, vt interior spiritus ignorantia pedetentim corrigatur, substituto lumine rerum diuinarum, cuius pulchritudine facile etiam voluntas ad virtutem, & Dei amorem excitetur. quo in genere acci-

a Rom. 1.

accidit in interiori statu animæ, velut si quis ingentem, eamque per obscuram fabricam deijceret, eo fine, vt in loco vacuo lumen, & calorem solis consequeretur.

Et talis in anima felix mutatio, non ita facilè, aut modico tempore perficitur; sed apud nonnullos tota vita perseuerat; apud alios pluribus annis; pauciores tamen, postquam aliquot mensibus, aut medio circiter anno meditati fuerint, ad vlteriora citiùs se præparantes, ex gratia, & diligentia, explicitum meditandi modum deserunt, & aspirationis facilitatem sequuntur: ita tamen, vt ad cautelam, & ne diuagari contingat, si aridiores forent, ad aliquam meditationis propositam materiam, confugere possint. Qui autem tota, aut penè tota vita, fructuosè explicita meditatione occupantur, frequenter magno spiritus solamine orationes iaculatorias, & aspirationes commiscent; in praxi enim impossibile est aliter contingere, cum aspirationes scintillæ sint amoris excussi à meditatione.

At cum certò didicerit meditans, se aspirationum vsu facilius Deo coniungi, & resoluto magis animo mortificationis, & virtutis molestiam subire, securus ad status aspirationis, modos, & regulas transeat; siue multum, siue parum temporis in meditationis explicito studio impenderit; præsertim cum experientia didicerit, quibuscunque meditandi modis, nihil sibi amplius accedere profectus, & ob internam molestiam, quasi meditandi impossibilitatem; in aspirationis autem vsu benè omnia peragendi facilitatem experiri. *a* Atque hisce de statu meditationis positis, necessario hoc loco ad securam vtilitatem praxis, quædam interponenda sunt, quæ ad omnes status primæ huius partis referuntur.

a De his Conform. habet Ioan. à Cruce asc. mont. l. 2. c. 13.

DE SPECTANTIBVS AD STATVS PRIMÆ PARTIS IN COMMVNI.

DECISIO QVINTA.

NE aut Scholastici ingenium, aut Practici tædium, iusta commotione stomachari videantur, quod crambe recocta, iteratisq; vicibus inuoluantur, quæ separatim, & ordinatè dicenda forent; hinc documenta quædam, ceu generales regulas statibus primæ Partis, scilicet Meditationis, Aspirationis, & Contemplationis, tam negatiui, quam affirmatiui modi, necessarias; post aliqua-

lem

lem instructionem, & praxin adeptam, hoc vt conuenientiori loco, subijcere oportuit, & dicere,

I. Ex amissione originalis iustitiæ profluere omnium vitiorum radicem, non nisi virtutum, & amoris diuini exercitijs sanandam.

II. Exercitium mortificationis, & virtutis, in actibus certis, & determinatis, est omninò necessarium.

III. Quod sensibilis deuotio ordinetur ad lenimentum naturæ corruptæ, virtutis, & charitatis exercitia.

IV. Quod sensibilis deuotio, ne exponatur gulæ spirituali, visionibus, & illusionibus Dæmonum, sobriè accipienda sit.

V. Tempore orationis mentalis inordinatam violentiam cauendam esse.

VI. Quod tempore orationis mentalis, super omnia sincerus animus erga Deum sit spectandus.

VII. De modo se habendi circa distractiones tempore orationis mentalis.

VIII. De modo se habendi in tentationibus.

IX. De quibusdam impropriis causis priuationis, tædij spiritualis, & subtractionis sensibilis deuotionis.

X. In ariditate vim irascibilem per actus rectæ intentionis, & resignationis excitandam esse.

ARTICVLVS PRIMVS.

Ex amissione originalis Iustitiæ, profluere omnium vitiorum radicem, non nisi virtutum, & diuini amoris exercitijs sanandam.

INfelix ego homo, rectè inclamat Apostolus, *a* quis me liberabit à corpore mortis huius. Video enim, inquit, aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quę est in membris meis: quia non quod volo bonum, hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago. Eiusmodi autem repugnantiam cum quilibet in se plus minus ita experiatur, vt in mystica exercitatione, quam plurimum sentiat impedimenti, perfectionis spiritualis amantes, & qui pro Domino non ita certant, quasi aërem verberantes; sed castigantes corpus suum, & in seruitutem redigentes; dum volunt facere bonum, quod reperiunt adiacens malum radicitus extirpare gestiunt, & sollicitè conantur. quod cum maximè sit necessarium, pro faciliori notitia & praxi tria hic dicenda erunt: Primò, vnde dicta repugnantia profluat. Secundo, quod virtutum moralium, & Theologicarum; Tertiò autem diuini amoris infatigabilibus exercitijs, sananda sit. Ad primum ergò quod attinet, sciendum est quod [Deus fecit Hominem rectum. *b* erat autem recti-

a Rom. 7. *b* S. Thom. 1. p. quæst. 95. a. 1. c.

rectitudo secundùm hoc, quòd ratio subdebatur Deo; rationi verò inferiores vires; & animæ corpus. Prima autem subiectio erat causa & secundæ, & tertiæ. quam diu enim ratio manebat Deo subiecta, inferiora ei subdebantur: [posteaquam verò *a* præcepti facta est transgressio, confestim gratia deserente diuina, de corporum suorum nuditate confusi sunt, senserunt enim motum inobedientis carnis suæ, tanquam reciprocam pœnam inobedientiæ suæ; Ex quo datur intelligi, deserente gratia, soluta est obedientia carnis ad animam; quod per gratiam in anima existentem inferiora ei subdebantur.] atque ita [ex dissolutione harmoniæ *b* originalis iustitiæ,] subsecutus est [languor *c* naturæ, id est, inordinata dispositio: [idque [non vt pura priuatio, sed vt habitus *d* corruptus, & inordinatam dispositionem partium animę] causans. hinc ergo sequitur, quòd omnes defectus *e* virtutum possint reduci ad peccatum originale, in quantum includuntur in carentia originalis iustitiæ, quæ totam animam perficiebat.] hoc ipsum autem principaliter in tribus animæ viribus quam maximè videre licet. Primò enim vis rationalis admodum obscurata est, & mentis hebetudine obuoluta, ita vt ad primam, & summam veritatem sese habeat, vt oculus noctuæ ad lucem. Secundò autem vis concupiscibilis ab incommutabili bono ad commutabile, vsque adeò conuersa est, vt in his, quæ sensibus percipit, facillimè tanquam muta animalia corrumpatur. Tertiò verò, vis irascibilis, tam infirma & debilis est, vt malo, & quidquid bono, aut virtuti aduersatur, vix sine graui violentia reluctari possit.

Ad secundùm autem quod attinet, sicut ex amissione originalis iustitiæ tanquam ex radice, omnia vitia, & peccata profluunt, ita ex contrario virtutum scilicet remedio curantur; vario tamen virtutis gradu. Et primò quidem cum [homo secundùm suam naturam sit *f* animal politicum; virtutes quæ in homine existunt secundùm conditionem suæ naturæ politicæ vocantur, pro vt scilicet homo secundùm has virtutes rectè se habet in rebus humanis gerendis.] Secundò verò [quia ad hominem *g* pertinet, vt etiam ad diuina se trahat, quantum potest, & hoc nobis in sacra Scriptura commendatur multipliciter (secundùm illud *Matth. 5.* Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est;) necesse est, ponere quasdam virtutes, medias inter politicas, quæ sunt virtutes humanæ; & exemplares, quæ sunt virtutes diuinæ: quæ quidem virtutes distinguuntur secundùm diuersitates motus, & termini; ita scilicet, quòd quædam sunt virtutes transeuntium, & in diuinam similitudinem tendentium. & hæ vocantur virtutes purgatoriæ; ita scilicet, quod prudentia omnia mundana diuinorum contemplatione despiciat, omnemque animæ co-

a *S. Tom. ibid.* b *1.2. q. 82. a. 1. c.* c *ibid.* d *ibid. ad 1.* e *2.2. q. 53. a. 1. ad 2.* f *Platin. apud Macrob.* g *1.2. q. 61. a. 5. c.*

gitationem in diuina sola dirigat: temperantia verò relinquat, in quantum natura patitur, quæ corporis vsus requirit: fortitudinis autem est, vt anima non terreatur propter excessum à corpore, & accessum ad superna. Iustitia verò est, vt tota anima consentiat ad huiusmodi propositi viam. Quædam verò sunt virtutes iam assequentium diuinam similitudinem, quæ vocantur virtutes iam purgati animi, ita scilicet, quod prudentia sola diuina intueatur, temperantia terrenas cupiditates neſciat, fortitudo passiones ignoret, iustitia cum diuina mente perpetuo fœdere societur, eam scilicet imitando, quas quidem virtutes dicimus esse Beatorum, vel aliquorum in hac vita perfectissimorum.] Tertiò autem [sunt aliæ virtutes homini necessario infusæ *a* ad supernaturalem finem consequendum, quæ Theologicæ dicuntur. & sunt *b* Fides, Spes, Charitas. Et primò quidem, quantum ad intellectum, adduntur homini quædam principia supernaturalia, quæ diuino lumine capiuntur: & hæc sunt credibilia, de quibus est fides. Secundò verò est voluntas, quæ ordinatur in illum finem: & quantum ad motum intentionis in ipsum tendentem, sicut in id quod est possibile consequi: quod pertinet ad spem: & quantum ad vnionem quandam spiritualem, per quam quodammodo transformatur in illum finem, quod fit per charitatem: appetitus enim vniuscuiusque rei naturaliter mouetur, & tendit in finem sibi connaturalem: & iste motus prouenit ex quadam conformitate rei ad suum finem.] Quia verò [peccatum originale est habitus, qui est inordinatio *c* naturæ, non autem actuale peccatum, quod est inordinatio actus:] hinc è contrario, [virtus *d* est bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nullus malè vtitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur,] pro huius autem diffinitionis notitia est notandum, quod habituum operatiuorum *e* aliqui sunt semper ad malum sicut habitus vitiosi, aliqui vero quandoque ad bonum, & quandoque ad malum; sicut opinio se habet ad verum & falsum: Virtus autem est habitus semper se habens ad bonum, & ideo vt discernatur virtus ab his quæ semper se habent ad malum, dicitur, Qua rectè viuitur: vt autem discernatur ab his, quæ se habent quandoque ad bonum, quandoq; ad malum; dicitur, Qua nullus malè vtitur. Causa autem efficiens virtutis infusæ (de qua diffinitio datur) Deus est; propter quod dicitur, Quam Deus in nobis sine nobis operatur.] in actus autem exercitio Virtus est actus ordinatus, & debitus: Vitium est actus inordinatus, & illicitus. Vtriusque autem actus tam vitij scilicet, quam virtutis, maiores vel minores fiunt, secundùm quod intenduntur, vel remittuntur, ac etiam pro [obiectorum diuersitate *f* multiplicantur; tam circa operationes, quam passiones.] ac variè exercen-

a 1.2.q 62.a 1.c. *b* a.3.c. *c* 1.2.q 82.a.1.ad 2. *ibid.* q.55.a.4. *d* *ibid.* in 8. *e* *ibid.* *f* 1.2.q.60.a.1.c. & a.3. & 4.

centur ad vitia extirpanda; & quidem directè per contraria; ita vt sicut vitium contrariatur virtuti, sic pro sanando aliquo vitio assumitur talis virtus, quæ vitio ex toto opponitur, vt v. g. vitio superbiæ humilitas, luxuriæ castitas, superfluitati paupertas Euangelica, garrulitati silentium, ac ita consequenter de singulis; prout ad longum tot inuenire est libros, vt te integris sarcinis onerare possis: ad quos quilibet, pro vt sibi permissum, aut à viro intelligente persuasum, vel secundùm propriam deuotionem magis vtile visum fuerit, recurrere potest. Nostri enim instituti non est, eiusmodi libros de nouo describi, aut imprimi facere: qui pro cuiuslibet captu, & mensura donationis Christi, accuratè satis ea, quæ pertinent ad vitia cuiusque extirpanda, ac virtutes inserendas pertractant. Vnde etiam hoc loco ea duntaxat breuiter ponimus, quæ ad notitiam praxis necessariò facere, iudicauimus.

Ad Tertium verò quod attinet; nihil vsque adeo vicissim ex radice inordinatum appetitum, tam sensitiuum, quàm intellectiuum sanare potest, quã [charitas, quę est habitus in anima creatus, *a* qua homo inclinatur in actus omnium virtutum propter Deum, vt illos promptè, & faciliter operetur;] per strenuam actuum virtuosorum exercitationem. Et sic ex radice languor animi, & inordinata inclinatio ad vitia sanari poterit. ita vt etiam virtutes, quæ inter se connexæ sunt, dum vnam habet alias quoque possideat, ex ipsa bona mentis qualitate profluentes, plus minus tamen intensas, secundùm quod in statibus vitæ mysticæ progressum quis fecerit: vt enim ex vera perfectione inordinatas passiones, & corporis dolores potius dijudicet, quàm molestè sentiat; ad donum supernaturalis sapientiæ, si non potius ad altiorem aliquam gratiam, pertinere videtur. Sicut autem Virtutes Theologicæ absque charitate esse non possunt, ita virtutes politicæ, vel [morales, *b* quæ scilicet per humanam industriam acquiruntur, sine charitate esse possunt;] & prô dolor sunt nimis apud illos, qui ambitionis vitio elati; ne vlli inferiores videantur, & laudem quoque ex virtute, ac spirituali vita ad oculum, phariſæis, & sepulchris dealbatis proprium, venentur: ijsdem politicis nimirum & moralibus virtutibus se ornare solent. in quo quidem simulationis genere longè præcellunt illi, qui Satanæ malitia perfusi, tum maximè solari videntur, cum per fictas *c* Ecstases, visiones, & reuelationes phantastica compositione ementitas, sua diuendunt, & apud incautos, præter omnium virtutum culmen, etiam sanctitatis honorem aucupare norunt. & ideò pro omni cautela fructus charitatis, & opera carnis examinet ille, qui decipi non vult. [omnes enim species iustitiæ *d* quas habent serui Dei in veritate, possunt habere serui Diaboli in simulatione. so-

a 2.2.q.23.a.2.c. b 1.2.q.65.a.1.c. c *infra decis.* 8.a.5. d *S. Chrysost. apud Harph. l.1. p.2. c.98.*

ne, ſolam autem charitatem Spiritus ſancti non poſſunt habere.] ſunt autem opera carnis *a* fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, cõmeſſationes, & his ſimilia. Fructus autem ſpiritus ſunt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Et ſecundùm hæc quomodo *b* in aquis reſplendent vultus proſpicientium, ſic corda hominum manifeſta ſunt prudentibus. qui ergò vtiliter virtutum exercitio vitia ſuperare, & ex radice delere voluerit, in omnibus ſuis actionibus ad primam charitatem, quæ Deus eſt, per internam recollectionem, ſeu præſentiam Dei confugiat, & oculum ſpiritus ſemper ad Deum conetur eleuare: ſiue hoc fiat per aſpirationem, intuitum, vel contemplationem, vel actus reſignationis, mortificationis, humiliationis, vel alia quæcunque demum, per quæ quilibet ſeſe ad intra attentiùs ad Deum occupare potuerit.

Virtutis tamen amans, & ſincerè ſtudioſus non contriſtetur, ſi etiam poſt multorum annorum labores, & perfectionis conatus, varijs paſſionibus ſeſe adhuc ſubijci videat. nam [paſſiones *c* neque virtutes ſunt, neque malitiæ,] & etiam [omnes *d* motus appetitus ſenſitiui paſſiones dicimus,] motus ſcilicet primo primi, in quibus nec vitium, nec virtus eſt. Atque etiam hinc ſequitur, quod [virtutes *e* morales, quæ ſunt circa paſſiones, ſicut circa propriam materiam, ſine paſſionibus eſſe non poſſunt: cuius ratio eſt, quia ſecundùm hoc ſequeretur, quod virtus moralis faceret appetitum ſenſitiuum omnino otioſum: non autem ad virtutem pertinet, quòd ea quæ ſunt ſubiecta rationi, à proprijs actibus vacent: ſed quod exequantur imperium rationis proprios actus agendo. Vnde ſicut virtus membra corporis ordinat, ad actus exteriores debitos, ita appetitum ſenſitiuum ad motus proprios ordinatos,] ac etiam virtutis exercitium non turbat, ſed ad virtutem pertinet, quod [aliquis bono habito fruatur, *f* vel non habitum habere deſideret. vel quod etiam malum futurum caueat, vel quod appetitus ſenſitiuus rationi conformetur, vel quod triſtetur moderatè *g* in quibus triſtandum eſt. [& hoc *h* etiam vtilè eſt ad fugiendum mala: ſicut enim bona propter delectationem promptius quæruntur; ita mala propter triſtitiam fortiùs fugiuntur.]

Nemo autem è contrario virtutis exercitio ſe ſatisfeciſſe, aut rem magnam ſe præſtitiſſe perſuaſum habeat, ſi culicem excolans, camelum deglutiat, & ſi in rebus corpori neceſſarijs, v.g. in potu aut cibo, vel ſimilibus, ſubindè modicum quid ſenſualitati ſubtrahat, & interea vitia ſpiritus, puta vanam glo-

a *Gal 5.* b *Prouerb. 27.* c *Ariſtot. 2. Ethic. c. 5.* d *1. 2. q. 59. a. 5 c.* e *ibid.* f *1. 2 q. 59. a. 3. c.* g *2. Ethic. c. 7.* h *ibid.*

gloriam, propriam æstimationem, iram, vindictam, similiaque complura minus obseruet, aut non strenuè emendet. austeritatis namque & abstinentiæ virtus, primò quidem in charitate, & in orationis frequentia radicata, alias pleraſque, & singulariter spiritus virtutes, comites habere solet: si eiusmodi austeritates in Deo radicem iecerint, & non in alio aliquo spiritus vitio, pro vt complura exempla docent illum qui ex multa lectione fructum capere nouit. Vt autem in virtutis praxi solidè spiritualis Athleta deducatur, consequenter vrgemus, & dicimus,

Exercitium mortificationis & virtutis, in actibus certis, & determinatis esse omninò necessarium.

ARTICVLVS SECVNDVS.

PIa consideratione diuina, & humana mysteria percurrere, ipsi etiam naturæ gratum est, & consolatorium; at virtutis, & mortificationis exercitium, etiam constanti animo horrorem incutit. Tepidiores ergò ne meditationem non perfecisse videantur, dum affectum ad imitandas Saluatoris, B. Virginis, aliorumque Sanctorum virtutes, & mortificationes excitant, in genere quidem secum statuunt, ac proponunt, in omnibus Deo placere, omnia quæ recta, pia, & optima nouerint, imitari, dein nihil penitus, aut minus, quam modicum præstantes. Cum autem actiones humanæ sint singulares, earumque nullus præ momentanea successione, apud nos sit numerus, quis sincerus mortificationis amator in genere singula corriget? etsi cum proposito particulari v. g. tribus vicibus hoc die contemptus sui ipsius; vix tamen se hoc ex corde præstitisse comperit, quis absque propria tepiditate, & deceptione, omnia & singula, generali tali quali cogitatione, in melius emendanda, sibimet persuadere audeat?

Eapropter spiritualis profectus sincerus amator, virili pectore indies seuera animaduersione seipsum determinatis actibus mortificationis, qui inordinatos appetitus respiciant, excruciet, & dicat (ô fons *a* vitæ moriar, vt te videam; mortificem me, vt te fruar; abnegem me, vt liceat loqui tecum.) ne mors ingrediatur per *b* fenestras sensuum externorum, & internorum, addatque imaginationi, & intellectui ad antiquas & memoria recorditas species, nouissimas peiores prioribus. Si verò mysticus non vsque adeò se pronum ad immortificationes inuenerit, non ideò tamen naturam in melius commutare desinat; sed actus determinatos alicuius virtutis, puta humilitatis, mansuetudinis, &c. exercendos statuat. Virtus enim cum sit recta animi affectio, bonum sub ratione pulchri, & decoris appetens, occasionem præbebit abundantem, vt in die malo tentationis, & ariditatis non facilè, ab incommutabili, ad commutabile bonum deflectat. Veruntamen qui durioris cerujcis natu-

a *S. Augustin. in soliloq.* b *Ierem. 9.*

ram experiuntur, esto animus promptus sit; cum tamen caro sit infirma, & ad obsequendum religiosis functionibus contraria, sancto *a* odio in seipsos excandescentes, statuant illud Prophetæ. *b* Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar, donec deficiant; confringam illos, nec poterunt stare, donec cadant subtus pedes meos. quasi diceret, si alius gustus erga Deum mihi non sit, in hoc gaudebo, quod meipsum quoquo modo mortificare possim, qui ex mea propria imperfectione incapax sum, diuino solatio perfrui.

[Debet ergò humana natura bestialis, *c* carnalis, & indomita quibusdam violentis, & continuis exercitationibus habilitari ad spiritualia: velut iumentum indomitum, ad iuga corporalia, & onera portanda.] non tamen cum indiscreto impetu, quo aliqui vno die seipsos penè suffocant, alio autem plus æquo sibi indulgent, [sed *d* natura paulatim frangenda est, & in consuetudinem illi vertenda mortificatio, idque diligenter, & irremisso studio, imò, & perseueranter; neque enim hoc vnius diei, nec modici temporis negotium est. Perseuerantia demum, quod prius molestum, ac difficile erat, iucundum, & facile reddet, vti de Sanctis legitur, qui in paucis vexati *e* in multis benè disponentur.] Qui autem in *f* minori infidelis est, & in maiori erit: & si quis in tot auxilijs regularis disciplinæ, à quotidianis immortificationibus non abstinet, etiam tanquam porcus diuinarum consolationum margaritas conculcaret: vnde iure merito aridi, & steriles ingrediuntur, & egrediuntur, sibiipsis quidem graues, seruentioribus autem intolerabiles. [naturæ enim sensualitates, *g* & oblectationes etiam in minimis exequentes, facilè refrigescunt in amore, desipiunt in spirituali sapore, decrescunt in virtute, defluunt in abominandam ingratitudinem, & tepiditatem.] Vnde & talibus dies formabuntur, & nemo *h* in eis: vt scilicet canitiem, & caluitiem annosa vita consequantur; pietate quidem, & virtute inanem, duritia autem spirituali plenam.

Cæterum actus determinatos mortificationis, & virtutis requiri per explicitum, & quotidianum propositum, ad orationis mentalis initium, & progressum in statibus incipientium & proficientium, (vt conditio sine qua non, scilicet meditatio, aspiratio, vel contemplatio decenter peragi valeant) ab eo maximè prouenit, quod ex originali peccato homo magis sit inordinatus in voluntate, quàm in intellectu. Vnde etiam facilius benè & rectè agenda cognoscit, quam vt illa velit, & in actum deducat. intellectus enim tantummodo bonam actionem per apprehensionem incipit, voluntas autem, dum quod intellectus cognouit in opere perfi-

a de quo fusè Alphons. Madril. de meth. seru. Deo. b *Psal. 17.* c *Harph. l. 3. p. 5. c. 34.* d *Taul. Dom. 17. post Trin. serm. 2.* e *Sap c. 3.* f *Luc. 16,* g *Harph l. 3. p. 3. c. 18.* h *Psal. 138.*

perficit, bonum integrum, & perfectum complet. hinc etiam [non intellectus sed voluntas *a* virtutis simpliciter subiectum est.] quia verò modi sese mortificandi tam innumerabiles sunt, & varij, quam naturæ corruptæ, & vitæ humanæ instabilitas, ac noue, & se inuicē subsequentes inordinatæ inclinationes. eapropter semel pro semper obseruandū est, vt in omni tempore, actu, & occasione contra appetitum sensitiuum (cum moderamine tamen, & discretione) procedat. vt v. g. si inclinetur ad loquendum, vel audiendum superflua, vana, aut nociua, vel appetat gustare, aut cogitare illicita; subitò, & absque mora ab illis sese cohibeat, animum auertat, & quam maximè actus odij, & contemptus suiipsius producat, & hoc ipsum non tantum in defectibus notabilioribus; sed etiam minimis; æque enim illaqueat funis ex filo serico tenui; quam ex grosso canabe confectus, dummodo ita ligetur aliquis, quod sui iuris non sit. Tandem vt vt quisque sua instituat, [Deum *b* nullus spiritualiter videre poterit, & mundo carnaliter viuere: mori igitur necesse est proprijs carnis cupiditatibus, si vis Deum pura mente orare:] sine pace enim & sanctimonia *c* nemo contemplabitur Deum. Et pax quidem exercitium mortificationis, quo proprij defectus, vitia & malæ inclinationes emendantur, respicit: & [aliud martyrij *d* genus, non illud, quo colla secantur ferro; sed quo spiritu facta carnis mortificantur, horrore quidem mitius, diuturnitate autem molestius,] constituit: ac seruat seipsum odiendo, ne perdat seipsum amando. Sanctimonia autem ad exercitium virtutis refertur, & perfectionis religiosæ studiosum ad omnes actus ordinatos, pios, exemplares, ac sanctos imitandos, excitat.

Interea verò, dum per vtrumque, pro vt cuiuslibet diei malitia proposuerit, tam proficiens quàm incipiens mysticus sese depurat, & adornat; sæpè in deuotione, & quiete interna, & acquirenda, & seruanda laboriosa inuenitur occupatio. [si enim passim omnibus interna illa requies, & otium innotesceret, omni profectò exteriori exercitio, ac mortificationis *e* studio, quæ dura sunt imperfectis, posthabitis, atque neglectis, ante tempus sese interioribus traderent exercitijs: vndè postmodum grauem acediam, & bonorum incuriam operum incursuri essent.] quamuis ergo summè necessarium sit incipientibus, & proficientibus, vt per mortificationes vitia eradicent, & per virtutes omne opus bonum imitentur, pro vt hic ex proposito fusiùs inculcare voluimus, hæc tamen nondum sufficere, consequenter videndum est,

Quod sensibilis deuotio ordinetur ad lenimentum naturæ corruptæ; virtutis & charitatis exercitia.

ARTI-

a 1.2. q. 56. a. 3. c. *b* S. Gregor l. 18. moral. c. 28. *c* Hebr. 12. *d* S. Bernard. in Cœna Dom. serm. 2. & in Cant serm. 30. *e* Taul. Instit c. 32.

ARTICVLVS TERTIVS.

Sicut voluntas non mouetur ad aliquid, nisi sub ratione boni, pari modo, vt à bono ad melius promoueatur, sub melioris quoque boni ratione fiat oportet: ideò incipientes, & proficientes, (qui naturæ corruptæ, & cupiditatibus oneratæ impugnationem, absque eo quod mole succumberent, haud quaquam sustinere valerent,) à largitoris benignitate in spiritualibus exercitijs suis, solent benedictionibus dulcedinis præueniri, quo ita brutali corruptionis feritati, diuinum lenimentum accedat, & robur, siue vmbraculum æstus meridiani, ac blandientis mundi, quilicet cum vitijs, & concupiscentijs Tyrones spirituales in consensum non pertrahat, solet tamen forti armatura imaginationem, & concupiscibilem vim infatigabiliter oppugnare, alijs atque alijs modis, & adinuentionibus. Vndè etiam sensibilis hominis pars, sensibili deuotione affici debet, vt simili scuto se se opponat. & ideò [gratia *a* diuina defluit, vsque in extremas, & infimas animæ vires. Ac indè prouenit amor cordialis, & ad Deum delectatio sensibilis, quæ duo replent, & perfluunt cor, & sensus, carnem, & sanguinem, omnemque naturam corporalem.] [quando enim voluntas iudicio rationis aliquid eligit, promptiùs, & facilius id agit, si cum hoc passio in *b* inferiori parte excitetur; eo quod appetitiua inferior est propinqua ad corporis motum, passio autem ipsa consequens in inferiori *c* appetitu, est signum, quod sit motus voluntatis intensus. non enim potest esse in natura passibili, quod voluntas ad aliquid fortiter moueatur, quin sequatur aliqua passio in parte inferiori.] atque ita adæquatè, imò fortiùs, armatus Athleta [cum impetu *d* quodam (scilicet amoris diuini) inclinat in suum obiectum,] virtutis nimirum, & mortificationis, quorum intuitu facta carnis mortificat, Dei benignitatem in se collaudat, eiusque beneficijs gratias agit.

At prorsus eiusmodi sensibilis deuotio à Deo non datur, vt in eius suauitate nimium quiescatur, aut principalis finis exercitiorum spiritualium in ea collocetur, aut etiam eius defectu querimoniæ, tristitiæque circumferantur. hoc enim potiùs esset propriam oblectationem, otium & pigritiam, quam robur ad nutrimentum charitatis, virtutis, & mortificationis quærere. à contrario autem cauendum etiam est, ne quis vana complacentia abstractus suis meritis aut virtutibus adscribat diuinam illam dulcedinem, aut alios afflictos, aridosque despiciat; nam tempore suo, etiamsi modo in cœlum *e* posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus. Considerandum etiam est miseram vitæ nostræ conditionem dulcibus amara, & iucundis tristia miscere; grandis enim adhuc restat via, & antequam diuina conuersatione habitualiter dignetur, sæpè consolatiuncula spirituali refici indigebit: fortè ne si videat super se cœ-

a Harph. l. 3. p. 3. c. 18. *b S. Thom. de verit. q. 27. a. 2. c.* *c Proph. Abdiæ c. 1.*

cœlum æneum, aut terram cordis sui ferream, animum despondeat. Humiliter ergò sibi sua seruet abscondita, omniaque in Dei gratuitum amorem referat, nec altum sapiat, sed timeat. Pro horum verò maiori euidentia de periculis, quæ in praxi circa sensibilem deuotionem eueniunt, latiùs hic dicendum erit,

Quod sensibilis Denotio, ne exponatur gulæ spirituali, visionibus, & illusionibus Dæmonum sobrie admittenda sit.

ARTICVLVS QVARTVS.

GVlam spiritualem, qua incorrecti adhuc homines, Dei dilectionem in carnalis amoris sensibilitatem, peruertere solent; ab omnibus mysticæ disciplinæ Patribus, vt vitiosam & periculosam conspui, nemo non nouit, qui aliquod saltem initium interioritatis posuerit. cum autem varia de sensibili deuotione occurrant obseruatione dignissima, diligentiùs examinanda erunt ipsius amoris annexa, & circumstantiæ; tum quantum ad subiectum, tum quantum ad modum, tum etiam quantum ad abusum: & tandem ad ipsam Dæmonis illusionem spectare videtur. Quantum ergò ad subiectum attinet, [est quædam *a* affectuosa dilectio, quæ scilicet interdum minus diligentem, & minus perfectum plus afficit. Non ergò quisque tantum diligit, quantum hanc affectuosam dilectionem sentit, & quantum in illo statu sibi diligere videtur; sed quantum in virtutibus & charitate fundatus fuerit, & in seruandis mandatis fidelis habetur. Nam dulcis in Deum affectus quodammodo carnalis est & fallax, & interdum potiùs humanitatis, quàm gratiæ; cordis, quam spiritus: sensualitatis, quam rationis: ita, vt magis accendatur aliquando ad minus bonum, & ad maius bonum minus afficiatur, & ad aliquid, quod amplius sapit, quam quod expedit. Hoc affectu discipuli errabant, qui carnaliter Christum diligebant, cuius præsentia carere nolebant. Vnde tanquam non diligentes eum arguebantur, qui quod delectaret magis, quam quod expediret, amplectebantur. sic affectuosè quandoque carnalis aliquis, & imperfectus ad Deum afficitur, non quod valdè diligat, sed quod gratiæ dulcedinem deguster. Quæ quantum durat, tantum iuuat; & quam diu durat dulcedo, tàm diu durat dilectio. Sed non agnoscitur in bonis istis amicus. nam interdum hanc magis sentit qui leuis est corde, & inops gratiæ. Quia faciliùs mouetur qui leuior fuerit, & expers consolationis delectabilius oblatam recipit, cuius dulcis affectus causa interdum est, non gratiæ copia, sed mentis inopia. Exigua namque lætificant pauperem.] sincerus ergò spiritualis perfectionis amans sensibili deuotione vti debet, tanquam viuo alimento, quo roboratus vitia sua extirpet, virtutes strenuè imitetur, & opera charitatis promptè exequatur.

a Harph. l. 3. p. 5. c. 33, ex Richard. super Cantic.

Ad modum verò quod attinet, sciendum est, quod [intellectus *a* & phantasia passionem efferant, vt concupiscentiæ, iræ & huiusmodi; ex quibus cor calescit, vel infrigiditatur.] & sic facilè [homo in sua *b* ad Deum conuersione sentit circa cor magnum, validumque motum: quia cor saltat in pectore, velut piscis in aqua; & tunc repentè sensitiuæ vires colliguntur in vnum, & in vna affectione liquefiunt, ita vt omnem distractionem oporteat cedere. Illis autem, qui in ista via se benè, aut fideliter exercitauerunt, istud continget, quoties, & statim vt se ad Deum conuertere voluerint, etiam millesies in die.

Cordis Impetus.

Quando igitur aliquantisper circa istam introuersionem perseuerare vult, tantam violentiam cor suum ab affectionibus sustinebit, quod exteriora membra sua compescere non valebit, quin exteriùs benè aduertatur ab eo, qui huius rei intelligentiam, aut experientiam habuerit. Cor etiam in corpore non solum saltabit, verùm etiam aperiet se, & claudet in modum ianuæ, ita vt plerumque etiam audiri possit. Ex hac magna cordis agitatione, sæpè venit in caput ascendendo magnus ventus, ac si gladio caput ipsum percuteretur: quia impulsus cordis adhuc sursum ascendit, & si habuerit caput debile, diu durabit iste ventus: si verò fortis capite fuerit, peribit mox, vt exercitium dimiserit: imò non recipiet ipsum, nisi cum punctionibus, quæ statim recedent.

Exercitia fortia quatenus exercenda.

Et secundùm hoc necesse est, vt vigorosa stimulatiua exercitia moderetur, ne caput suum nimis debilitet, sed exspectet (moderata exercitatione) donec exercitium per se subtilius efficiatur, quia quantò diutius se homo in isto exercitauerit, tantò aptior semper efficitur spirituales impulsus recipere, & vti sine læsione. Simili modo contingit ex isto magno, vigoroso, impetuoso, aut stimulatiuo exercitio, quo sanguis circa cor propter ingentem calorem, & pressuram bullire incipit, præsertim in illis, qui natura impetuosi, & studiosi sunt, & affectione stimulatiui, aut impulsiui, qui licet sentiant præfatum calorem circa cor, aut sanguinis ebullitionē, nihilominus instant se per suum exercitium semper perurgendo sine discretione; finaliter autem sæpè seipsos perducunt in magnam tribulationem, quia sanguis ex continua ebullitione circa cor, valdè ingrossatur, & inhabilitatur.

Cordis Clausura.

Et cor hominis, (quod naturaliter se aperit in omni iucunditate, & affectuositate, in omni actuosa deuotione, & sensibili amore) naturaliter se claudit, eo quod non vult recipere grossum sanguinem iacentem circa cor ingrossatum ex nimio calore, qui euenit in exercitatione: & tunc spiritua-

a S. Thom. opusc 35 in fine. b Harph. l. 2. p. 3. c. 42.

tualis iucunditas vertitur in mœrorem, quia naturale est, vt clausum cor contristetur, & triste claudatur: Hæc autem clausura cordis frequenter tam firma efficitur, vt nullo modo iterum velit aperiri: & tunc priuantur omni deuotione sensibili, aut experimentali, & sensibili amore: tunc conqueruntur se à Deo derelictos, & in pusillanimitatem deueniunt, & penè in desperationem, cum tamen verè hoc sibiipsis fecerint per indiscreta exercitia, quibus naturam inhabilem fecerunt ad seruiendum spiritui. Et quantò amplius laborant cum violentia pro deuotione recuperanda, tantò magis ab ea elongantur. Etiam per impatientiam, & inquietudinem cordis magis indispositi efficiuntnr, obtenebrantur, obdurantur, & peruertuntur in seipsis, perducuntque se ad ineffabilem angustiam, & tribulationem.] & hi quidem longè melius ad profectum spiritualem operarentur, si nimiam hanc, & impetuosam sensibilitatem, subtili ad Deum complacentia declinarent; quod quidem si in principio vitæ spiritualis non fiat, difficulter ex annosa sensualitate erui poterit.

Circa abusum autem ex sensuali hoc amore, videas subinde quosdam viros, maximè verò deuoti fœminei sexus, anus, & iuuenculas, ad libitum quasi in raptum abire, in terram cadere, viribus, & penè vita destitui; cum admiratione maxima, laudis, & sanctitatis nota præsentium. quæ etiam, quod indignissimum est, Scioli quidam, & praxis spiritualis ignari, ne dicam rudes confessarij vt penè miracula reuerentur; non attendentes si eiusmodi ex Deo, & mystica ecstasi, rapturuè procederent, quod tam notabiles inobedientias, aut superbiæ, aliorumque defectuum maculas, comites non haberent. prouenit autem (præterquam quod Satanica illusio in talibus suam operam egregiè collocare valeat) similis deceptio ex inordinata sensualitate, quam ex gaudiosis Sacræ Humanitatis Christi mysterijs ad naturam propriam trahunt; sicut è contrario mater filij sui amans, vbi eius mortem intellexerit, ipso instanti extra sa rapta, decidit, langueſcit, & immobilis penè animam efflat: quæ potiùs deliquia inordinato amore cor, & spiritus vitales opprimente, quam exercitia mystica dici debent. At cum de istis plurima notatu dignissima spirituales *a* magistri tradiderint, sufficiat hic prudentem virum monuisse, ne similibus leuiter fidem adhibeat, magnifaciat; certus, quod sensibilis illa deuotio (non tantum status meditationis, vel aspirationis, sed contemplationis, omniumque statuum modi operandi naturaliter) amorem concupiscentiæ paulatim tanquam sub cineribus, & fauoribus mysticis sopiat duntaxat; postmodum verò, si à Deo dignati fuerint vlteriori gratia, seseque congruè disposuerint, in statu priuationis pro absoluto modo

a *Rusbroch. spec. sal. ater c. 18. & lib. 2. de orn spir. nupt. c 76. &c. Taul. in fest. S. Augustin. in serm. 1. Ioan. à Cruce, Asc Mont. Carm. l. 1. c. 9. 18. 19.*

operandi supernaturaliter, extinguendum. Ille ergò, cui incumbit rationem pro animabus reddere, omni potiùs studio inuigilet, vt illos, qui eiusmodi visionibus, ecstaticisq; raptibus obnoxij sunt, in mortificationis, obedientiæ, & humilitatis exercitio probet, ac singulariter contemnat; sic enim fieri non poterit, quin plures defectus, si non vitia eliciat, ne errore deceptus, cœcus cœcum ducens, ambo in foueam cadant. tales enim, cum quidquid in mysticis ad propriam sensualitatem exsugere potuerunt, absumpserint, & in Christo *a* luxuriatæ fuerint; tunc nubere volunt; & si hoc ipsum non licuerit, in carnis spurcitias diffluant.

Ad Satanæ porrò illusiones quod attinet, cum [Deum esse per se *b* notum sit;] & [homo naturaliter Deum *c* cognoscat, sicut naturaliter desiderat; ac etiam honestè, & moraliter agere per se pulchrum sit, nudumque ac solum naturaliter cogitare delectet: [sit aliquando affectus dulcis à malo spiritu, vt dum illi nimis creditur, vel eius oblectationi per gulositatem innititur, eique, dum valdè delectat, inhæretur, ad debilitatem corporis homo perducatur; *d* vt vel per illius occupationem ab vtiliori opere reuocetur, aut vt eius abundantia fretus, iamq; se perfectum existimans, minus ad profectum virtutum exciteur; vel certè, vt summam exercitiorum ad illa capessenda, tanquam ad finem principalem dirigens, eisque vitiosis oblectationibus ad propriam damnationem abutens à iusto Iudice æquitate sua inflexibili æternaliter reprobetur.] ex illis verò qui circa sensibilem deuotionem hallucinantur, [nulli maiori periculo subijciuntur, quam qui ecstaticis visionibus *e* falsis subijciuntur.] quia [Diabolus in *f* naturali lumine se oblectantibus, tanquam ad carnalia vitia inclinatis valdè, & in virtutibus non exercitatis, lumina administrat.] & cum [Dæmon Deo permittente possit dare gratias *g* gratis datas, apparenter saltem:] homines vanæ gloriæ deditos, aut etiam extrema malitia, filiorum Dei, & sanctorum viatorum veras ecstases, raptus, visiones, ac reuelationes illusoriè imitantes, versipellis hostis antiquus sollicitè adiuuat, in Angelum lucis se transfigurat, & quæ naturali subtilitate, ex vniuersi scientia habet, vt prophetias illis suggerit, humorem ad maniam, & vsum rationis, ac spirituum animalium suppressionem inclinatum, promouet; atque ecstases, raptusve ludicros excitat: quibus incautis quidem; (sed viris in Dei amicitia solidè versatis) eiusmodi infernales titiones haud quaquam imponunt. hi enim ab illis, vt à sceleſtissimis hominibus, & abstinent, & salutem suam amantes, abstinere monent. Mel ergo sensibilis deuotionis inuenisti, comede quod sufficit tibi, ne fortè satiatus

a 1. *Timoth.* 4. b *S. Thom. l.* 1. *cont. Gent. c* 10. c *ibid. c* 11. d *Harph. l.* 3. *p.* 5. *c.* 33. *ex Richard. Sup. Cant.* e *Taul. epist.* 2. f *Serm.* 1. *in Natiu. Ioan. Baptist.* g *Gerson in Centilog.*

tus *b* euomas illud sicut filij Israël, primo magna reuerentia collegerunt, & debitè sumpserunt manna; tandem nausea, & tædio de *b* cibo leuissimo affecti, panem Angelorum cum murmuratione reiecerunt, appetentes *c* fœtentia olera, cœparum, alliorum, peponum, & ollas carnium. Cum autem nonnulli in tantum proprium amorem sectentur, vt etiam sensibilem deuotionem cum violentia quadam extorquere conentur, consequenter monemus,

Tempore Orationis mentalis inordinatam violentiam cauendam esse.

ARTICVLVS QVINTVS.

CÆcutiens amor immaturo, vt plurimum appetitu, etiam in minus vtilia solet irruere; quo fit, vt dum meditans, sibi quietem, & internam consolationem spondet, aut affectat; esto diuino, aut humano ordine distractionis, ariditatis, vel tentationis alicuius molestia subeunda sit; attamen propositi sui tenax, indicibili violentia fortique imaginatione materiæ assumptæ facilem contuitum, gratamque inhæsionem, vult omninò retinere; licet capitis dolores, corporis debilitates, & propemodum deliria incurrat. Et hæc quidem miseria, maximè in statu meditationis, non nisi ex ignorantia tempore orationis mentalis seseque habendi, prouenit. non enim meditans tantum suo muneri satisfacit, si pacificè, & consolatoriè sua consideret peragatque; sed etiam quando proposita materia meditationis pro voto non succedit, dummodo ad humilitatem confugiat, indignum se reputans, qui de pijs rebus in pace, & quiete sese occupet, aut resignationis actus exerceat, quibus se diuinæ voluntati subijciat, aut Deum Opt. Max. animitùs exoret, quatenus ad benè feliciterque meditandum suam gratiam largiatur, aut constanti pectore occurrentibus molestijs, distractionibus, tentationibusvè se opponat; memoria retinens Deo placere, quæ homini mortificationem, & molestiam causant, si de manu ipsius omnia acceptet.

[In omnibus itaque prorsus mea abnegata, illius me voluntati cum timore humili subijcere debeo; tam in agendo, quam dimittendo: quod dum facio, sæpè meipsum minus in operibus *d* externis quæro, retineoque, quam fortassis in ipsamet quiete, & otio retinebam.] [aliquando enim *e* ex impetuoso cordis conatu libertas mentis obruitur, dum quasi per violentam extorsionem accelerat quis deuotionis affectum exprimere: & si non iuxta desiderium cordis statim potest elicere gratiam deuotionis quæsitam, contristatur, & amplius ex hoc induratur: & quò impetuosiùs cupit se ad deuotionem cogere, tantò minus proficit, & ampliùs aresçit. sicut qui botros in torculari, vel oliuas in prælo subitò, & nimis vehementer comprimit, liquor

a *Prou.24 & 25.* b *Num.21.* c *ibid.11.* d *Taul.Instit c.22.* e *S.Bonau. Proc.Relig.4.77.*

magis turbidus & insipidus fluit, quam si paulatim, & moderatiùs compressisset. Quò enim liberior, eò pinguior deuotionis effectus. ideò alio tempore sæpè est homo deuotior, quia tunc spiritus suæ libertati relictus, sponte se eleuat in sublime. Violenta namque acceleratio præfocat spiritum etiam in corpore. morosa autem respiratio est cordis refrigeratio.] [visio ergo ista (qua scilicet Rex introducit in cubiculum suum) non terret; sed mulcet: inquietam curiositatem non excitat, sed sedat: nec fatigat *a* sensus; sed tranquillat.] quando videlicet studium meditationis non indiscreta violentia; sed religiosa diligentia peragitur. Et quum [anima assimiletur Deo, *b* quia est intellectualis,& quod actu intelligat, sicut Deus actu semper intelligit:] vel ideò ex naturali fœcunditate exercitium mentale facile, & iucundum redditur: ita vt non tam violenta actio,quam stabilis ad Deum tendentia,& conatus adhibendus sit; hinc consequenter dicimus,

Quod tempore orationis mentalis, super omnia sincerus animus erga Deum sit spectandus.

ARTICVLVS SEXTVS.

SEcurè amoris deuotionisque sensibilis abusus cauentur, si obseruaueris animum non semper explicitè ad sensibilem gustum, aut à proprio instituto,aut à Deo dirigi. sæpè enim in meditatione,aut exercitio interno, nec intellectus illuminari,nec affectus inflammari potest; quamuis diligens præparatio, fidelis mortificatio, & quæcunque humanitùs necessaria putantur,adhibita fuerint. nulla ergò cordis tristitia admitti debet, nec ariditas proprijs defectibus (nisi data certa causa)adscribi, quia conditio huius vitæ, ac etiam spiritualis profectus, non in eo sunt sita, vt quis continuis amorosis fruitionibus de Deo,& rebus diuinis oblectetur. sed vt omni studio per mortificationis, virtutis, & diuini amoris exercitium Dei beneplacitum virili pectore per deuia, & inuia, amara, & dulcia, susque deque adimplere conetur, ac tempus orationis mentalis simplici quidem attentione; seriò tamen materiam propositam animo expendat, atque ita implicitè,& remotè ad diuinum illum amorem, qui in spiritu locum habet, & tranquilla in Deum tendentia peragitur,accedat.

Ideò iuxta Psalmistam: Tibi dixit *c* cor meum,exquisiuit te facies mea; vultum tuum Domine requiram. ac si diceret; quod sæculi voluptates reijciam, quod in statu, quem assumpsi, dura patiar,te Pastorem sequens,quod vultum, & beneplacitum tuum scire, & perficere studeam, quodque tempus orationis in piarum rerum consideratione expendere aggrediar, ac die nocteque per aspirationes cordis mei in tua præsentia ambulare studeam; non ideò hoc ipsum facio, vt sensibilibus amoribus delicatè

a S. Bern serm. 23. in Cant. *b S. Thom. l. 3. cont. Gent. c. 25.* *c Psal. 26.*

licatè me nutriam; sed vt cor meum sit rectum coram te omni tempore, nec aliud in me sit, quam quod sincero animo tibi placere studeat. Et quidem hisce & similibus actibus semper coram Domino Deo contestandum est in initio orationis mentalis, & singulariter quando ob sensibilis amoris carentiam, spirituale tædium irrepere animaduertit. tum enim vtiliter simplici, & pura tendentia, super omnia quæ sunt, & quæ non sunt, per inseparabilem illam, quam in se habet concretam ad Deum dependentiam, se se Deo offerre poterit. & quia cessante sensibili deuotione, animus ad euagationem pronus subsequi consueuit, hinc consequenter dicemus,

De modo se habendi circa distractiones tempore orationis mentalis.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

VIx quidpiam in tota spirituali vita, tam proficientes, quam incipientes, ac etiam perfectos (donec gratia transformationis in mente sanati fuerint) tam constanter molestare solet, quam distractio; non semper quidem; sed eo duntaxat tempore, quo nihil singulare experiuntur, circa quod attentio eorum versetur; & quod promptè, ac facilè contemplari liceat. Hinc ergò aliquantò largius de distractione agendum est. Et primò quidem quid sit. Secundò, vndè proueniat. Tertiò, quibus auxilijs caueri possit; Quarto, quænam eius vtilitates. Itaque ad primum quod attinet, distractio aliud nihil est quam [cogitatio quæ est *a* aspectus animi ad euagationem pronus;] vel [distractio, est cogitatio aliud à fine proposito conspiciens: [& sic improprius quidam raptus dici potest (videlicet) propter alienationem ab his quibus *b* intendebat, sicut cum aliquis patitur euagationem mentis, præter propositum.]

Ad secundum verò quod attinet, sciendum est primò, quod [per se impediant se inuicem *c* intellectiuæ, & sensitiuæ operationes, tum per hoc, quod in vtrisque operationibus oportet intentionem esse; tum etiam, quia intellectus quodammodo sensibilibus operationibus admiscetur, cum à phantasmatibus accipiat, & ita ex sensibilibus operationibus quodammodo intellectus puritas inquinatur. [Secundò, quod distractio ex inordinato appetitu, seu volubili amore tanquam ex radice profluat: amor enim in hac vita est omninò liber, multosque secum admittit inordinatos affectus. liber autem talis est naturæ, vt potentia ad actum maneat indeterminatè, & secundùm se indifferens, ita vt tam facilè possit se flectere ad contrarium, quam se flectit ad illum, quod ex eo prouenit, quod non impleat totam capacitatem voluntatis, nec eam plenè actuet tanquam quid imperfectum, ac potentiæ insufficiens. Vndè ipsa manet aliorum actuum capax, & potest illos relinquere. Et quum

a S. Bonau 1. Itin. cter. dist. 2. *b S. Thom. 2. 2. q. 175. a. 1. c.* *c S. Thom de Verit. q 13 a. 4.*

quum ipsum solum [intelligere, *a* etiam propter suam operationem sit delectabile,] intellectus ad euagationem pronus, bonum, seu amoris excitationem tantò minus curat, quantò in eo excitando, aut inquirendo maiorem laborem, & molestiam subit; ac voluntatem ad sibi naturale pulchrum videndum, & amandum faciliùs attrahit. cum etiam ex originali peccato ipse naturalis appetitus vitiatus, ad alia moueat facillimè, tantò liberior fit animus ad euagationem pronus; vt ideò mirum non sit distractiones frequenter accidere, pro vt frequenter fieri ipse S. Hieronymus *b* ingemiscit dicens [creberrime in oratione mea, aut per porticus deambulo, aut de funere computo, aut abductus turpi cogitatione, etiam quæ dictu erubescenda sunt, gero.] eiusmodi porrò libertas ita se habet sicut oculus; qui licet sordidissima videat, ab illorum intuitu tamen non maculatur; sed æquè purus manet, ac si pulcherrimum quidpiam vidisset.

Ad Tertium autem quod attinet, præstantissimum ad cohibendas distractiones, & si inciderint ad promptè ab illis se expediendi auxilium est, primò, omni custodia custodire linguam omnesque sensus, mortificare appetitus, & inordinatas passiones, sine quibus distractiones, impedire, frustra attestatur. Vnde per mortificationis seuerum exercitium, optima fit dispositio, vt animus diuina obseruans illis firmius paulatim adhæreat. quod etiam eò facilius fiet, si locus meditationis ab externis tumultibus segregatus, orationis tempore, etiam splendente sole, omnibus vndique conclusis, nocturni silentij quietem, & tenebrosam caliginem (latibulo diuino peraccommodam) adduxerit: pro vt in sacro nostro Ordine, omni die per duas horas contemplationi assignatas, laudabiliter fieri consueuit.

Secundò, [si quis *c* ex multiplicitate non multiplex fieri volet, curandum est illi, vt externa sensibilia quæque velut præterfluere sinat, eaque repentè pertranseat, siue penetret, tanquam quæ non admodum curat: nec altius ad cor recipiat, quam præsens poscit necessitas: nec immoretur diutiùs, quasi intus collocuturus eis, aut disputaturus, aut rationem putaturus cum eis; sed ita habeat, quasi quæ nihilipendat, quæ non velit, non quærat, non intendat. Si quæ incidant, vel accidant, ea rursum decidant, excidantque: nec secus se talibus exhibeat, quam si dicat: Equidem quæro, intendo, insequor Deum meum, quæcunque mihi occurrant salua sint, valeant, transeant.] iam ergò vbi distractionem cognouerit, illicò absque vllo alio actu resistentiæ, obliuiscatur illius, cui inhæserat; & immediatè sese ad propositum exercitium conuertat. frequenter enim contingit in praxi, vt malitiosa illa insidiatrix, & corrupta natura, sub specie producendi actus contrarios distractioni, occultè, & mellifluè amplius, ac sordididius, quam prius illa-

a lib. 1. cont. Gent. c. 90. *b in Dial. aduersus Luciferianos.* *c Taul. in festo S. Laurent. serm. 1.*

illaqueet sensum multa cogitantem, & appetentem.

Tertiò, ne imaginatio pia nimis citò, & donec paulatim ex intrinseca attentione dispareat, deseratur. [duobus enim modis imagines abdicari possunt, scilicet fideliter *a* & noxiè. si enim priusquam illas plenè cognoscam, bonis imaginibus valefaciam, stolidè ac noxiè ago. quia veritas, quæ per quamlibet bonam imaginem mihi innotuisset, cognitioni meæ subtrahitur. Cum autem imagines via quædam sint ad nudam, ac simplicem veritatem; si ad veritatem pertingere velim, paulatim abdicanda via est: sed prius cunctæ imagines recto ordine percurrendæ; vt videlicet ab infimis ad medias, & à medijs ad supremas conscendam, quo nulla me veritas subterfugiat. Inter nobilissima quippe opera quæ in hac vita ab homine fieri possunt, etiam illud est rationabiliter in diuinas imagines transformari.] porrò contra hoc saluberrimum auxilium delinquunt frequenter illi, qui statum meditationis, aut aspirationis transierunt, & se (licet in suo interiori Dei cognitione, & amore vacui sint) supra se leuare conantur, absque imaginibus, & discursibus vllis. quod cum contra naturalem operandi modum sit, secundùm quem hominis cognitio à sensibilibus, & ratiocinationibus initium sumit; non tam mirum est, tales in otium falsum, aut ad alias sordidas imaginationes diffluere, quam quod iustè digna factis recipiant; & dum superbè, ac supra sortem ad Angelicam puritatem gestiunt volare, ad indicibiles tenebras, ariditates, & tædia animæ suæ deijciantur.

Ad Quartum etiam quod attinet, præterquam quod [distractio inuoluntaria *b* peccatum non habeat;] (voluntaria enim plus minus, pro conditione obiecti, cui inhæretur, non tantum peccatum habet; sed etiam opponit sibi-ipsi *c* nubem, ne transeat oratio.) hoc adfert vtilitatis distractio, quod sua molestia patientiam exerceat, & magni meriti occasio sit; dum animum ad bonum, virtutemqúe tendentem quasi dilacerat, aliò trahit, & contra voluntatem impertinentias multas, variasqúe tentationes ingerit; nec tamen in consensum rapit; sed pugnandi locum, & tempus præbet.

Et certè ad exercitium actus orationis mentalis, per accidens ipsa indifferens, & vaga distractio, plurimum vtilitatis confert; nimirum quod mysticus ex distractione rediens ad prosequutionem exercitij interni multò leuiori, & alacriori animo id præstet, quam proprio conatu, per quem se ipsum frequenter miris obscuritatibus, & tenebris (si practicus ordo desit) penè plumbeum, & immobilem reddere solet; retenta ergò illa alleuiatione, quæ remanet postquam ad seipsum reuersus fuerit post distractionem, propositum internum exercitium aggrediatur iterum; quod tantò facilius fieri poterit, quantò minus imaginem distractionis

a *Item in instit. c 35.* b *S. Thom 1.2 q.71.a.6.* c *Thren.3.*

explicito conatu reiecerit, & seſe assuefecerit, vt nihil omninò retineat, quidquid in distractione, aut notitiæ, aut affectus, imbiberit. Et quidem hæc postrema vtilitas in praxi tam iucunda est, vt successu temporis omnem distractionis molestiam, in subtilem dispositionem sua interiora prosequendi conuertat. Verùm quia distractio ad grata solet allicere, & orexin sensualitatis irritare, congruenter hic dicendum est,

De modo se habendi in tentationibus.

ARTICVLVS OCTAVVS.

NEmo aut miretur, aut ægrè ferat, quod declinauerint *a* in se iniquitates, & in ira molestæ sint sibi: nam [de carnis *b* peccato propagati in nobisipsis etiam gerimus, vnde certamina toleremus.] atque ita vanitati creatura subiecta est, non volens, *c* sed propter eum, qui subiecit eam in spe. interea stante eiusmodi subiectione [videns Satan nequissimus, quosdam se non posse vincere per tentamenta *d* & peccata carnalia, nec per ea quibus naturalis ratio contradicit, talibus solet tentationes ingerere de quadam infidelitate, aut hæsitatione circa veritatem fidei Christianæ, quosdam incitat ad imaginandum turpiter de Christo, & Virgine gloriosa, vel ad cogitandum indecenter, ac indignè de Deo, siue ad blasphemandum: aliquos verò tentat, vt sibiipsis manus iniiciant violentas, ex animi mœrore, desperatione, aut tædio vitæ:] aliqui demum tentantur mira quadam mentis ariditate, ita quod cœlum æneum eis videtur, terraque ferrea, & apparet eis, quod sint præsciti, seu damnati.

Narratione porrò diuersarum tentationum ex industria supersedemus, cum quilibet circa illas aliter, atque aliter afficiatur; prout occasio, & naturæ inclinatio cuiuslibet, contulerit; Solent tamen quam maximè iuniores, sanguinei, & cholerici fortiùs cæteris, varijs appetitibus, & voluptatum stimulis, susque deque mirum in modum exagitari. neque hoc nouum quid videri debet; quomodo enim iuuenes adhuc pleni carne, & sanguine, & ipsas sæculi concupiscentias adhuc prius exhalantes, non grauissimè, & variè tententur: præsertim si in vocatione sua sancta tepidi, aut quod omnium pessimum est, animo vagi, moribus dissoluti, & immortificationibus pleni permaneant.

Cæterũ tria sunt præcipuè contra tentationũ insultus remedia. Primum est, vt toto corde seſe spiritualis Athleta in actibus mortificationis, & virtutis exerceat, & paulatim ipsam radicem corruptæ naturæ ex peccato originali, disrumpat; ne pro libitu de corde exeant cogitationes malæ. Secundum verò est, vt malæ inclinationes, siue appetitus citò, & candidè aperiantur Patri spirituali, aut illi, cui in hoc genere credi potest, ne so-

a Psalm. 54. b Gregor. hom. 16 in Euang. c Rom. 8. d Dionys. Carthus. de remed. tent. vn. a. 35. & Dial. de instr. Nouit. a. 4. 5.

ne solus frigore peccati constrictus, obrigescat: Væ *a* enim soli, quia cum ceciderit, non habet subleuantem se. Et hoc modo vt plurimum antiqui Patres iuniorum, & tentationibus penè amentium pericula sustulerunt feliciter. Tertium est, vt eis viriliter resistatur, non quidem ita, vt actu resistentiæ tentationum passio omnino abeat; hoc enim sæpè tumentes fluctus turbati animi, & corporis, non permittunt; sed vt vi irascibili in propriam malitiam declinet, seipsum odiat, & qui, vt ab omnibus creaturis odiatur, ab ijsque molestiam suscipiat, dignissimus sit: in corde autem, & voluntate, consensum non præbeat, humiliterque insolentiam inordinati appetitus sustineat, gemitibus inenarrabilibus suspirans, & orans, donec Domino iubente redeat tranquillitas; cum eo etiam, vt si concupiscentiæ calores infernali penè sufflamine adurant, omni conatu similes commotiones, non resistendo; sed fugiendo, obliuiscendo, & occasiones deuitando, abigantur. [peccata enim omnia *b* resistendo; carnalia autem melius fugiendo vincuntur.] Iam verò, cum sicut quilibet homo natus de muliere, multis repletur miserijs, secundum externum, & communem hominum viuendi modum; ita etiam spiritualem Athletam in suo interiori, variè originalis, & actualis peccati scoriam depurare, pro singulari notitia consequenter dicimus,

De quibusdam impropriis causis priuationis, tædij spiritualis, & subtractionis sensibilis deuotionis.

ARTICVLVS NONVS.

NE tam Magister, quam Discipulus in mysticis tædijs aberrent, sibique aut alijs persuadeant, quotidianas penè desolationes, ex Dei pura operatione procedere, & magni profectus spiritualis indicium esse, spiritualia tædia, aut sensibilis deuotionis subtractiones incurrere; ex infinitis propemodum causis ariditatem, pondus, & hebetudinem internam producentibus, notabiliores quasdam apponemus: & harum

Prima est, si aliquis ad statum mysticum non vocatus, ei sese ingerat; eò quod coæquales, & notos audiat, legatvè tali instituto magnas consolationes internas, & virtuosæ vitæ laudem consequi; vel etiam quod ab inexpertis, & crudo zelo ductis persuadeatur ad mystica exercenda, licet de sæculi commoditatibus verò corde, ne latum quidem vnguem recesserit, atq; ad internam deuotionem confugiat eò libentius, quò quoquo modo suæ consolationi intendit: & quidem ante talem margaritas mysticas proijcere, hoc efficit, vt postmodum tanquam porcus illas (pro sua, quam vndiq; appetit, sensualitate) pedibus suis conculcet, ad alia diffluat, nec paruis dicterijs, aut Instructorem, aut ipsam mysticam vitam disrumpat.

a *Eccles. c. 4.* b *Taul. instit. c. 19.*

Secunda est, ipsa nuda, & sola à vitijs cohibitio; qua animalis homo, quod desiderijs, & concupiscentijs suis satisfacere nequeat, affligitur, ac in natura vitiata, ipso facto tristitiam, & amarulentiam incurrit: & hæc priuationis causa, tam est ampla, vt nonnulli tum sæcularium, tum religiosorum etiam, qui nec ex instituto, nec per accidens mystico studio vacant, aut eius notitiam vel tenuem habent, ita subinde affligantur, vt in corporis graues infirmitates, animi languores, & quasi omnis generis desperationes incurrant; qui tamen si illecebrarum appetitibus satisfacere possent, illicò melius habere viderentur.

Tertia est, [quod à peccatis vix liberi impudenter *a* sibi putant summa deberi; secus & si admirandas Dei consolationes non experiantur, impatientes fiant] verum eiusmodi cum [amore creaturarum *b* pleni sint; etiam sanguineis lachrymis Dei amorem non obtinent.]

Quarta est, terrena inhabitatio, quæ per corporis infirmitates, mutationes, eiusque afflictiones, etiam alioqui fortem animum solet mollem, & ad ardua remissum facere; vndè vix quidquam tam corpori, quam animo iniuriosum accidere potest, quin fœminea teneritudine in tristitiam, & mille querelas abeat.

Quinta est exercitium virtutis in arduo situm, longeque difficiliùs, quam à vitijs cohibitio, cum perfectius sit bonum operari, quam malum declinare; & quia à mysticis virtutis actus continuò producuntur, toties quoties actum virtutis operatus fuerit, (si interea sentiat aliam legem repugnantem legi mentis suæ) aliquam etiam molestiam subibit, non quod de actu virtutis exercitæ tristetur; sed quod doleat actus eiusmodi, non ea, qua intelligit posse, & debere fieri, tranquillitate, & animi alacritate perfici, iuxta illud; condelector *c* legi Dei secundùm interiorem hominem, licet tota natura magnitudinis suæ mole grauet, ac piæ lectiones, & quidquid demum virtutem sapit, affligat: animus enim nondum gratia sanatus, non quod vult bonum hoc agit, sed quod non vult malum, hoc operatur.

Sexta consequitur facilè præcedentem, quando nimirum remisse, & negligenter *d* tam mortificationis, quam recollectionis actus, tanquam infidelis seruus operatur, ac talentum in sudario absconditum relinquit, & tali, tanquam qui in minimo infidelis est, quod maius est, quis credat? & qui à sæculi oblectamentis virili animo non abstinet, quis cœlestes ipsi consolationes porrigat?

Septima, quæ est quotidiana, ac in praxi frequentissima inuenitur, est inclinatio ad fundum, siue principium amoris, & ponderis tendentis ad primum Ens, & Bonum; (NB.) attamen in præ-

a *Taul. Dom. 2. post Oct. Epiph.* b *Idem serm de Natiuit. B M. V. circa fin.* c *Rom. 7.* d *Candis. 1 p. c. 18.*

in præsentiarum ex amissione originalis iustitiæ, & naturæ inordinatione, vltrò citròque vitiatum. cum itaque contigerit, nihil singulare supra à Deo experiri, ex naturali inclinatione ad fundum, tanquam aliquid diuinæ fruitionis continens, procumbit mysticus, bonum, & eius amorem appetens; vbi cum nuda cogitatio, inclinatio, aut prima Dei perceptio abierit, tanquam in tenebris obuolutus, in proprio carcere suiipsius hæsitat, bonarumq; cogitationum, & affectuum vsu destituitur; subindè vt à graui somno ad seipsum rediens, & ingemiscens. quin imò ex nulla alia causa, pœnosa illa cordis, & fundi angustia (de qua tot, tantæque apud practicos iterato effunduntur, & querimoniæ, & terrores) progignitur, quam ex fundi illa incarceratione, vbi modicum Dei, & plurimum miseriæ propriæ habetur. hæc tamen non ita accipienda sunt, ac si fundi purus aspectus reijciendus sit; sed ne ex inibi tenaci inhæsione, omnis pia & cogitatio, & affectus in obscurum abeant, animo in, nescio quo, infernali penè vacuo, & nullo tabescente.

Octaua ex præcedenti oritur; cum enim per tædiosam fundi incarcerationem, in continuis penè tenebris obambulent; propriæ interioritatis exulcerationem semper inspicientes, paulatim tanquam aridi, nec aliquo cœlesti rore humectati, ingrediuntur, ad omne opus bonum languidi, sibi, alijsque graues. Vnde etiam [Deum Opt. Max. vt durum, vel austerum *a* sibi proponunt; qui verè mitis & benignus est; & in veritate pius, & misericors.]

Nona est, ex tristitia, quæ contingit, quando per accidens, vel ex actu infuso, insignior aliqua mystica operatio iterum *b* euanuerit; tum enim anima adhuc sensualibus assueta, tædio afficitur, ac quoquo modo laborat, vt ad eandem, aut similem dulcedinem, admittatur: in tantum etiam, vt quandoque sublimioribus statibus sese ingerere cupiat, maioremque afflictionem ex altioribus se, incurrat.

Decima est, quando spiritualis director, fortè nec theoricæ distinctionis, multoque minus practicæ vicissitudinis gnarus, piam animam susque deque, iuxta propriæ dispositionis influentias, circumageret, & cum dextrorsum eundum esset, ille sinistrorsum cogeret, aut si fruitio per actiones aliquas, puta contemplationis, suspirij, vel meditationis continuanda foret, ille cessationem ab operationibus, & nudam Dei exspectationem (in rei veritate autem, boni operis negligentiam, otiumq; spirituale) præciperet; dumque inferiora maiori realitate animam perfunderent, ille altiora depingeret: quo in genere quis sanæ mentis, piæ animæ illaqueatos cruciatus, non condolens videat?

Vndecima est, quod [nonnunquam *c* in homine bono, qui Deum purè quærit, oboritur grauissima quædam angustia, & afflictio, vel ex indispositione, complexioneque naturali, vel cœli influen-

a S. Bonau. de proceſſ. Rel. c. 2. *b Taul. ſer. 1. de S. Aug & ſer. 1. de com. Mart.* *c Bloſ ſpec. ſpir. c. 8.*

influentia, atque aëris inæqualitate, vel ex maligni spiritus operatione, aliavè ex causa, Deo id permittente: tumque ipse pius homo putans se non placere Deo, solet pacem pectoris amittere, & mœrorem, perturbationemque animi incurrere. Si te itaque corripuerit talis angor, non eum velis violenter excutere, neque multas rationes perquiras, quibus te indè eripere possis: sed suscipe ipsam pressuræ molestiam humiliter de manu Domini, tranquam rem tibi maximè salutarem, & eam tanquillo, resignatoq; animo sustine, etiamsi illa perduret pluribus annis, aut toto vitæ tuæ tempore: ita enim Deus, & Angeli commorabuntur apud te, tua humilitate, & patientia delectati.]

Præterea [multis de causis sensibilis gustus spiritus, interdum subtrahitur.

Primò namque subtrahi solet, ex amorosa quadam indignatione, quæ contingere solet inter amantes, propter indicium amoris alteri cuiquam ostensum, quo mutuus amor, vel in minimo relaxari timet, eò quod zelotypus est: sic Spiritus sanctus animam sentiens quantulamcunque consolationem extraneam admisisse, sensionem suæ dulcedinis, & amoris eidem subtrahit per indicium illud, amorosam indignationem ostentans, vt ipsa se diliquisse cognoscat, corripiat, & caueat, ne (quod absit) indignationem suam reseruet, qui sine compare solus amari desiderat.

Secundò verò subtrahit, vt anima dilecta recognoscat hęc à semetipsa minimè habuisse, nec proprijs exercitijs meruisse; sed ex libera dilecti bonitate profluxisse, ne per incuriam, vel propriam complacentiam insoleſcat, sed magis semper se humiliare studeat.

Tertiò proinde subtrahit, eò quod aliquando natura sensualis ex affluentia sensionis illius nimium debilitatur, & vulneratur, præsertim circa pectus, vbi magis ebullire facit vitalem cordis sanguinem. Tunc enim calorem suum Spiritus sanctus retrahit, vt natura refocilletur, & ad nouam sensionem rehabilitetur.

Quartò autem se subtrahit, vt sic amorosæ animæ euidentiùs innotescat sua propria tepiditas, & acedia in exercitijs amoris, virtutum, & bonorum operum, si sensionem suæ bonitatis, & amoris eidem non elargiretur, & ad requirendam à Dilecto gratiam, & auxilium magis sollicita reddatur, quasi sine illius sensione, & consolatione, nec in amore, virtutibus & exercitijs proficere, nec in acquisitis quidem persistere valeat.

Quintò etiam se subtrahit, vt felix sponsa per experientiam probetur, si iam ad tantam strenuitatem exercitiorum profecerit, quod experimentali consolatione possit carer.

Sextò denique se subtrahit, vt ipsa discat & agnoscat, quod in hac sensione nec est vera Sanctitas, nec vera amoris iustitia: quia nec sanctiores sunt, nec magis diligunt, qui maiorem sensionem secundùm sensualitatem recipiunt: sed qui

a *Apud Harph. Theol. Myst l. 3. p. 3. c. 19.*

qui virtutem̃ ſuam amatiuam in ſpiritu ſupra ſenſualitatem per amorem operantem diuinæ voluntati penitùs ſubiectam, promptam & vnitam habent: ita quod ſecundùm diuinum beneplacitum pauperes eſſe ſciunt, omni terrena conſolatione, tactu, ſenſione, & ſapore priuati: & in hoc ſolo poſſe conſolari, quod Deum amant puriſſimè amore intellectuali, qui ſolus amor verus eſt. Quod, inquam, omnes virtutes, & omnem iuſtitiam perficere norunt ad honorem Dei, nullam aliam ſenſionem, vel oblectationem quærentes.] Porrò quæ operatio potiſſimum proſit in derelictione, aut interna ariditate conſtituto, hic conſequenter dicemus,

In ariditate vim iraſcibilem per actus rectæ intentionis, & reſignationis excitandam eſſe.

ARTICVLVS DECIMVS.

TRiplici *a* modo ſolet homo circa apprehenſionem boni ſeſe habere; Primò directè, & cum ex naturali impetu bonum appetit virtute cõcupiſcibili. Verùm ne bonum acceſſu mali, aut minuatur, aut depereat, virtute iraſcibili omne nociuum, vt poteſt, diligentius abigit: quia verò in vtroque modo exceſſus committi poteſt, virtute rationabili inquirit, & diiudicat, ne aut bonum improportionatũ conſtringat, aut in propellendo malo, vel negligenter agat, vel nimium laborem fruſtra inſumat. quia verò, cum ſenſibili deuotioni tenebroſa nox aridi cordis, & affectus ſucceſſerit, aut virtus in arduo ſita puſillanimitatem incuſſerit, mirum in modum ſolet animalis homo conturbari, libros euoluere, conſilium importunius vrgere, & nihil non attentare, fortè etiam ad-neſcio quam non tepiditatem, quaſi auxilijs præſentiam Dei continuantibus, deſtitutus foret, diffluere: Hinc longè aliter diuinorum amans virtute rationali armatus, ſentit cum Propheta pſallente: Meditatus *b* ſum nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum. ac ſi diceret, quando nox, & tenebræ interiores me vndique inuaſerunt, & aridum, ac diuino guſtu alienum me fecerunt; non ideò otio detentus fui, aut aliud vtilè non aſſumpſi; ſed dura & moleſta fricatione, non per vim concupiſcibilem, ſed per vim iraſcibilem mihi ipſi indignans, humilitate, patientia, & reſignatione omnes animæ tentationes, cupiditates, ac deſideria vana ad inſtar pulueris abſterſi; ſciens hanc occupationem non minus Deo gratam, quam mihi vtilem eſſe. At ſi omni diligentia adhibita, nihilominus diſtractio, tentatio, vel ariditas perſeuerent: (frequenter enim contingit, vt meditans propria concupiſcentia abſtractus, & illectus, & mundana imaginatione à ſeipſo diuiſus, vſque adeò intumuerit, vt ſenſibili deuotioni, ne tantillus quidem in interiori locus ſuperſit) tum humili reſignatione, & ſubiectione in diuinum

a Gerſ. Theol. myſt. conſ. 42. *b Pſalm. 76.*

uinum beneplacitum aliquid vtilius prouidente, seſe inclinet, offerendo scilicet Deo bonam voluntatem, & sincerum animum, saltem res pias, diuinas, & virtutes laudantem; ac ita tenaciter Deo adhærentem, vt quandoquidem Deum non possit habere, etiam aliud aliquid, qualecunque illud extra Deum sit, nec admittere multoque minus possidere velit: Singulariter autem ex corde Deo Opt. Max. faueat totum, quod ipse in vnitate, & Trinitate, in æternitate, & tempore, intra & extra se possidet, regit & gubernat; inde complacentiam sumens, quod esto ipse miser sit, & indignus, qui Dei præsentia, & solatio fruatur; hoc ipsum tamen nihil Deo noceat, nec ipsius gloriam minuat, iuxta illud Prophetæ: *a* Tu autem Domine in sancto habitas, laus Israël. Laudent te cœli & terra, & omnia quæ in eis sunt. & certè similibus actibus internam erga Deum dilectionem aridi tatis & desolationis tempore, hilari animo fouere, magnam spiritualis profectus spem facit. [non enim inuenitur verius signum *b* boni hominis, quam si inter ærumnas fert dulcedinem mentis, ex frequentia sobriæ lætitiæ, & exultationis.] quin imò Deo per amorem summum Bonum quod ipse est, optare, est actus, quo maior non potest cogitari. & hinc sequitur, quod Deum amare sit facillimum, cum amare nihil sit aliud, quam velle alteri bonum eo fine, vt ipsi benè sit; licet ipse volens alteri bonum, non percipiat simul oblectationem sensibilem.

Quia verò subinde spiritualis tædij abyssi apertæ videntur, ita, vt in terra deserta & inuia, & inaquosa vagus & profugus aberret ab eo, quem diligit anima eius, absque vllo etiam bonæ voluntatis, aut resignationis gustu egrediatur, & ingrediatur; adhuc tamen in tanta rerum vicissitudine recta intentio supereſt. Eapropter si in interiori suo penè illaqueatus, simplici, & plana via procedere cupiat; si in tenebris internis cæcutiens lumen appetat, si in multis periculis securus euadere habeat, præ cæteris exercitijs, in omni exteriori, & interiori molestia, ad rectam intentionem procumbat oportet, ac dicar: O Benignissmè Deus, cum omnis inordinationis molestia in me declinauerit, in tantum, vt nec bonam voluntatem, nec actum resignationis corde sincero proferre valeam; ad minus offero tibi hanc mei-ipsius vilitatem, qua saltem adhuc cognosco me indignum, vt quoduis bonum peragam; sit ergò rebellio in voluntate, sit in amore tædij horror, sit ad pietatis, & virtutis studium auersio; habes, quem offero oculum, & notitiam, qua video hæc mala interioritatis meæ; Tu ô pijssime Domine oculum mentis meæ, & rectæ intentionis, qua in hisce omnibus tuum beneplacitum intueor, conforta; vt ille simplex manendo, totum corpus lucidum faciat; hæcque mea afflictio tibi in laudem, & gloriam cedat.

Incipientibus ergò, & proficientibus sincero animo, & fideli exercitio mortifi-

a *Psal. 21.* b *Orig. sup. Cant. apud Harph. l 3. p. 1. c. 6.*

tificationis, diuinas considerationes prosequentibus, omnia perquàm facilia euenient. virtute quidem concupiscibili excitata, dilatato corde viam mandatorum Dei percurrent; at virtute irascibili, dum tristis, & amara gustatio subeunda fuerit internæ desolationis, actibus resignationis, & maximè actibus contemptus, & odij suiipsius, omne otium, & torporem animi excutient; benignèque iugum Domini suaue, & onus leue experientur. sicut enim crux quantumcunque magna, & alta fuerit in fundo, & loco suo stans, non ponderat, & pauco labore huc illucq; mouetur, ita Deo se resignantem, & seipsum reprehendentem non contristabit, quicquid acciderit ei; at toto se percipiet, dicetque; Indignatio mea *a* ipsa auxiliata est mihi: eo quidem facilius, quo *b* [sola ira inter omnes animæ passiones, nullã aliam passionem contrariam habens,] semper feruenti Mystico ad manum est; vt per amotionem mali Deo adhæreat. Virtute autem rationali per rectam intentionem, [quæ est motus, quo *c* voluntas vult ea, quæ sunt ad finem, & quo intendit finem;] Deo non solum adhærebit; sed etiam per rectam [intentionem, *d* qua dirigitur ad Deum, clamabit ad Deum.] ac etiam quia [intentio *e* mentis propriè est actus voluntatis, secundum quod in ea est vis intellectus ordinantis:] secundùm optimam partem scilicet rationalem, semper Deo vnitus erit. quod quidem maximè consolatorium est, toties, quoties non tantum pius animus Dei amicabili præsentia destituitur; sed etiam quoties grauiter varijs concupiscentijs molestatur, aut etiam indicibilem in bonis actibus exercendis, nauseam subire cogitur.

Acquiescas ergò pia anima, si aliud non possis, quam saltem tibi optare bonam voluntatem; nam [desiderium *f* tuum, oratio tua: continuò desiderasti; continuò orasti: & fit desiderium contemplatiua oratio. non enim dicit frustra *g* Apostolus, sine intermissione orantes. nunquid sine intermissione genu flectimus, aut manus leuamus? orare hoc pacto sine intermissione non possumus facere. est alia interior oratio sine intermissione, oratio, quæ est desiderium. Si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare, continuum desiderium tuum, continua vox est. tacebis, si amare desistas, flagrantia charitatis, clamor cordis est. Si semper manet charitas, semper clamas; si semper clamas, semper desideras.] & secundum hæc [amatur *h* bonum non solum, quando habetur, sed etiam quando non habetur. ex amore enim est, quod non habitum desiderio quæratur. Etsi amor iam habiti perfectior sit, hoc causatur ex hoc, quod bonum habet amatum. Aliud est igitur habere bonum, quod est finis, quam amare quod ante

a *Isai c.63.* b *S. Thom. 1.2. quæst. 23. art. 3 c.* c *1.2. quæst. 12. art. 3.* d *ibid. quæst. 12. art 2. ad 1.* e *2.2. quæst. 180. art. 1. c.* f *S. Augustin. epist. 121. ad Probam c. 9. & in Psal. 37.* g *l. 3. cont. Gent. c 26.* h

habere est imperfectum, post habere, perfectum.] atque ita [virtus primæ intentionis quæ est respectu vltimi finis, manet in *a* quolibet appetitu cuiuscunque rei; etiamsi de vltimo fine actu non cogiterur: sicut non oportet, quod qui vadit per viam, in quolibet passu cogitet de via.] & cum ariditas mystica aliud non sit, quam tædium internum, siue molestia animi, ex carentia actualis amoris erga Deum proueniens; satisfacit Tyro spiritualis suo muneri, dum debitis auxilijs, & conatibus sese occupat. Deus Opt. M. namq; non tam sensibilem amorem respicit; quam humilem submissionem ad ea, quæ nobis accidere permiserit. [vnde meo quidem iudicio *b* homo verè resignatus, licet alioquin minus extrinsecus agat, minoremque præ se ferat sanctitatem, longè melior est alio quouis ambulante in mirabilibus super se, & magnam quandam præ se ferente sanctitatem, atque circa multas imagines occupato, minus tamen veræ resignationis, & abnegationis adepto.] sicuti etiam auis leuiter volans in aëre, non est melior homine, qui laboriosè ambulat in terra. Et quidem hisce in communi statibus incipientium & proficientium interpositis, cum in illis sæpè hæc practicanda sint; modo ipsos status, & in specie statum aspirationis prosequemur.

a 1.2 q.1 a.6. ad 3. *b* Taul. serm. 2. in ascens. Dom.

SECVNDVS STATVS MYSTICVS EST ASPIRATIONIS.

DECISIO SEXTA.

POSTQVAM Animus Mystici à memoria, & affectu cupiditatum sæculi per meditationis studium abductus, & ad diuina humanaq; mysteria deductus fuerit; ita vt ardorem ignis diuini, in sua interioritate continuò succensum persentiscat, relicto meditationis explicito modo; ad aspirationis statum transit; quo ita faciliùs, & magis expeditè inueniat, quem diligit anima eius, pro vt in sequentibus dicetur, &

I. *Quid sit Aspiratio, & quæ eius conditio.*
II. *Aspirationes vndè sumendæ, & quis ordo in eis seruandus sit.*
III. *Quod aspirationes non nimis multiplicatæ transeant in contemplationem.*
IV. *Aspirans quare facilè distrahatur.*

V. Quod

V. Quod meditatio ab Aspirante subinde vtiliter resumenda sit.
VI. Synopsis status Aspirationis.
VII. De spiritu ali profectu, duratione, & transitu ab Aspirationis ad contemplationis statum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit Aspiratio, & qua eius conditio.

ASpiratio est expeditus affectus erga Deum, vt summum Bonum. per hoc quod aspiratio habet affectum ad diuina, conuenit cum omnibus actionibus mysticis, quæ quoquo modo Dei amorem pro fine statuunt: At quia expeditus est affectus, differt à meditatione quæ tardiùs, & longiori discursu, siue illatione, amorem Dei exprimit. Vndè etiam aspiratio meditatione præstantior est; tum quia citò diuinum amorem consequitur, tum quia maiori, & puriori amore fruitur, atque expedito aspirationis affectu breuiter, & alijs atque alijs suspirijs succedentibus fruitionem continuat: licet contemplationis ampliſſima spatia, cum firmo intuitu nondum assequatur.

Puro ergò, & explicito aspirationis vsu ingeminat illud Prophetæ: *a* Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. sicut enim ignis in spinis, ita exardescit illius ardor mentis: non ita tamen, vt semper adiunctam habeant aspirationes deuotionem sensibilem. [Sanctorum enim animæ loquuntur Deo, dum quidpiam desiderant. *b* magnus eorum quippe clamor, magnum est desiderium. Vndè Propheta: Desiderium cordis eorum audiuit auris tua.] [nam si desiderium *c* sermo non esset, Propheta non diceret; desiderium cordis eorum audiuit auris tua. magnum desiderium est magnus clamor. tantò ergò minus clamat quis, quantò minus desiderat, & tantò maiorem vocem in aure incircumscripti spiritus exprimit, quantò se in eius desiderio pleniùs fundit.] per aspirationes ergò nos in Dei præsentiam statuimus, & absenti nos coniungimus. [ipsum enim boni principium *d* quidem omnibus præsens est, non tamen ei præsentia sunt omnia: sed cum eam & sanctis precibus, & tranquilla mente, & apto ad diuinam coniunctionem animo appellamus, tum denique nos etiam ei præsentes sumus.] faciliùs itaque, tutiusque diuina videmus, si mentis aciem ad eloquia sacra conuertimus, quam si in ipsum Deum audentiùs dirigamus. Ex pio autem hoc studio duo quædam potissima reportamus; primum quidem, quod diuinos radios hinc haurimus nostro ingenio congruentes: secundùm quod diuinum solem radiorum eiusmodi sacrorum fontem (vt Deo placet) ritè laudamus. Vt autem copiosior fructus ex aspirationum exercitio subsequatur, dicimus consequenter,

a *Ps.41.* b *S.Greg.l.2.mor c.6.* c *S.Bonau.2.itin.at.d.4.* d *S.Dion.de divin.nom.c.3.*

Aspirationes vndè assumendæ, & quis ordo in eis seruandus sit.

ARTICVLVS SECVNDVS.

SAcra Scriptura indubiè, in Psalmis maximè aspirationum fœcunda est: præterea D. Augustini Soliloquia, & Manuale vsque adeò illis abundant; vt nemo sit, cuiuscunque tandem humoris, vocationis, vel instituti fuerit, qui non indè aliqua vtilia desumere valeat. Cæterum tanta est librorum aspirantium frequentia, vt facilè quilibet suo ingenio satisfacere possit, si aliquem sibi eligere voluerit: optimum tamen est, istiusmodi orationes iaculatorias, vel ex alijs, vel ex seipso colligere, quæ magis ad mortificationem, & Dei amorem accendunt.

Ad aspirationis porrò ordinem quod attinet, ille in praxi omninò promiscuus est; nimia enim amoris fœcunditas, tanquam ignea flamma scintillas feruoris vndecunque prouenientes suffla minat, [nec attendit *a* quo ordine, qua lege, quavè serie, seu paucitate verborum ebulliat, dummodo ex hoc nullum sui sentiat detrimentum. interdum nec verba requirit, interdum nec voces omninò vllas, solis ad hoc contentus suspirijs. Inde est, quod Sponsa sancto amore flagrans, idque incredibili modo, sane pro captanda quantulacunq; euaporatione ardoris, quem patitur, non considerat, quid, qualiter eloquatur, sed quidquid in buccam venerit, amore vrgente non enuntiat, sed eructat. Per se enim ex intimis non solum cum non vis, sed & cum nescis, erumpit, euulsus potiùs quam emissus.] pro ordinario tamen aspirationis vsu consequenter dicimus,

Quod Aspirationes non nimis multiplicatæ, transeant in contemplationem.

ARTICVLVS TERTIVS.

QVidam sermonibus pleni, & spiritu vteri sui coarctati, quasi *b* mustum absque spiraculo, quod lagunculas nouas disrumpit, vsquè adeò in suspiria, gemitus, & sonos prorumpunt, vt paulò minus, quam sibiipsis anhelitum suffocare videantur; parum memores vicissitudis humanæ, ac inconstantis naturæ, quæ cum modo diuina omnia quasi deglutire satagat, mox deindè eorum incredibilem nauseam experiatur, & hoc ipsum ex eo, tum quod eiusmodi nimia actiuitate animam, & corpus defatigent, tum quod naturalem choleram, sicuti cum hoc, vel illud indignè ferunt, indiscretè commouendo, propriæ interioritatis serenitatem conturbant: tum etiam quod ex modico adhuc progressu spirituali, præsentia Dei in statu aspirationis nondum continuari possit, absque interruptione, quæ facilè accidit.

Aspirationes itaq; moderato feruore, & repetitione assumendæ sunt, vt scilicet postquam vnius aspirationis operatio, & gustus cessauerit, summque præ-

a Bernar. *b Iob. 32.*

præstiterit, tum demum ad productionem alterius procedatur, alioqui seipsum quis facilè excæcaret; sicut festinus sese perturbans apertis oculis quærit, quod ante se habet, aut manu gerit. Sicut autem aliquando [à *a* meditatione eleuatur mysticus ad contemplationem; ita etiam, multoque faciliùs per aspirationes moderatè sibi inuicem succedentes, in contemplationem transit; iuxta illud Prophetæ: *b* Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ, vidit & commota est terra, ac si diceret, quando in cœlo subitaneæ illustrationes apparuerunt, & aliquoties visæ fuerunt, tunc in terra cordis humani admiratio cœlestium excitata, & reuerentiali intuitu aliquantò firmius continuata fuit. sed firmum eiusmodi intuitum nondum diu durare, consequenter dicendum erit:

Aspirans quare facilè distrahatur.

ARTICVLVS QVARTVS.

POstquam Aspirans aliquamdiu in suo exercitio moratus fuerit, non sine admiratione inueniet se facile distrahi, & faciliùs quidem, quam in statu meditationis: huius autem rei ratio est, quod meditans nondum actiuatus, tardo intellectu, & frigido affectu, paulatim proposita mysteria digerat, & ideò tenacius suo instituto affixus maneat; Aspirationis autem tendentia, cum magna celeritate peragatur, si mysticus segnioris animi fuerit, illicò visum internum ad euagationem pronum, liberum dimittet ad obuia quæuis: si nimirum aliam aspirationem non substituerit, cuius noua additione distractio cohibeatur, quæ alioqui ex malo culpæ originalis iniustitiæ, interruptionem parit. quis enim in primis annis, & adhuc plenus carne, & sanguine, spiritualibus solatijs ita Dei præsentiæ intendat, vt pluries, dum inordinatus appetitus vigorosè aliò mouet, & Dei præsentia vix à longè afficit; aut quacunque tandem ex causa, vel negligentia, ad externa non dilabatur?

Sed longè aliud est externum quid menti præsentari ad videndum, & aliud cogitatione, aut complacentia inibi commorari. eapropter esto interruptio per cogitationem accidentalem inchoetur; si tamen mens, & affectus simul non abripiantur, at potius alia pia aspiratio substituatur, non tam erit distractio, quam impertinentis cogitationis reiectio, & aspirationis continuatio; ita vt tum nō propriè distrahatur aspirans. cum enim aspirationes multæ vnam duntaxat Dei præsentiam, aut fruitionem constituant; si mysticus vna aspiratione absoluta, dum aliam non tam facilè efficacem inuenit, interea verò aliquam impertinentiam simul intueatur, attamen non absque aspirationis productione, hoc non esset distrahi, sed distractiones reijcere, & nouo actu, & tendentia Deo adhærere. nam cum [desideria secundùm *c* aliquid habeant Deum;] rei impertinentis coëxistens

a S. Bonau. 3. itin. cter. d. 1. b Psal. 96. c Bonau. 3. itin. cter. d 3.

visus à Deo non omninò separaret, aut distractum faceret: quamuis interea deprimeret *a* terrena inhabitatio sensum multa cogitantem, maximè si tentationum passiones insolescerent. & tum meritò Domino Deo humiliter exponi potest illud Augustini. *b* intromittis me in affectum multum inusitatum, introrsus ad-nescio quam dulcedinem; sed recido in hæc ærumnosis ponderibus.] ne autem distractiones (aspirationis affluentia subinde subducta) ex defectu sese conformiter habendi, prævaleant, consequenter monemus,

Quod meditatio ab Aspirante subinde vtiliter resumenda sit.

ARTICVLVS QVINTVS.

CVm aliquando contingat aspirantem nullis orationibus iaculatorijs, deuotis suspirijs, ac instantaneis actibus amoris, aut deuotionem percipere, aut seipsum recolligere, aut nihil quasi ad intra cum pace, aut spirituali gustu præstare posse; quin imò multis vanis imaginibus, oblectationumque titillationibus exagitari: absque vlla hæsitatione Passionis Domini nostri Iesu Christi aliquod mysterium, vel nouissimorum *c* meditationem extemplò reassumat; pro certo habens longè melius esse imaginationem, & rationem salubriter similium repræsentatione, quam vanorum phantasmatum deceptione, & concupiscentia adimpleri. quamdiu enim sensus, imaginatio, & appetitus vanus non sufficienter in alijs mysticis functionibus occupantur; & quodammodo pro libitu susque deque, & ad quæuis obuia declinant, certè tempus pacis, & internæ quietis nondum est. Vnde sicut in speculo, aut aqua commota, nulla potest imago recipi, nec quieto aspectu cõtemplari, ita prorsus frustra turbatus animus, & varijs illecebris irretitus recollectionis, & fruitionis oblectamenta præstolabitur. Vndè in praxi frequenter hallucinantur illi, qui sibi persuadent, meditationem pro actus exercitio resumere (licet alioquin nihil vtilè præstare possint) esse contra spiritualem profectum, aut ipsorum statum minus decens. Cæterum vbi pijs imaginationibus, per meditationem noxiæ, aut vanæ imagines abijciuntur, ibi paulatim interioritate iterum benè composita, ignis alicuius aspirationis deuotæ, excuti poterit. In quem finem sibiipsi instituat colloquia plangentia suiipsius vilitatem, nihilitatem, infidelitatem circa mortificationem, & virtutes, firmoque animo iteratis, vicibus, sua proposita renouet, examinetq;. Iam verò, quæ hucusque de statu aspirationis dicta sunt, breuiter ad quotidianam praxin consequenter apponimus,

Synopsis status Aspirationis.

ARTICVLVS SEXTVS.

C*Oncaluit* d *cor meum intra me, & in meditatione mea exardescit ignis.* ac si diceret: ô pia anima, cuius concaluit cor ex pijs meditationibus, quæ etiam à frigore mundanarum cupiditatum

a *Cap. 9.* b *S. Aug. l. 10. conf. c. 40.* c *Ioan. à Cruce de obs. noct.* d *Psal. 38.*

tum libera es, & tuam interioritatem diuino amore calefacis, noli contenta esse tardo amandi modo, sed expedito conamine tanquam scintilla ab ipso igne exhalata, in superiores, & magis diuinos amores transuola; ibidem in ignorantia quadam supra teipsam eleuata: non tamen in illo suauitatis gustu diutinam mansionem tibi persuadeas; nam amor aspirans ad instar scintillæ subito ascensu in altum peruolans, extinguitur; ignem & lumen deserens: at certè sicut vix pereunte scintilla vna, rursum consurgit alia ex eodem igne; ita prorsus oportet, vt ex statu meditationis succenso calore cordis, amor diuinus exardescat, sicut ignis, alia atque alia successione aspirationum: non tamen nimia, & indiscreta, alioqui seipsam facilè aliqua debilitate, aut inutili conatu læderet; sicut si exardescentes scintillæ, nimio, & vago motu in circumstantes aduolarent, illos mox ab igne fugarent.

Verùm sicut nimia multiplicatio scintillarum piarum nocet, ita quoque remissa paucitas, & segnior exercitatio, aspirantem inanem diuini amoris rederet, & dispositum ad recipiendas inutiles, vel etiam nociuas cogitationes, aut appetitus. ex naturali enim depravatione, eiusmodi vana quælibet sese animo ingerunt, si ad aliud, quod melius est, abductus non fuerit. itaque instantanea actiuitas spiritus, quæ volubili motu in quodlibet cognoscendum, vel amandum dilabitur, per diligentem subrogationem aspirationum sanctarum corrigenda est. sic enim spiritus in seipso quasi conclusus à distractionibus, & appetitibus inordinatis liberatus, exardescit sicut ignis, & ex calore cœlestium per suspiria, & desideria piè scintillantia, seipsum benè afficit, Deoque coniungit.

At si quandoque pro voto non succedat in Deum tendentia, viuacitate naturalis sensualitatis insurgente; aut quòd pia anima tanquam in terra deserta, & inuia, & inaquosa, in loco sancto, & præsentia Dei appareat; ad regulas *a* communes suprapositas confugiat, stricto examine adhibito, si in aliquo defectuosam se repererit. Nec minori etiam vtilitate subindè aliquam meditationem reassumet, ne libertatem euagandi sibi facilem reddat. Vnde etiam dicit, in meditatione mea exardescit ignis; ac si diceret, ad habendum aliquem ardorem ignis diuini meditandum est: quis enim non videat melius esse aliqua pia meditatione, & discursu intellectum à vanis, & inutilibus, ne dicam nociuis imaginibus auocare; quam neglecta meditatione sine amore orationum iaculatoriarum, ad quæuis obuia diuagari?

Præterea si nihil horum prosit, & nec meditatione, nec aspiratione Dei præsentia dignari se videat; ad alium boni modum se transferat; & in seipsam, vtpotè indignam diuina fruitione exardescat: & ideò dicit alio sensu, in meditatione meiipsius exardescat ignis. ac si di-

a hic supra decis. 12.

si diceret, dum memetipsam imperfectam, tentatam, aridamque in Dei sensu meditor, & recogito, tum exardescit ignis, & cupiditas contemnendi meipsam, ac laudandi Deum, quod in seipso fœlix & beatus sit, ego autem misera & desolata; tum etiam me indignam censeo, quæ aliquo Dei solatio fruar, atque in mei persecutionem, & mortificationem exardesco: ac me ad omnem miseriam, desolationem, tentationem tamdiu ita patienter ferendam resigno, donec Deo Opt. Max. aliter placeat de me disponere; vel iterum aspirationum vsu, tanquam ignis, amor Dei accendatur: vel ad statum contemplationis, & quietem mentalem transire valeam. Vt autem constet, quantum quis hucusque profecerit, & an ad vlteriora procedere possit, consequenter dicimus,

De spirituali profectu, duratione, & transitu ab aspirationis ad contemplationis statum.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

SIcut excedit motus subtilis grossum, celer tardum, frequens rarum; ita præcellit amor aspirationis meditationem. in hac enim grossa imaginatione, & longa consideratione, & sæpè absque Dei singulari præsentia, sua peragit: in illa verò subtili, facili, ac frequenti amore exardescit sicut ignis in spinis, diuino sufflamine perfusus.

Ad durationem autem status aspirationis quod attinet, si ordinarium cursum spectemus, vix vltra annum, aut alterum in eo detinetur mysticus. solet enim ab instantaneo aspirationis motu, ad firmum intuitum contemplationis facilè, & libenter transire; vt ignem amoris conclusum in spatia, & amplitudines spiritualis magnitudinis possit extendere: Si quis tamen abundantiori mystica gratia à Deo dignatus fuerit posset [aliquis intra duos[a] menses: & citissimè ad magnam contemplationem peruenire.] si verò illi considerentur, qui ad status supernaturalis modi non transeunt, istiusmodi aspirationis exercitium, tota vita durat vtilissimè. tales enim aut in meditatione, aut in contemplatione promiscui in praxi, & exercitio actus, modò suspiria, & orationes iaculatorias intermiscent, modò ad actualem contemplationem transeunt.

Quando autem experientia constabit, instantaneas operationes, & orationes iaculatorias solito ardore destitui, & internam dispositionem ad intuitus, & inhæsiones spirituales inclinanare, vt tanquam fatigatus exercitatione præhabitæ actiuitatis per aspirationes, liceat habitum quietis mentalis assumere; absque aliqua hæsitatione ad praxin status contemplationis, vel affirmantis, vel negantis transeat: Si tamen eiusmodi spiritualem intuitum, & gustum non transeuntem) quod frequenter fit in statu aspirationis) sed permanentem compererit. Et ideò ab vlteriori

[a] *ap. S. Bonau. in prol. Th. myst. & Io. à Cruce flam. amor. Cant. 3. § 5 S. Ther. sua vit. c. 11, 12. & 14*

riori progressu meritò cohibendi sunt, qui muliebri curiositate magis, quam firmo animi intuitu seipsos ingerunt; ne fortè minus proficere, aut perfecti videantur; quam hi, vel illi quos audierint, vel legerint in sequentibus statibus versari, vel qui [absque praxi *a* eorum quæ legunt, & intelligunt, ad contemplationem se transire posse arbitrantur.] horum enim præceps feruor, est similis illi, quo Samaritana illa mulier, quæ quinque viros habuerat, & sextum habebat, (cum à Saluatore nostro audiuisset, quod aqua illa, quam ipse daturus esset, fieret fons aquæ viuæ salientis in vitam æternam,) in hac verba prorupit: Domine da mihi hanc *b* aquam, vt non sitiam amplius, neque veniam huc haurire. & ideò Saluator noster responsionem omnino alienam, vti videbatur (quæ etiam sine admiratione non legitur) dedit dicens: vade, voca virum tuum. mira certè responsio, ad tam pium desiderium; verùm sciebat benè qui corda scrutatur, & renes, inconstantes, nec solido fundamento pietatis erectos, tum nubere velle, cum in Christo luxuriati fuerint: & vbi sensualis, ac naturalis de Deo oblectatio, vt summo & primo Bono disparuerit, tum sæculi voluptatibus iterato coinquinari. Et hisce de statu aspirationis breuiter positis, de statu contemplationis consequenter dicemus.

a Candelt de vol. Dei, 1. p. c. 18. b Ioan. 4.

TERTIVS STATVS MYSTICVS EST CONTEMPLATIONIS,

Et Primò:

MODI AFFIRMATIVI.

DECISIO SEPTIMA.

ANIMALITATE, siue inferioris hominis capacitate, instantanea aspirationum actiuitate, ad interiora sua reuocata, & dilectione ipsius infinitis propemodum, & vt ita dicam, paruis actibus expleta; spiritus rationalis à vinculis passionum, & fallacijs sæculi tantisper expeditus, ad amplitudines & spatia cœlestia perlustranda, lumen internum dirigit: quo ita contemplationis aspectu, penitius sibi ad oculum statuat, quod quasi ex rapina,

& furtiuè in aspirationis statu, sibi adoptauerat, pro vt ex sequentibus constabit. Et

I. *Quid sit Contemplatio propriè.*
II. *Contemplatio propriè sumpta est modi vel affirmatiui, vel negatiui.*
III. *Contemplatio modi affirmatiui, est secundùm attributa diuina, Bonitatis, Sapientiæ, &c.*
IV. *Subindè etiam sine attributis diuinis ad nudam essentiam penetrat contemplatio.*
V. *Contemplatio diuinitatis, pro vt transcendit omnia, ob diuersos modos operandi, hoc loco rarò prodest.*
VI. *Quod interruptio fruitionis restauretur auersione, & conuersione mystica, quamdiu contemplatio est affirmatiua.*
VII. *Quod contemplatio, quæ fit per inhæsionem, aut exspectationem deducat ad falsum otium.*
VIII. *Contemplationem non per firmam inhæsionem, sed operatione noua, per trinariam distinctionem formari, & continuari debere.*
IX. *Contemplatio siue de attributis diuinis, siue de nuda essentia diuina, durat vsque ad initium priuationis.*
X. *Contemplatio affirmatiui & negatiui modi in praxi contingit promiscuè.*
XI. *Synopsis status contemplationis modi affirmatiui.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit contemplatio propriè.

DVm hic de contemplatione secundùm propriam acceptionem loquimur, & pro vt per se statum mysticum à præcedentibus, & sequentibus discretum constituit; absit omninò latissima illa acceptio, qua contemplatio commune quid est ad omnes operationes fixas intellectus; absit etiam confusa illa descriptio, qua nonnulli mysticorum, ea, quæ propria sunt statibus vnionis, & transformationis, sub contemplationis nomine explicarunt. Est ergò Contemplatio propriè sumpta [diuinæ *a* veritatis simplex intuitus.] simplex quidem, vt à cogitatione, quæ ad euagationem pronus aspectus est; & à meditatione, quæ vt plurimum laboriosa, & discursuum varietate plena est, absoluatur; intuitus verò, vt affectuosa reiteratio aspirationũ corrigatur. Contemplatio enim expeditè, & iucundè sub vno visionis radio ad innumera sese diffundit, & post meditationis, & aspirationis status, [mentis ad *b* Deum eleuationem, per modum consistentiæ,] porrigit: Ad mensuram tamen modi naturalis, qui ordinariè est per discursum, & rationem, cum vsu, aut saltem passione phantasmatum; licet contemplatio

a S. Thom. 2. 2. q. 180. a. 1. 2. *b* Barbanf. sem. occult. 2. p. c. 4 5. 6.

platio simplex, & pura videatur. quod autem contemplationis modus duplex sit, consequenter dicendum est,

Contemplatio propriè sumpta est modi vel affirmatiui vel negatiui.

ARTICVLVS SECVNDVS.

LIcet [in DEI cognitionem veniamus *a* non tantum per affirmationem; sed etiam per negationem,] & modus affirmationis, vel negationis sit tantum medium, seu auxilium proportionatum contemplationi, ipsaq; contemplatio vnius sit naturæ, & conditionis; quod videlicet superiorem seu spiritualem hominem, secundùm ampliorem capacitatem Deo adimpleat, satietque; hoc tamen aliter, atque aliter fit, reperire enim est nonnullos, ad Dei amorem ex ipsa naturali modestia, mansuetudine, & indole bona perquam faciles: alios autem aridos, & in gustu amoris diuini valdè siccos; quin etiam in seipsos rigidiores, virili pectore, quidquid mentali negotio annexum fuerit amicabilitatis, reijcere, ac transcendere. Atque ex hac tam notabili (scilicet in praxi) differentia, solet contemplatio in affirmatiuam, & negatiuam diuidi; non quod in praxi necessariò post contemplationem affirmatiuam, negatiua sit assumenda; sed quod contemplatio spiritum, siue mentem firmiori, & clariori rerum diuinarum cognitione, & amore diuersimodè perfundat. vnde etiam contemplationem in modum affirmatiuum, vel negatiuum commodiùs pro praxi diuidimus; vt vel amorosè, vel aridè pro sua cuiusque natura, humore & tractu illam perambulet, talemque modum amplexetur, quem sibi proportionatum esse didicerit; cum vterque quosque sui sectatores, paulatim ad summum contemplationis status exaltet.

Est autem contemplatio modi affirmatiui, firmus animi intuitus, in Diuinitatem directus cum actuali amorosa degustatione: Contemplatio verò negatiui modi, est pariter firmus animi intuitus in diuinitatem directus, at sine actuali sensibilitate; omnia quæ sunt, & quæ non sunt, transcendens; & sic similiter [ad verum Dei amorem duplici *a* via peruenitur. prior est delectatio affluentis gratiæ Dei: altera via resignationis, & crucis, seu afflictionis est. hic homo omni spirituali solatio priuatur, estque hæc via ariditatis, & siccitatis:] scilicet internæ deuotionis. Itaq; nonnulli magis per vim concupiscibilem, & amicabilem dilectionem; nonnulli verò magis per vim irascibilem, & animosam transcendentiam procedant. & sic etiam [quantum *c* ex gestis mihi conijcere datum est, plus in Hieronymo, & Ambrosio viguit vis irascibilis; in Augustino & S. Thoma rationalis; in Gregorio & Bernardo concupiscibilis.] quod autem eiusmodi contemplatio nondum per conceptum absolutum fieri possit, consequenter dicemus,

a *S.Thom.l 3.cont.Gent.c.39.* b *Taul.ser.vn.in fest.plur.Mart.* c *Gerf.Th.myst.pract.cons.3*

Contemplatio modi affirmatiui, est secundùm attributa Diuinæ Bonitatis, Sapientiæ, &c.

ARTICVLVS TERTIVS.

EX nunc oportet, vt superior pars hominis, id est, rationalis, in prioribus statibus collecta, admodum spiritui conformem eleuetur, & eundem Deum melioribus fruitionibus præsentem statuat; non tamen eminentiori modo operandi, scilicet simplici intelligentia per conceptus diuinitatis absolutos, tanquam Primi Entis, & Boni, idq; sine discursu rationis vel vsu phantasmatum, nisi fortè per accidens; quando scilicet [per corporalia mens ad speciem materiæ *a* expertem perduceretur;] vel per speciem infusam, aut præuiam voluntatis commotionem (absque actu intellectus eo directo) à Deo excitaretur, quod hoc loco rariùs contingere solet. talis enim est conditio intellectus, attributa diuina contemplantis, vt per aliquales saltem discursus, & illationes vnius ex altero, ac similitudines, Dei præsentiam & fruitionem acquirere, & fouere debeat. per *b* attributa scilicet diuina, id est, per contemplationem diuinæ Bonitatis, Magnitudinis, Sapientiæ, Æternitatis, Potentiæ, Maiestatis, & similium, per quæ spiritus illustratus, & intimè perfusus, ad affectus, & alloquia summæ admirationis, reuerentiæ, & collaudis sese protendit; apud illos [præsertim, *c* qui sensibus quieti sunt, & intellectu non actiuo, aut etiam simplices, & non multum capaces; pleni tamen naturali amoroso affectu, & corde hilares: isti enim in sua ad Deum conuersione, non sunt actiui in exercitio virium intellectualium, sed sentiunt se magis inclinatos, & dispositos ad exercitandum se in vi concupiscibili: quia in illa statim inflammantur ardenti amore Dei.] ad contemplationem autem puram aliquando mysticum pertingere (saltem in actu transeunte) consequenter dicemus,

Subindè etiam sine attributis diuinis ad nudam essentiam penetrat contemplatio.

ARTICVLVS QVARTVS.

POst attributorum diuinorum contemplationem practicam, subindè affectus amoris, & complacentiæ silentiosè admodum irrepit, intellectuique lumen ex amoris præstantia refulgens, porrigit; quo altiùs, & simplici quadam intelligentia essentiam diuinam absque attributis contemplari valeat: ex ipsa hac eleuatione iterum occasionem assumens, vt intellectualibus, & affectuosis operationibus proprijs, superior euadat, & magis spiritualiter spirituum Conditori vniatur; comite tamè phantasia, licet non seruiente, & hoc ipsum contemplatore non aduertente; ita vt mysticus ad se ipsum rediens, & notitia reflexa, vt potest melius, habiram

a S. Dion. b Candel. de volunt. Dei, p. 2. per tot. c Harph. l. 2. p. 3. c. 21.

bitam fruitionem illustrans, admirari soleat hanc sui supra seipsum eleuationem, & diuinæ communionis præstantem modum. & certè ad eiusmodi excedentem diuinæ fruitionis perceptionem, omnes contemplantis conatus diriguntur; vndè etiam frequenter contingunt mystico, qui vitiorum, aut distractionum molestijs singulariter nō distorquetur. Similibus autem modum contemplationis affirmatiuæ magis, quam negatiuæ conducere, consequenter dicimus.

Contemplatio Diuinitatis, pro vt transcendit omnia, ob diuersos modos operandi, hoc loco rarò prodest.

ARTICVLVS QVINTVS.

ADmirabilis est interioritatis variatio, postquam contemplatio amorosæ diuinitatis, sub conceptu Entis absoluti, aliquandiu [puta per annum plus minus] perstiterit; quandoque enim mysticus distractionum, & tentationum molestia ita perturbatur, vt internam quietem haud quaquam possit consequi; mox in sua conuersione ad Deum, ita elongatum se reperit, vt aliud non possit, nisi vt sibi exoptet aliquid interioritatis: Subindè habita interioritate, postmodū indagari prius incipit, quorsum scilicet, an supra, vel infra, ad dextram vel sinistram sese dirigere habeat; percipit etiam interdum prælibamen duntaxat illius, quem diligit anima eius; modò collucet lumen intellectuale transiens, rariùs perseuerans; idque aut nullo, aut modico concomitante affectu. Tandem cum spiritualis dispositio optima fuerit, & potentiæ intellectus, ac voluntatis adæquatè & simultaneè à Deo benè affectæ, assequitur duntaxat suum intentum.

In his porrò modis habendi, & cooperandi, cum sit aliqua interna occupatio, & fruitio, paulatim magis, & magis intensa; valdè vtiliter mysticus ab exterioritate protegitur, & ad intra plus, minusq; benè disponitur. at conuersio ad Deum, pro vt ipse est omnia, & primum Ens, ac Bonum (alia verò nihil comparatiuè) adducit conceptum, prędictos modos habendi, & acceptandi transcendentem, & mysticum sine moderamine, & ordinato progressu, ab inferioribus supra sortem, & conditionem; ita quidem vnica conuersione eleuantem, vt facta tali conuersione, dein aut non habeat correspondentem fruitionem, ac suspendentem attractum animum à relapsu ad ea, à quibus, vt impertinentibus se auerterat, & vt à sibi benè proportionatis inceperat; ita vt diuinæ contemplationis locum, inanis, vacuus, & obscurus conatus occupet. cum enim natura à commutabilis boni appetitu, & gustu liberari nequeat, nisi incommutabilis boni communicatio ei substituatur; aliter fieri non poterit, quā vt post (vtilem quidē auersionem ab ijs, quæ Deus non sunt) sed superficialem conuersionem eorum, quæ Deus sunt, aut ad obscurum phantasma, aut ad quæuis obuia decidat, ac rarò admo-

dum vtilitatem inde percipiat. Cum ergò diuinitatis absoluta imago, siue repræsentatio vt primum Ens, siue Bonum tempore orationis mentalis vitali, & reali perceptione non affecerit, nec animum in firmum intuitum attraxerit; absque vlla hæsitatione (præsertim cum indè tepiditatem aduerterit) ad aliquod diuinorum attributorum, velut omnipotentiæ, misericordiæ, seueritatis, & similium se conferat; quo ita obiectum conforme suo statui, dispositioni, & operationi acquirat, & tempus non otiosè, ac sine fructu expendat. Iam verò de modo continuandi mysticam contemplationem, consequenter dicendum erit.

Quod interruptio fruitionis restauretur auersione mystica, quamdiu contemplatio est affirmatiua.

ARTICVLVS SEXTVS.

HAllucinantur hoc loco mirum in modum contemplatiui, sibi imaginantes, quasi aut semper, aut frequentissimè ad modum, & fruitionem simplicis intelligentiæ, seipsos eleuare possint; tristitia, & tædio spirituali frustra se discruciantes, cum ad medias, aut inferiores species, vel imaginationes seipsos relapsos intuentur: quum tamen hoc loco cardo rei versetur, non tam circa omnimodam continuationem, quam qua ratione expeditè reintegrari possit fruitionis interruptio; pro qua quidem restauranda, aliud non sollicitè requiritur, quam vt ipso instanti, quo contemplans aduertit, se ad alia distractum, actu obliuionis eorum, quæ cogitabat, aut auersionis eorum quibus aliquali affectu detinebatur (vt quæ nihil sint respectu Dei, qui omnia est) non tam actu resistentiæ, aut pugnæ, quam relictionis, & auersionis deserat, & illicò ad diuinitatis recordationem sese conuertat. ipso enim instanti conuersionis, quamdiu contemplatio fuerit amorosa, seu vitaliter, & cum gustu spirituali afficiens, diuinæ bonitatis similitudo consurgit; quam etiam subitò affectus rapit, intellectus inspicit; affectus autem iterum resumit, & stringit, vt intellectus illam penitiùs illustret; & ita frequenter, aut potiori orationis mentalis tempore.

At si complacentiæ illa contemplatio paulatim euanuerit, modus quidem auersionis ab ijs quæ sunt, & quæ non sunt, ac pro nihilo reputantur, omninò retinendus erit; cum mysticum facilè à tentatione, & remora quacunque expediat: Modus verò conuersionis ad Deum qui omnia est, vt plurimum inutilis erit, & ad otiosum intrinsecum phantasma obscurè deducens, ac improportionatè eleuans contemplatorem, & supra modum, speciesque congruas; ex quibus tamen obiectum ad contemplandũ sibi repræsentare posset.

Interruptio porrò fruitionis diuersimodè contingit. Primò, per eiusmodi improportionatam eleuationem, aut transcendentiam, quæ vti iam *b* dictum est,

b hic art. 3. 4. 5. 6.

est, corrigitur Secundò, quando amicabilis fruitio pro præsenti finitur, & ad sequentem meliorem disponitur; & talis interruptio in hac vita caueri non potest. Tertiò, quod magis in praxi frequens est, quando [*a* appetitus mouet aliò,] & tunc actu non cognoscit, quia non adest attentio: [vndè & *b* phantasmata in organo conseruata interdum non actu imaginamur.] & cum contemplans ab inordinatis affectibus nondum depuratus sit, non potest non per appetitum vitiatum frequenter alio moueri, & consequenter facillimè interruptionem vitalis contemplationis incurrere. quia si [illud *c* attentiùs operamur in quo delectamur,] & delectans appetitus aliò facilè trahat; quomodo non multoties ab actuali, simplici, & vitali contemplatione decidet? ac difficilè, imò quamdiu appetitus vitaliter aliò mouerit frustra, per conuersionem ad Deum (qui totum, & omnia) improportionata eleuatione, ac speculatione potiùs, quàm contemplatione sese eleuabit: illa enim verè superficialis, & inutilis speculatio, non contemplatio dici potest, quando quis non per realem, sed superficialem ad Deum tendentiam vult actualiter cum vitali benè afficientia, & spirituali gustu Deum contemplari; licet de vitali ad Deum gustu nihil habeat, & consequenter intellectus non possit speciem proportionatam ad actualem operationem elicere, nec fruitionem per operationes sibi inuicem influentes continuare. Et ideò si facta ad Deum conuersione phantasia, & ratio non satis ligentur, & mens ad euagationes dilabatur, per attributa diuinitatis scilicet, omnipotentiæ, bonitatis, iustitiæ, misericordiæ, & similium; at quidquid demum à distractionibus, tentationibus, & impertinentijs prohibere poterit, ad puram vitalem, & amorosam ad Deum conuersionem sese disponat: vt ita ad minus vtiliter tædium & internum otium declinet.

Cum autem ex inordinata inclinatione ad fundum, & primum principium dilectionis diuinę (ex originali iniustitia vitiatum) varia mala profluant, consequenter dicimus,

Quod contemplatio, quæ fit per inhæsionem, aut exspectationem deducat ad falsum otium.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

SIcut illi, qui nuda conuersione ad Deum, in tanta *d* diuersitate habendi, & operandi, vno eodemque modo omnia transcendere conantes deficiunt, & ad hic & nunc præsens, parum conformiter operantur; ita alij longè peius, per nudam exspectationem à vera realique contemplatione aberrant; dum (licet nulla singulari dilectione à Deo dignati) passiuè se habere volunt, & absque vlla operatione exspectare, quid in illis loquatur Dominus. tum enim non tam est tempus, vt in il-

a *S. Thom. l. 1. cont. Gent. c. 55.* b *ibid.* c *1. 2. q. 33. a. 3 6.* d *hic a. 5.*

in illis loquatur Dominus, quam vt ipsi actibus humilitatis, aspirationis, contemplationis attributorum diuinorum, aliorumvè similium sese paulatim disponant, & moderato progressu ad puràs diuinæ essentiæ visiones formandas exhibeant.

Obseruandum est ergò, quod [Deus non sic in omnibus operatur agentibus, vt & *a* ipsa non operentur; sed operatur in quolibet finaliter, effectiuè, & formaliter; vt tamen & ipsa etiam agant.] nam [super modum *b* communem, quo Deus est in omnibus rebus per essentiam, potentiam, & præsentiam, est vnus specialis, qui conuenit naturæ rationali, in qua Deus dicitur esse sicut cognitum in cognoscente, & amatum in amante; & quia cognoscendo, & amando creatura rationalis sua operatione attingit ad ipsum Deum; secundùm ipsum specialem modum, Deus non solum dicitur esse in creatura rationali; sed etiam habitare in ea, sicut in templo suo.] qui ergò per nudam exspectationem ad Dei contemplationem pertingere vult; is Deo non per cognitionem, & amorem, sed per falsum otium, & non cooperari coniungeretur, & secundùm communem modum, quo Deus etiam in lapidibus est per essentiam, potentiam, & præsentiam, ad instar lapidis durus, aridus, & vitali operatione destitutus, sibi soli remaneret. Et certè si ipsa [beatitudo *c* consistat in vltimo hominis actu, & necessariò ad illam requiratur operatio,] quid non sentiendum erit de illa beatitudine, quæ in contemplatione diuina à nobis in hac vita acquiritur. Eapropter dubium nullum est, quin nuda exspectatione diuinam operationem præstolantes, seipsos viribus destitutos, & nullo obiecto detentos, omni naturali, inordinatæque volubilitati; & ad quoduis distractiuum (saltem repræsentatiuè suscipiendum) liberè, & soluta interioritate sese exponant. Licet enim non tantum vtile; sed & necessarium sit, post adhibitos conatus sese Deo, eiusque voluntati subijcere, ac patienti resignatione exspectare, donec à Patre luminum auxilium aliquod adueniat: attamen longè vtilius est interea aliquid agere, scilicet ad Deum suspirare, seipsum contemnere, Deum reuereri, & similes actus producere, quam sola exspectatione (quæ aliud non est, quam falsum otium) contemplationem peragere velle; quod quidem non minus nociuum, quam temerarium foret. nociuum quidem, eo quod diuersis conatibus aspirationis, recordationis, simplicis Diuinitatem reflexionis, & similibus seipsum non promoueret. Vndè sicut in mari circumnatans, si ideò littus nollet petere, eò quod incertæ nauis, aut nimium distantis præstolaretur aduentum, iure merito suffocaretur; ita prorsus eiusmodi interiorem suam domum vacantem, septem alijs spiritibus nequioribus exhibere posset: cum hoc loco nondum liceat ab operationibus cessare, & felici otio *d* mystico (in quo passi-

a 1. *p q.* 105. *a.* 5. *c.* *b* *ibid. q.* 43. *c* 1. 2. *q.* 3. *a.* 2. *c.* *d* *vt infra* 2. *p. decis.* 6. *a.* 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16.

passiuè quis agitur) perfrui. temerarium verò, eo quod actus diuinitus infusos, qui ita inaniter exspectantem adimplere deberent, sibi promitteret; non obstante, quod actus infusi à mera Dei gratia, & benignitate, sincero amore militantibus ad solamen, & confortationem, & hoc rarò quidem immitti soleant; non autem ad inflammandum otio, & pigra hæsitatione oscitantem. Hisce de causis prudentiores mystici, longa praxi studiosè aduertentes damna, & pericula *a* otij falsi, diligenter admonent, & inculcant, vt ea summo conatu quisquis euitare studeat.

Itaque ne mysticus, aut ad Deum, qui omnia est, conuersione: aut transcendentia eorum quæ sunt, & non sunt, per saltum vacua eleuatione, vel dissoluta exspectatione; plures simili modo inutiliter & molestè transactos annos deploret; ordinata, & diligenti obseruatione contemplationis species *b* formare, & perficere discat. Contemplatio enim continuatur non per inhæsionem, sed per nouam formationem, seu operationem, siue aspirationis, siue recordationis Dei, secundùm eius attributa, videlicet æternitatis, maiestatis, bonitatis; vel secundùm esse diuinam, pro vt est primum Ens, & Bonum; siue etiam pia aliqua meditatione, quousque ad contemplandum quidpiam obtinuerit; si tamen inordinatæ passiones (quod apud eiusmodi desides familiare est) insurgerent, expedit potiùs mortis horrorem, inferni squalorem, & quidquid tandem à vitijs deterrere potest, ob oculos ponere, quam inordinatis appetitibus liberum accessum præbere. tali enim tempore *c* magnus quidem est qui inuenerit sapientiam; sed non est super timentem Dominum. quo verò operationis medio falsum otium caueatur, & fruitio contemplationis continuetur, hic consequenter, & specialiter dicendum erit.

Contemplationem non per firmam inhæsionem, sed operatione noua per trinariam distinctionem formari, & continuari debere.

ARTICVLVS OCTAVVS.

VTrique iam dicto errori, scilicet conuersionis ad Diuinitatem per immaturam transcendentiam, aut nudam exspectationem, tertius accedit; quando videlicet primam illam speciem, aut repræsentationem, quam ex conuersione ad Deum, aut recordatione Diuinitatis consequuntur, tam firmo tenaciq́ue amplexu constringunt, eiq́ue inhærent, ac si vel vinculis & clauis ferreis ei confixi essent, quoquo modo conantes illam speciem retinere: idq́ue tam diu, donec & speciei, & repræsentationis memoriam deseruerint, ad-nescio quod non obscurum phantasma, vel inanem chymæram delapsi. vnde ad seipsos reuertentes, nihil diui-

K ni gu-

a *Canf. 3 p. c. 14. Thom. à Iesu. de orat. diu. l. 1. c. 11. Barbanf. de occult. semit. p. 2. c. 5.*
b *hic art. 8.* c *Eccles. 25.*

ni gustus, aut viuacitatis; quin imò non nisi tenebricosum, & oneroſum fundum reperiunt; meritò ex sola hac notitia spiritu interno ex præcordijs ingemiscente: quo facto iterum simili conuersione acquisitam, & obiectam confusam Dei similitudinem sollicitè retinent; donec, vti prius, semidelirent, suspirentque: atque ita vlterius quid agendum ignorantes pene tabescunt. & licet omnia tam superiora, quam inferiora transcendere; ad Deum se conuertere, & eidem firmiter adhærere velle, bonum sit: (fundantur enim omnia hæc in appetitu visionis beatificæ; in qua omnia transcendentes in primo instanti beatitudinis Deum videbimus sicuti est: & æterna firmitate constringentes omnem moram, & cogitationem superexcedemus) longè tamen est alia vitæ præsentis misera conditio, qua cæcutientes, & ad quælibet prolapsi, vix aliquid Dei cognoscimus, & diligimus; ita vt nostrum & acquirere, & habere, seu retinere, successiua, & ordinata dispositione obtinere cogamur. ne ergò contemplator internæ fruitioni insistens per improportionatam tendentiam, nudam exspectationem vel indiscretam retentionem in interiori homine obdormiscat, aut segnior euadat, per nouas operationes, quæ animi expergefactiones sunt, sese ad spiritus viuacitatem erigere debet, & tanquam præambulum necessarium, quodcunque obiectum, aut mouens, vel distrahens per actum obliuionis primò deserere.

Quo quidem facto, ipso instanti operari incipiat trinaria distinctione. & primo sibi repræsentet, seu cogiter diuinitatem per aliquod attributum sapientiæ, potentiæ, vel simile, aut absolutum aliquem conceptum puta Entiæ, aut summi Boni, pro vt in præsentiarum contigerit posse fieri; & hoc ipsum toties, & tamdiu, quousque aliquem diuinæ bonitatis gustum assecutus fuerit, siue secundùm sensibilem, siue secundùm spiritualem dilectionem. Verùm quia [participatio diuinæ bonitatis, & gratia non est principale *a* mouens ad Deum,] non oportet illicò, & statim vt quispiam in sua ad Deum conuersione, aliquam benè afficientiam consecutus fuerit, omnes intellectus operationes deserere; hoc enim esset se bono priuare, digestionem consecuti boni præscindere, ad visum animi ad euagationem pronum disponere, ac obscurum tædium acquirere; sed pro secundo permittat, vt ex iam habito vel sensibili, vel spirituali gustu, intellectus agens speciem efformet, & vt illa species ab intellectu patiente recipiatur, & subtilior reddatur, totamque habiti gustus perfectionem penetret, exprimat, & eloquatur: ac pro Tertio, ex vtriusque intellectus actione, Dei complacentia, seu amor diuinus producatur.

Iam verò pro hac praxi ordinatè peragenda, non est quod contemplans simul, & in actuali exercitio sollicitus sit intelligere, aut scire, quomodo intellectus agens, vel patiens species efformet, aut subtilicet; sed satis est pro hoc loco,

a S. Thom. opusc. de beatitud.

loco, & praxi, vt habito Dei gustu, non illicò omnem operationem intellectus præscindat; sed sinat intellectum bonum inspicere, ac firmiter intueri; sic enim intellectus per se bonum videns, illud ipsum bonum sua illustratione pulchrum, & lucidum facit; & ex sua fœcunditate, & natura operandi, boni ipsius naturam penetrat, firmiter stringit, & in amorem spiritualem subtilizat. quo ita spiritus ad imaginem Dei per potentias scilicet intellectus, & voluntatis creatus, ad eius similitudinem tripliciter operetur; scilicet per intellectum agentem similis Patri, per intellectum patientem similis Filio, per voluntatem autem seu dilectionem Dei actualem, ex vtroque intellectu prouenientem Spiritui sancto. Et hic quidem modus operandi tripliciter, scilicet per operationem intellectus agentis, & operationem intellectus patientis, & amorem ab vtroque in voluntate excitatum, ita nobis naturalis, & familaris est; vt nihil etiam ad amorem, & vitam humanam spectans à nobis peragi possit, quin prius ad intra, & mentaliter ita operemur, & quod mente cognouimus & diximus, postmodum per os, verba, & voces prius eloquamur, alteriúe manifestemus. Vnde etiam verba oris, non tam verba sunt, quam signa conceptuum, & locutionis internæ. Ex tertio itaque, quo est complacentia, & amor quidam Dei, aut diuinorum; iterum per intellectum agentem formatur species pro primo; quæ species pro secundo recipitur ipso instanti ab intellectu patiente, & ex vtroque pro tertio iterum producitur amor: atq; ita consequenter, donec vel alteri rei vacandum sit, vel (quod frequentiùs contingit) ariditate constringatur, vel distractione ad impertinentia rapiatur.

Non obstantibus tamen omnibus, & singulis vicissitudinibus internis, & externis, quibus mystica continuatio interrumpi potest, oportet vt omnium primò præambuli loco, exterioritas, seu quidquid ad præsentem recollectionem non conducit, deseratur; dein trina distinctione, operatio, seu verbum internæ, diuinæque fruitionis assumatur. circa quam iterum monemus, ne multum sollicitus sit contemplator, dum aliquid amoris consequitur, vt distinguat trinariam dictam operationem, aut propriam ignorantiam vel ingenij grossitiem obtrudat, tanquam talia minus intelligere, aut facere possit; nam prima repræsentatione facta, alia duo ex natura rei consequuntur in instanti; & certè post primam talem speciem, si illa realis, & benè afficiens fuerit; tam citò non posset quis distrahi, quin priùs alia duo expedita forent, ob instantàneam substantiæ spiritualis actiuitatem. Posito autem quod animus aut aridus, aut ad euagationem pronus sit, nec per aliquod Dominicæ passionis mysterium, nec virtutis exercitium, puta resignationis, patientiæ, humilitatis, aut simili pia cogitatione firmiter ligetur; tum longè melius fecerit contemplator, ad euagationem intellectus dulciter cohibendam, si post remotio-

nem impertinentium, dein etiam de industria triplicem distinctionem operationis examinet, & circa illas formandas occupetur; quam quod communi, & imaginaria transcendentia, altiora, & remotiora inaniter cogitet, aut penè brutali, & cæca exspectatione omnia interiora ad quæque distrahentia, in dissoluti animi languorem exponat. Verùm si adhibita occupatione præambuli, seu dispositionis colligentis ad intra, quod fit per auersionem, & obliuionem omnium, quæ Deus non sunt, & trinaria operatione iam dicta, plures, aut ariditates, aut distractiones occurrunt; consideret, oro, qui profectui spirituali intendit, quid tædij, torporis, tentationis, distractionis & quidquid tandem miseriarum sustineri potest, ipsi non esset sufferendum, si tali quali conuersione ad Deum, & mox reuera ad imminens tenebrosum phantasma stolida exspectatione procumberet. De hisce porrò operationibus trinarijs non hoc loco, sed *a* alibi latiùs & profectui spirituali vtiliùs dicendum esse iudicauimus. Quamdiu vero contemplans per similes operationes Dei præsentia frui possit, iam consequenter dicemus,

Comtemplatio siue de atrributis diuinis, siue de nuda essentia diuina, durat vsque ad initium priuationis.

ARTICVLVS NONVS.

ORdinata ergò distinctione ad internas operationes, siue attributorum diuinitatis, scilicet omnipotentiæ, bonitatis, iustitiæ, & similium, siue nudæ essentiæ, videlicet pro vt Deus est summum Ens, & Bonum; sedulò intentus contemplator, propter varia diuinæ naturæ consortia, etiam varias species similitudines & eleuationes suscipit. Est enim status contemplationis, verus & primus ascensus mysticus, licet modi naturalis. vndè etiam in principio per instantaneas ad Deum tendentias, expeditè ad diuinorum cognitionem, admirationem, reuerentiam, & collaudationem erigit animæ spatia, & amplitudines: Dein paulatim firmiori aspectu intuetur, & ad nutum retinet, persistens in ampla eleuatione, ad quam in initio visus, & vota erigebantur: in summo tandem ea, quæ spatiosa erectione habebat, vt propria, & penè naturalia possidet. quousque per deficientiam optima quæque dispareant, vt non sine admiratione huius status mutationem proprijs culpis (licet non rectè) attribuat, atque ita statui priuationis initium ponat, *b* vt dicetur infra. sicut etiam de spirituali profectu, *c* duratione, & transitu à contemplationis (siue affirmatiui, siue negatiui modi) ad priuationis statum. Quæ verò tam circa vnum, quam circa alterum modum contemplationis eueniant, priusquam mysticus ad priuationis

a 2.p.Dec.6. *b* 2.p.dacis.3. *c* Decis.8 a.2.

nis statum (saltem pro vt in medio practicari solet) transeat, consequenter dicemus,

Contemplatio affirmatiui & negatiui modi in praxi contingit promiscuè.

ARTICVLVS DECIMVS.

EO quod subindè in actu transeunte illis, qui amorosè procedunt, ariditates; illis autem, qui ariditate cibantur, amoris beneficentiæ contingant; ideò vtiliter mysticus quædam *a* in contemplatione negatiua exposita perlegere poterit, & experiri, num ipsi adhuc aliquid in præsentiarum practicandum obtingat, priusquam ea, quæ in statu priuationis habentur, assumat. Et quum circa finem contemplationis amorosæ species admodum spiritales, & ab omni eo quod amoris sensibilitatem redolet, disiunctæ sint; non sine fructu legentur ea, quæ in modo contemplationis negatiuæ posita sunt. sicut & à contemplatore negante, ea quæ modi sunt affirmatiui. in praxi enim promiscuè operationes de Deo affirmantes vel negantes seruiunt, & subindè contemplator, qui amorosè procedit vtiliùs (præsertim in ariditate) de Deo omnia negat, quam affirmat: & similiter contemplator, qui spirituali solum dilectione per negationes, & transcendentias exercetur, vtiliùs (præsertim si spiritualis iucunditas, & serenus intellectus affulgeat) de Deo omnia eminenter affirmat. non enim est aliud affirmatio, vel negatio, quàm modus proportionatus, aut medium perueniendi ad finem, & simplicem Dei contemplationem, ac dilectionem. adepto ergò fine, cessat medium, & iungitur mysticus Deo per ipsam vnionem, ad quam aliquando melius per affirmationem, aliquando verò per negationem in praxi peruenitur: idque tamdiu quousque etiam in priuationis initio sit constitutus. & cum inferiùs *b* de spirituali profectu, duratione, & transitu à contemplationis vtriusque modi ad priuationis rigorosæ statum, satis dictum sit, nunc Synopsin status contemplationis modi affirmatiui subijcimus,

Synopsis status contemplationis modi affirmatiui.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

EGo dilecto c meo & ad me conuersio eius. ac si diceret: O pia anima, quæ ex gustu diuino loqueris, & dicis paululum cum pertransissem eos, nimirum sæculi affectus, & tantisper in notitia, & amore rerum diuinarum per meditationis, & aspirationis status, cœlesti sponso, & Dominatori me consecrassem, suauissima illius præsentia frequenter ab aliquot iam annis impinguatam me reperio, ita vt non ampliùs tarda meditatione, aut aspirationum scintillis me ipsi consignare habeam; sed firmo amorosoque intuitu mentis & spiritus capacitatem in cœlestes il-

a inf. decis. 8. *b decis 5. a. 11* *c Cant. 7.*

lius amplitudines diffundere valeam, ac spatiosa iucundaque contemplatione in mea tendentia, sponsum ad me conuersum amplectar : Obserues velim quod modus, cum quo dilecto esse potes & debes, considerandus sit ex conuersione, qua & ipse Dominus se ad te conuertit ; quæ certè conuersio non semper vno, eodemque, sed vario modo contingit : aliquando enim postquam te ad diuinæ præsentiæ contemplationem tradideris, non tam facilè, & expeditè in conuersione suauitatem cœlestem inuenies, & ideò, ne te ad alia diuertas aut distraharis, ad attributa diuina contemplanda te conuertas oportet, v. g. immensæ diuinitatis, potentiæ, sapientiæ, bonitatis, & similia, vt ita amore succensa, in affectus admirationis, reuerentiæ, & laudis te extendas. & certè taliter, & non aliter ordinariè se conuertit ad te diuina præsentia ; quam nimirum per notitiam & dilectionem attributorum : non diu autem (licet sæpiùs) secundum puram & essentialem quandam contemplationem. & ideò conuersio eius est ad te, id est, ad videndum, & contemplandum se præbet, vt lumine, & similitudine interueniente, aliquam illius formam, & speciem acquiras, quemadmodum qui amicum videre vellet, lumen aliquod proportionatum ad videndum prius, habeat, oportet : tale autem lumen internum hoc loco est illa notitia, quæ ex intuitu magnificentiæ diuinæ profluit.

At si quandoq; intimior dilecti conuersio ad te fuerit, & quasi aperta diuinæ essentiæ præsentia, non sub alicuius attributi, verbi gratia sapientiæ ; sed absoluta repræsentatione, vt quæ summum bonum sit : idipsum non ordinariè appetere debes, nec limites conuersionis excedere, quæ vti se facilè conuertit, ita & facilè auertit, ideò etiam ordinario exercitio intellectum & voluntatem occupare debes, scilicet luminosa, & affectuosa contemplatione ; ita tamen vt paulatim penitùs ad Deum conuersa, illius contactum suscipias, et dicto contactu, vbi ad teipsam reuersa fueris, pulchriorem similitudinem habitæ communionis fabricatura ; idque toties, quoties fieri poterit ; reassumendo tamen attributa diuina pro medio, & occupatione intrinseca, tendente ad optatam conuersionem, & fruitionem.

Insuper obserues velim, ô pia anima, quid sit dicere : Ego Dilecto meo, & ad me conuersio illius : indubiè enim ex gaudio cordis ita loqueris, & dicis ; scitote ô deuotæ consodales, quod singulare solatium mihi obtigerit in præsentiarum : non enim sicut pluries contingere solet, aut distracta, aut arida prohibita fui à conatu meo ; nam mox, cum me ad diuina spectacula conuerterem, illicò & illa ad me conuersa percepi ; ita vt magnam gratiam post labores, & sollicitas mentis tendentias, assecutam me fatear per interna solamina. Iam verò licet hæc ita fiant, meminisse tamen debet pia anima, quod si volubilis vitæ humanæ inconstantia etiam

etiam feruentem mysticum, & diuinorum expertem, ad caduca (saltem obiectiuè contuenda) à fruitione cœlesti retrahat: quantò magis illum, qui in contemplationis lumine, & amore, ac diuina magnitudine conspicienda initium prius & fundamentum iacit, sæpè interturbabit? Et ideò sollicitè à rebus caducis tanquam à nihilo, & quæ Deo comparatæ nihil sint, cogitatum, & affectum auerte; & ad diuina interiora appetenda conuerte, simul obseruando, qualis sit conuersio Dilecti. cum enim non semper se præbeat statim ad factam illius quæsitionem, fortè prius allicere volet, & aliquem sui præsentiam communicare per solam operationis actionem, qua anima sibi exoptat diuinam præsentiam, aut fortè aliqualem gustum, qui ad Dilecti indagationem, & vbi inueniendus sit, conducat.

Quando verò diuina conuersio fuerit constans, & suauitate plena, tum perfectè licebit trinaria distinctione diuinam præsentiam continuare; vt scil. ex benè affici interno, species & similitudo habiti illius gustus efformetur, quæ pro secundo mox subtiliùs perficiatur per se, seu ipsummet intuitum præsentis boni, absque eo, vt necesse sit, cogitare quomodo formanda sit aliqua species: hoc enim intellectus ex sua fœcunditate præstat, & pro tertio rationem habiti boni exprimit, fruitionem, & quietationem amantis in amato incipit, renouat, fouetque. ex bono enim retento semper noua bonitatis imago prouenit, vt bonum intensiùs maneat; donec aut interruptio aliqua contingat, aut noua operatio assumenda sit. Et certè de huius trinariæ distinctionis facilitate nihil habes dubitare, nam posito tantum aliquo gustu diuino, illicò ex naturali actiuitate, & ordine spiritualis modi, animæ potentiæ quasi dentibus comminuunt, & subtiliorem, magisque spiritualem amorem exprimunt. Et hac distiuctione obseruata expedita eris ad Dei conuersionem, quoquo modo tandem illa contigerit. singulariter etiam euitabis falsum illud otium internum, quo abduci consueuerunt, qui post factam tendentiam aut recordationem Dei, illius repræsentationis speciem, vel potius obscurum quoddam phantasma, quodq; nihil vitalis afficientię, & gustus diuini contineat, per firmam inhæsionem retinere volunt: sic enim potentias constringunt, & ab operatione impediunt, ac interioritatem infinitæ magnitudinis capacem, illaqueant, omniq; actione, & boni communione sese destituunt. quod similiter faciunt, qui nihil operari volunt; & qui in quiete diuinas operationes, actusq; infusos præstolantur; & dum diuina exspectant, media acquirendi diuinam præsentiam negligunt: quasi non meliùs foret inter exspectandum, aliqua actione sibi prodesse, quam otiosa exspectatione, & vacua interioritate ad tentationes, & appetitus creaturarum dilabi.

Eapropter signanter dictum est: Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius; quasi diceret: Ego primò, tanquam ad meam beatitudinem conuerto me ad Deum

Deum, dein ille viciſſim ſe ad me conuertit, quo ita mutua actione boni communicatio, & diſtributio fiat. ſicut enim Deus ad ſeipſum, & ad intra ſe conuertit trinaria operatione perſonali, qua conſtituitur Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus; ſic etiam ad extra ſcil. erga piam animam per conſortium diuinæ naturæ ſe communicat; & ideò etiam oportet eſſe operoſam conuerſionem animæ ad Deum; idque non tantum trinaria illa diſtinctione, qua intellectus agens ex aliquo Dei guſtu ſpeciem aliquam fabricat, quam illicò intellectus patiens ſpiritualiter perficiendam arripit, vt ex vtroque benè & meliùs affici, amor producatur; ſed etiam adhibita obſeruatione ſubſtantiali, ſtatus, ſecundùm quem conuerſio illius, id eſt, diuinæ præſentiæ in vita contemplatiua, & firmo amoroſo intuitu mentis aliter, & aliter ſe habet in initio, à medio, & à medio à ſuo optimo.

Interea ergò, quod myſticus in ſtatu contemplationis fortè vno, alterovè anno dulciter ad dilectum ſe conuertit, in initio quidem huiuſce ſtatus tantam diuinæ Eminentiæ Maieſtatem plus admirando, quam cognoſcendo reuereretur; in medio autem propiùs, clariùsque intuetur, & collaudat; in ſummo tandem viciniori aſpectu, & teneriori dilectione gaudet. & ideò pro vt variatur modus conuerſionis Dei, ſic etiam piæ animæ ſuſceptiones variantur; quæ in ſingulis hiſce differentijs, & ſpiritualibus regionibus trinariam etiam diſtinctionem expetunt. Tandem vbi in ſummo contemplationis amoroſæ, nihil vltra inueniri poterit ad conformem fruitionem, vt penè ignoretur, quid vlteriùs agendum ſit; Bono animo aggredienda erunt ea, quæ in contemplationis negatiuo modo dicuntur. non tamen eo fine, vt ſtatum contemplationis modi negatiui expreſsè, ſicut modi affirmatiui exerceat; ſed vt eo diligenter perlecto experiri liceat num fortaſsè aliquid ſuperſit aut fruitionis, aut modi conuerſionis, quo in ſpirituali complacentia gloriari liceat, & dicere; Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius: aut ſaltem *a* in prioribus exercitijs dilecto ſuo ſit fidelis perfectiori modo; ſi hic Plato iubeat quieſcere & ad ſtatus modi ſupernaturaliter operandi, non detur tranſire. Et hiſce quidem de ſtatu contemplationis modi affirmatiui dictis, ad ea quæ ſunt ſtatus contemplationis modi negatiui, conſequenter tranſeundum erit.

a vt infrà deciſ. 9.

TER-

TERTIVS STATVS MYSTICVS EST CONTEMPLATIONIS, ET SECVNDO: MODI NEGATIVI.

DECISIO OCTAVA.

SIcut aliqui magis per vim concupiſcibilem, ita aliqui magis per vim rationalem procedunt in diuina contemplatione; & ideò ſicut ſupra *a* dictum eſt de contemplatione modi affirmatiui, ſeu amicabilis; ita modo de contemplatione modi negatiui, quæ per abſtractiones procedit, & perfectiori medio, rationis ſcilicet, diuina blandimenta tranſcendit, dicendum eſt, &

I. *Quid ſit contemplatio modi negatiui.*
II. *Quod contemplatio, quæ fit per nudam abſtractionem cum falſo otio deducat ad Luciferi propriam complacentiam.*
III. *Contemplationem negatiuam actibus internis exercere fidem, ſpem, & charitatem*
IV. *Quod mortificationes, virtutes, & ariditates exerceat, abſque blandimento naturæ, & eo quod hoc ipſum per ſe deceat.*
V. *Quod auerſione ab omnibus quæ ſunt, & quæ non ſunt, & conuerſione ad Eum, qui ſupra omnia eſt ſecurè falſum otium & illuſiones viſionum tranſcendat.*
VI. *Contemplationem negatiuam pro termino habere conceptum affirmatiuum.*
VII. *Quod contemplator negans habito conceptu affirmatiuo, paulatim debeat fruitionem continuare trinaria diſtinctione.*
VIII. *Contemplationem negatiuam etiam paulatim ab infimis ad medias, & ſuperiores fruitiones aſcendere.*
IX. *In ſuperiore regione contemplator negans meliores fruitiones vt plurimum conſequitur vſque ad initium priuationis.*
X. *Synopſis ſtatus contamplationis modi negatiui.*
XI. *De ſpirituali profectu duratione, & tranſitu à contemplationis (vtriuſque modi) ad priuationis rigoroſæ ſtatum.*

a Deciſ. 7.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit contemplatio modi negatiui.

CONtemplatio modi negatiui, est firmus animi intuitus in diuinitatem directus per reiectionem & transcendentiam sensitiui amoris. firmus intuitus in diuina directus est communis contemplationi vtriusque modi: natura enim contemplationis mysticæ est, Deum firma attentione videre, & simul amare; quod autem sensitiuum amorem transcendat, differt à modo amorosæ contemplationis, quæ in benedictionibus dulcedinis operatur.

Cæterum hoc loco obseruandum venit, mysticum in quocunq; tandem modo procedat, scilicet vel via affirmationis, vel negationis, qua vel dicit in seipso Deus est potens, æternus, summum Ens & Bonum: vel negat in seipso Deum esse ita potentem, æternum; sed magis excellentem, quam concipi possit; interea dum affirmat, modicum, aut nihil prodesse negationem, & similiter dum negat, affirmationem non esse opportunam. quia in praxi secundum hoc, quod magis cuique in Nunc præsenti reale est; semper vtiliùs, & veriùs proceditur. Cum autem circa contemplationem, quæ per negationem fit, abusus, & damna irrepant, consequenter dicimus,

Quod contemplatio, quæ fit per nudam abstractionem cum falso otio, deducat ad Luciferi propriam complacentiam.

a 3. p. c. 6.

ARTICVLVS SECVNDVS.

AD abstractionis malæ, bonæue lucidam cognitionem, sciendum est modum contemplationis negatiuum, quo mysticus sua interiora, ab omnibus, quo sunt, & quæ non sunt, denudare, & abstrahere solet, diuersimodè contingere. Primo, quando actu abstrahendo, simul aliud à passionibus, vel imaginatione, sub viuaciori amicabilitate, quam sit ipsa abstractio, repræsentatur; quod est distractionis molestiam sentire, vel animo inuito alio duci; & fragilitati humanæ condonandum. Secundo, quando varij actus denudationis, nulla quidem passione interturbantur; attamen in sua ad Deum conuersione, nihil realis communionis diuinæ naturæ vitaliter consequuntur; sed post varios actus auersionis, & conuersionis intellectualiter exercitatos, tandem obscura, & ponderosa cæcitate inuolutum, languidum, & actuali, vitaliq; diuina fruitione destitutum relinquunt contemplantem. id quod paulò minus, quam quotidianum est apud illos, qui post abstractionem, & conuersionem ad Deum, firmi consistere volunt, in dicta conuersione nihil agentes, nisi retinendo phantasma quoddam resultans ex illa conuersione, & vix vtcunq; benè afficiens; atq; ideo à tam nocuo otiandi modo, prouidè absterret Candtfelt *a* noster dicens [desitio, seu cessatio ab operatione non potest cum fructu, & in Deo à sola anima fieri; Verùm, & operatio Spiritus diuini

est

est necessaria, vt eleuentur, & suspendantur eius potentiæ, & ab operatione naturali cessent, ac velut in Deo exspirent. Vbi complures animę hallucinantur, quæ sine Dei eleuatione, & attractione cessantes ab omni operatione, manent quidem in aliqua abstractione, verùm naturali tantum, & proprij spiritus, eandem tamen supernaturalem arbitrantes, & falsum otium vt vnionem cum Deo accipientes.] Tertio, quando quis post conuersionem, elicitam de Deo similitudinem reuerentiali amore, cum quieta resignatione, quasi indifferenti intuitu retinet, & simul actualiter Deum vt primum & summum bonum silentiosè sibi repræsentat, non amplius abstrahendo, quamdiu ita continuare permissum fuerit: tum enim trinaria *a* distinctione, & actiuitate, etiam ignoranter, & naturali ordine fruitionem debitè continuaret. Quarto, quando ex omissione iam dictæ operationis, assuefacit se continuæ abstractioni; in tantum, vt finaliter etiam Dei oblitus, actu tamen in se viuat, contempletur, beneque constituatur, absq; simultanea memoria Dei, & primi boni, quod reuera est seipso in semetipso frui, & propriæ naturali essentiæ, quæ in se immutabilis, incorruptibilis & pulchra est, inhærere. quapropter cum ipsum nudum [intelligere etiam propter suam *b* operationem sit delectabile,] si quis in proprij Spiritus, & suiipsius essentia, pro vt in natura spirituali, nulla indigentia tristatur, nullamq; contrarietatem habet, quidpiam Dei memoria simul non conditum contempletur, ab eoq; absorbeatur; subtilem, & magnificam oblectationem consequetur: [oblectatio enim, quæ est in contemplando *c* nihil habet contrarium,] vt ideo maximam rei contemplatæ inducat complacentiam; præsertim si ingenij subtilitas, corpus benè dispositum, & humores temperatos inhabitet. & hæc verè propria, & alia Luciferi, seu Angelorum Apostatarum complacentia est, & peccatum, ac damnationis causa. Nam Lucifer Deo similis esse concupiuit, non quod speraret se posse cœlum, & terram creare, aut crederet, se ab æterno fuisse, aut suam naturam in ipsam naturam diuinam se posse transformare, de his enim, & similibus euidentem habebat notitiam contrariam; sed in naturæ suæ excellentia, subtilitate ac spiritualitate qua nulli miseriæ subijciebatur, seipsum contemplans; voluit esse similis Deo per fruitionem propriæ beatitudinis, independenter à recognitione, reuerentia, cultu, adoratione, obedientia, subiectione Dei, suique in diuina beatitudine perfectione.

Qui ergò via abstractionis ita procedunt, vt sese ad contemplationis delectationem reflectentes, inueniant aliquem Dei non fuisse gustum, aut memoriam;

a Vt supra dict. Decis. 7. art. 8. *b S. Thom. con. gent. l. 1. c. 90.* *c Vt Arist. Topic. l. 2. c. 13.*

moriam, habent vndè sibi prospiciant. quod si vlteriùs aduerterint, proprij spiritus esse oblectationem, se seque pro libitu abstrahere posse, absque comite actuali diuina recordatione, credantque se iam omnem spiritus perfectionem assecutos esse, iustis quoque non esse legem positam, seque supra virtutes, & leges constitutos esse; examinent quæso, an ex illis sint hominibus de quibus *a* Rosbrochius singulariter conqueritur dicens; [essentia nostra semper viuit, intuetur, ac propendet in creatæ nostræ substantiæ originem, vbi nos viuimus ex Deo ad Deum, & in Deo, & Deus in nobis. Et quia in nobis omnibus ex natura inest, quidam etiam eam absque gratia, absque fide, & sine vlla virtutum exercitatione, possunt intellecta vtcunque apprehendere. qui quidem sunt homines otio dediti, atque in seipsos introgressi, seu introuersi super imagines sensitiuas in nudam suæ essentiæ simplicitatem, illicque se beatos, & sanctos; quidam etiam se Deum esse autumant; neque quidquam alicuius pensi habent, siue bonum, siue malum, modo se formis, & imaginibus denudare, & in nudo suæ essentiæ otio inuenire, ac possidere queant. hi planè homines sunt fallaces, perfidi, ac infideles] nam in [omnibus hominibus *b* ex natura inest otium, & cessatio ab operatione interna, sed qui delectatur ibidem quiescendo, paulatim superbit, sicut Angeli per conuersionem ad naturalem pulchritudinem conuersi ibidem quieuerunt. & illam prætendentia in Deum elegerunt, vndè Dæmones facti sunt] sic Begardi & *c* Rurepulini, dum sequebantur affectus suos, sine regula, & ordine, postposita lege Christi; præsumptio nequissima præcipitauit eos, vt dicerent, hominem postquam ad pacem tranquillam spiritus peruenisset, absolutum esse legibus diuinorum præceptorum. quam pacem causabat in eis Angelus Satanę transfigurans se in Angelum lucis, hoc modo similans pacem valdè similem illi paci, quam Apostolus dicebat omnem exuperare sensum.

Porrò de diuersis sceleratissimis modis, quibus sathanica fascinatione inescati homines, falso otio in acumine mentis oblectantur, de nudo suo esse spirituali longa fit narratio à *c* Rosbrochio; qui adducit etiam eiusmodi spiritales, nec diuina, nec humana præcepta, quidquam æstimare, & absque vlla conscientia, & peccati stimulo carnalibus cupiditatibus satisfacere, tanquam statui innocentiæ restituti, vbi omnia ipsis licita sunt. & certè Rosbrochio quondam vix credendum videbatur, homines sub pietatis specie in tantam iniquitatis voraginem cadere posse: donec

Anno

a *Spec. sal. aetern. c. 18.* b *Item Rosb. l. 2 spir. nupt. c. 76.* c *Gerson Th. myst. cons. 8. & L. 2. de ætern. spir. nupt. c. 76. vsque ad finem.*

Anno 1630. in quodam regno, similes omnino vtriusque sexus cultores reperiri didicissemus, & seductores. Et hi quidem iuxta Tauleri iudicium [diabolum *a* quendam sibi assidentem habent, prohibentemque, & repellentem ab eis omnes; tam cogitationes, quam modos, seu instituta, quæ pacem ipsorum infringere possunt, vt in hac eos falsa pace detineat & postea secum ad æternam abducat perturbationem, ad ipsum videlicet infernum suum] Et licet sub lege non sint, qui spiritu ducuntur, & exercent fructus spiritus, qui sunt charitas, *b* gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas; attamen lex est aduersus eos, qui faciunt opera carnis; quæ sunt, fornicatio, *c* immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, commessationes, & his similia; qui enim talia agunt, regnum Dei non consequentur.

Ex hisce iam, & similibus vtiliter colligat contemplator, & qui salutis suæ, ac mystici profectus amans fuerit; num periculo vacet, quod incipiens, vel proficiens, & nondum per statum priuationis ab inordinato amore purgatus, quin etiam omnis, quicunque necdum per supernaturale donum intellectus, aut sapientiæ animum sanatum à Deo consecutus est; per viam negationis continuò procedat: & an non frequenter ex simili abstractione in obscurum, & ponderosum tædium, distractiones vanas, & varias concupiscentias, loco puræ & diuino gustu perfusæ contemplationis diffluat: testis sit ipsa praxis, neque enim certior, & ad oculum magis conuincens ratio adduci potest. pia ergò, vtilisque contemplatio, & quæ *d* de sursum est sapientia, primum quidem pudica est, dein pacifica, modesta, suasibilis, bonis consentiens, iudicans sine simulatione, & æmulatione; certumque faciens quod [cum beatitudo *e* sita sit, non in habituali aliqua dispositione, sed in actuali, & vitali operatione; oporteat etiam vt ea operatio sit perfectissimæ facultatis, & perfectissimo modo fiat, & circa perfectissimum obiectum.] Vt autem constet circa quas operationes contemplatio negatiua versetur, consequenter dicimus,

Contemplationem negatiuam actibus internis exercere fidem, spem & charitatem, diuisim vel coniunctim.

ARTICVLVS TERTIVS.

NEgatiua contemplatio intermedias fruitiones transcendit quodammodo, & recta tendentia, ad absolutum aliquem conceptum, formam, & similitudinem fabricandam se se erigit, ac loco attributorum diuinorum, (quorum occupatione, & degustatione in contemplatione affirmatiua ad conceptum absolutum se promouet

a In Fest. S. Aug. S. 1. b Gal. 5. c Gal 5. d Iacob. 3. e Arist. 10. Eth. c. 7.

mysticus) assumit contemplator negatiuus tres virtutes Theologicas, scilicet fidem, spem, & charitatem. Et ideò post auersionem à nihilo, siue qualibet creatura, ad quam vel ex infima conditione humanæ vitæ, vel propria imperfectione, defectuue prolapsus fuerat; conuersionem ad Deum, qui omnia est, & totum, strenuo conatu prosequitur. Et primo quidem fide certissimum statuit, creaturas, earumque benè affi-cere, qualecunque illud demum, aut sit, aut dicatur, nihil omninò esse; non quidem absoluta nihilitate, sed quæ mystico negotio nihil conferat, Deum autem omnia esse, & Totum. & quidem conceptu talis fidei, absolutum es. se Diuinitatis sibi repræsentat: quam repræsentationem pro secundo fouet actu spei, tanquam sibi in nunc præsenti, ad fruitionem mysticam possibilem, & conuenientem; ideò enim certissimè credit omnia præter Deum nihil esse, quod etiam simul speret illo solo frui. Eiusmodi autem [spes, cum arduum, & bonum vt *a* possibile respiciat, ex ipsa delectatione, quam in vnoquoque gignit, maximè iuuat ad operationem;] quia [bonum conueniens *b* aliquo modo præsens constituit] vndè etiam pro tertio facillimè spiritualis, non autem sensibilis charitas, & Totius seu Dei amor resultat. hæc porrò cum in momento penè fiant, si contemplator negans possit in sua fruitione charitatis, Toto & supremo Bono conjungi, benè erit, & in mystica vnione aliquamdiu persistet; si autem impertinens cogitatio accedat, aut fruitio quouis tandem modo interrumpatur; iterum auersione à nihilo, & conuersione ad Totum per fidem, spem, & charitatem diuisim vel coniunctim, ad intra se occupabit: idque iteratis semper vicibus, etiamsi nullam particularem Dei dilectionem consequatur, & hoc est vtiliter [ad Deum tendere, & ad ipsum *c* pertingere, semper cum per desiderium quærere, per cogitationem inuenire, & per gustum tangere.] Sicut autem contemplatio negans, dummodo rectè peragatur, interiora benè disponit, ita & exteriora solidè instituit, vndè etiam consequenter dicitur,

Quod mortificationes, virtutes, & aridita-tes exerceat absque blandimento natu-ræ, & eo quod hoc ipsum per se deceat.

ARTICVLVS QVARTVS.

MVlti spiritualium ita tenerè fauoribus, & amicitijs internis lactari, & foueri debent, vt sine illis vix naturæ aliquam violentiam inferre possint, & spiritus ariditates perferre; in tantum, vt si aliqua virtus exerceri debeat, ilicò, vel diuino, vel humano solatio demulceri cupiant: at rigidiores illi homines, omnes mortificationes, & virtutes ideò peragunt, quia hoc ipsum ex se decet, & magis ex debito, quam ex aliqua perfectione fieri habet, iuxta illud: si bene *d* feceris, quid dabis illi,

a S. Thom. 12. q. 40. a. 8. c. *b Ibid. q. 32. a. 3. c.* *c Hugo. l. 1. de arca.* *d Iob. 35.*

illi, & si malè egeris, quid nocebis illi. Magna ergo constantia se ipsos durè increpant, mortificantque virtutes recta animi affectione colunt; & spirituales ariditates, quoquo modo, loco, & tempore acciderint, æquo infractoque corde transcendunt absque naturæ blandimento, benè contenti, quod ex illis Dei amicis sint, quibus [Deus sensibilem *a* gratiam, seu deuotionem quandoque tota vita denegat,] fortitudinis dono, magnanimoque corde prælia Domini certantes, in omni pietatis & virtutis genere. Et licet tam generosus animus in sensibili deuotione fundatus non sit: attamen in vera & reali scilicet [sola dilectione *b* intellectuali] libero, & ab omnibus soluto spiritu solatia possidet, ac pari securitate à falsis visionibus non facilè decipitur, vnde consequenter dicitur,

Quod auersione ab omnibus quæ sunt, & quæ non sunt, & conuersione ad eum, qui super omnia est securè falsum otium, & illusiones visionum transcendat.

ARTICVLVS QVINTVS.

QVi penitiùs nullitatem *c* creaturarum (quarum alluuie humana cogitatio frequenter sordescere consueuit) assequi potuerit; vtilissima auersione tanquam à nihilo, absque vlla hæsitatione ad Deum, qui omnia & Totum est, se se conuertet. otium quoque quod ex generali inhæsione, & languida exspectatione incurri solet, expeditè cauebit. non enim tam citò animaduertet se cogitatione, vel affectu ad aliquod creatum defluxisse; quin simul etiam illud ipsum virtuoso contemptu excutiat, & miseram humanæ fragilitatis conditionem, ad quæuis caduca procliuem, in virtutis continuum exercitium, & spiritualem puritatem transmutet.

Eadem etiam dexteritate illusiones illas visionum, raptus, Ecstasisq; morbos; quibus malitiosi homines imaginaria contemplationis negatione, & transcendentia sibi alijsque Sathanica deceptione imponunt, feliciter transgredietur. & hoc ipsum, vt magis prouidè fieri possit, obseruandum est, quod sicut carnalibus affectibus insidiantes mulierculæ (at virorum pauciores) in statibus meditationis, & aspirationis lubricum amorem, tanquam diuinum insufflant; ita quoque in statu contemplationis negatiuæ, extrema seducendi malitia subtilizatæ, etiam spiritualium virorum doctrinam, prudentiamque subindè delirio penè coadæquare; ita vt falsa pro veris accipientes, cogitationum ordinatam compositionem pro visionibus, & reuelationibus admirentur, & Sathanicam penè irrisionem (qua prudentium hominum recta iudicia subuertere gaudet,) quasi magisterium, ac instructionem admittant de qua quidem nocendi astutia iam olim admonuit Richardus *d* dicens. [Dæmones subindè in corde

a Taul. Ser. 1. vnius M. ex S. Bern. b *Candf. 3. p. c. 3.* c *Candf. de Vol. Dei. 3. p. c. 9.* d *Rich. in Cant. c. 39*

corde suggerunt falsam iustitiam, & falsam intelligentiam pro luce veritatis, etiam quædam subtilia, & quasdam reuelationes in aliquibus operantur: item quædam noua, & insolita, quæ curiosi, & simplices mirantur, & venerantur.]

Omissis porrò [varijs documentis, quibus bonæ, malæue discernuntur *a* reuelationes,] breuiter maioris elucidationis, & vtilitatis gratia, varias species Ecstasis hic apponimus. Et harum prima est insania mentis, vel delirium, quæ potest oriri, vel ex nimio senio, vel at abili; quam (sicut etiam alios corrup os humores) internalis ille Coluber, quo eius mancipia (commodius ad illusiones piorum) in falsas Ecstases abire possint, commouere solet. Secunda est ex vehementi stupore vt Iacobi, *b* qui audiens filium Ioseph viuere, q asi de graui somno euigilabat. Tertia, in sereno animo, cum is feriatus à sensibus in placida, ac dulci contemplatione, & dilectione Dei versatur: sicut fit in sopore diuinitus immisso, aut dulci progressu à minus intenso ad maius intensum. Quarta, est plenitudo Propheticæ visionis, quæ in scripturis habetur frequenter. Certa etiam signa falsæ Ecstasis, apparitionis, aut visionis sunt: si post similia quis superbiat, honorari, & æstimari desideret, illibenter obediat, aut subditus sit, vel alijs vitijs notetur obnoxius esse, ac in virtutum studio segniùs agere. Ne autem contemplatio negatiua inaniter omnia videatur transcendere, consequenter ponitur,

Contemplationem negatiuam pro termino habere conceptum affirmatiuum.

ARTICVLVS SEXTVS.

NE contemplator ita negationi intendat, vt non tantum per auersionem creaturarum, intermediam, vel etiam finalem fruitionem negando reijciat, & eo modo omnis boni communione se se destituat, ac extra vsum & felicitatem mysticam collocet. Sciendum est, quod nulla prorsus adhiberetur de Deo, ac rebus diuinis negatio, nisi continuò maiorem depurationem intenderet mysticus, & cognitionis, & amoris. Vnde & sacer Dionysius, postquam charissimo Timotheo, omnem negationem suaserat, annectit; vt dein [seipsum ad *c* eius, qui omnem essentiam, omnemque scientiam superat, coniunctionem, & vnitatem pro virili parte, clam excitet] negatio ergò in statu contemplationis, est solum modo medium, vt quis libero, soluto, ac liquido à se ipso, & ab omnibus discessu, ad diuinarum tenebrarum radium, qui omni essentia superior est, contendat. Ideò etiam vult Candtfelt noster, vt via negationis, *d* & annihilationis tãdiu procedatur, quousque conceptum affirmatiuum attingat, & Deo, qui omnia est transcendendo, coniungatur.

Et

a *Calagur. Theol. Myst. c. 8.* b *Gen. 45.* c *S. Dion. Th. Myst. c. 1.* d *Candf. de Vol. Dei 3. p. c 12.*

Et quia [contemplatio *a* intellectionis in affectu voluntatis terminatur,] nisi post abstractiones conceptus affirmatiuus assumatur, nil vnquam de Deo veri, & boni participabit, sed miris spiritus obscuritatibus, & pressuris se se inuoluet contemplans. Atque ideò in tota mystica serie, quocunque modo, via, aut medio quis procedat, hoc spectari debet, vt per auersionem, & transcendentiam omnium quę sunt, & quæ non sunt, dein Deus concipiatur, & ametur vti in se est primum pulchrum, & bonum, cuiusque conuersatio tædium *b* non habeat, nec conuictus illius tristitiam; sed lætitiam & gaudium. Deum autem concipere, pro vt magnitudinis suæ mole premit, ad peccatores refertur, ac tum mystico seruit, quando ex certa negligentia in defectus (quoscunque tandem) dilapsus esset. Quod autem contemplatio negatiua non tantum post transcendentias, Deum vt summum bonum apprehendat; sed etiam varijs actionibus pro ipso bono retinendo occupetur, iam consequenter dicendum erit,

Quod contemplator negans habito conceptu affirmatiuo, paulatim debeat fruitionem continuare trinaria distinctione.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

QVando ergò contemplans conceptu negatiuo Totius, siue Dei aliquam communionē acceperit, non impertinenter illā reijcere, aut negare, sed secundum quod Deo spirituali modo coniūgitur, acceptare & intueri debet. nam [si dati sibi modicè *c* exiguiq; luminis fines transeat, & aduersos radios, id quod eius aspectum superat, temerè intueri conetur, lumen quidem nihil præter id, quod est accommodatū efficiet, ipsum autem liberum arbitrium, quod perfectis rebus minus perfectè studet, datque operam, nec ad ea quæ ipsius non sunt, perueniet: nec mediocritatem illam, quod immoderatè se efferat, atque iactet per se assequetur.] aliud ergò est negare concomitantem sensibilitatem, aliud negare ipsam cum Deo vnionem, propter quam quilibet mysticorum quoque modo, vel affirmando, vel negando, operatur. sensibilitate ergò non tam reiecta, quam neglecta, ipsam animi cum Deo coniunctionem prosequatur, triplici illa distinctione; qua conformiter ad substantias separatas, ex præhabita diuina communione in amore, seu voluntate fundata, intellectus agens speciem fabricat *d* pro primo, quam pro secundo intellectus patiens recipit, & totius conceptus rationem exprimendo perficit; vt pro tertio ex vtroque dilectio producatur. Sicut ad rationem operationum diuinarum ad intra, prius est ipsa Diuinitas, seu prima Bonitas; quam quidem pro primo Deus Pater intellectu concipit, & exprimendo, pro secundo Filium gignit, & tertio ex vtroque spiritus Sanctus procedit. & sicut hæc quatuor sunt de ratione Sanctissimæ Trinitatis, ita & illa priora quatuor de ratione vnius perfectę operationis mystica,

a S. Tom. 22. q. 180. a. 1. c. *b Sap. 8.* *c S. Dion. de Eccl. Hier. c. 3.* *d Vt etiam dictum fuit decis. 7. a. 8.*

sticæ,[a] ad nunc præsens & instans. Atq; tum similibus operationibus ad quietem contemplationis pertinentibus, fruitionem diuinam ordinato progressu incipiet, ac iucundè admodum continuabit, incipiendo à minimis per media vsque ad summa, vndè consequenter dicitur,

Contemplationem negatiuam etiam paulatim ab infimis ad medias & superiores fruitiones Ascendere.

ARTICVLVS OCTAVVS.

QVod si mysticus contemplationis negatiuæ, (vt dictum est) operationes suas triplici distinctione digesserit; animaduertet pariter, se in initio status contemplationis aliter, quam in progressu, & in summo perfectius, regionem contemplationis percurrere. dum enim fortè tribus (plus minus) annis, ad statum suum conformiter operatur, in initio contemplationis negatiuæ reperiet sinceras, & animosas tendentias, per quas & creaturas, & ea, quæ ad intra habere videtur, transcendit longè supra seipsum; at in medio paulatim vicinior effectus ijs, quę supra se conspexerat, ipsam suam interioritatem quoque eleuatam mirabitur, & inferiora sub se videbit: In summo autem prius eleuata, sibi penè æqualia habebit, in ijsq; simplicem figet aspectum tanquam qui in alto monte habitaculum suum construxerit; etiam ijs, quæ in medio ante fuerant, in inferiori constitutis. quod autem hæc admodum iucundè fiant, quando spiritus in summo depuratus fuerit, consequenter dicitur.

In superiori regione contemplator negans, meliores fruitiones vt plurimum consequitur, vsque ad initium priuationis.

ARTICVLVS NONVS.

SPirituale illud solatium, quo omnium mysticorum animi à transeuntium rerum affectu absconduntur; contrario quasi progressu in statu contemplationis accidit. Contemplatores enim affirmatiui, cum amorosis tendentijs ab ipso exordio internæ exercitationi vacent, similibus blandimentis vsque ad superiores operationes contemplationis demulcentur: in ipso tamen summo non vsq; adeò benè affecti propter affectuosas tendẽtias, nondum sufficienter ad puras operationes spirituales, depuratas. At contemplatores negatiui, cum modico solatio tempore meditationis, aspirationis, & contemplationis in inferiori regione affecti fuerint, vel quod aridioris humoris sint, & naturæ, vel quod solatijs amorosis inferiorem hominem frui non permiserint, continuis transcendentijs sensitiua deprimentes, tandem in media, & superiore regione, quasi collectum thesaurum spiritualis solatij inueniunt: in eoque tanquam in propria sphera circumuolitantes, spiritualiter spiritualia, & mentis pulchritudines, subtiliori lumine percipiunt. Vix etiam dein, si ad vlteriora procedunt in statu priua-

[a] *Vt latius 2. p. Dec. 6.*

priuationis moleſtiam ſuſtinentes: niſi in medio, in quo omnium affectuum, & operationum actiuitas perit: tam ſcilicet in negante, animoſa reſignatio, aut tranſcendentia, quam in affirmante ſolatij myſtici blandimentum. vt autem, quæ hucuſque de contemplatione negatiua diximus, facilius in praxin redigantur, conſequenter apponitur.

Synopſis ſtatus contemplationis modi negatiui.

ARTICVLVS DECIMVS.

Aſcendet a homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. quaſi diceret, ô pia anima, quæ non amplius ſenſibili amore detineris; at ſurſum erigeris, firmoque animi intuitu diuina contemplaris, abſque ſenſibilis deuotionis blandimento, virili conſtantia proſequens, quidquid mortificationis, virtutis, & ariditatis iura expoſcunt; quæque ea, quæ ſunt, tanquam ea quæ non, aut nihil ſunt trangrederis, (probè ſciens, quod in ſolo Deo Totum, & omnia eminenter haberi poſſint) aſcende confidenter ad cor altum, & à ſenſibilibus ſeparata, per fidem, ſpem & charitatem, ſenſus omnes, & ea quæ ſunt, & ea, quæ non ſunt, relinque. atque ita videbis, quam Deus ſit ſuper hæc omnia exaltatus, vt illius eminentiſſimo Bono abſtracta, iure merito non tam terrena, & inferiora reijcere, aut deſerere, quam, vtpotè ſpirituali creaturæ imparia, & negligere, & ignorare habeas.

Cum autem Deo ita eminenter coniuncta fueris, non amplius vtaris modo negationis, ne omnem bonum actum negando, omni tandem bono teipſam deſtituas, ſed Diuinitatem exaltatam collauda; & triplici diſtinctione, qua per verba myſtica ipſam diuinam illam coniunctionem abſque ſtudioſa reflexione, & ex natura, ac conditione ipſius interioris viſus, ſeu intuitus, quaſi dentibus ſpiritualibus maſticas, & deguſtas, perfruere. Idque non tantum in actibus tranſeuntibus pro hic & nunc, ſed etiam paulatim inferiorem contemplationis regionem aſcendendo; vt illa regio, quæ immediatè ſupra, & media erat, etiam aſcenſu tam ſpirituali tibi æqualis fiat: quo ita etiam ſummam ſpiritus regionem, & conſequaris, & perluſtres, & ſic certè in regione ſcil. ſuperiori, admirandum in modum tibi exaltabitur Deus, & ea, quæ in inferioribus negata fuerant, diuinæ præſentiæ blandimenta, quaſi in theſauro congregata inuenies, non iuuenili tamen affectu, & ſenſualitate: ſed quæ digna ſit (ad ſpiritualem animum) Dei complacentia.

Longo ergò conamine aſcende ad cor altum, vt in te Deus exaltetur; nec inconſtanti mutabilitate commotus, ab aſcenſu, & ſpirituali progreſſu, abſtineas: attamen ſi longa experientia, & prudentis myſtici iudicio didiceris, diuino propoſito vlteriorem ſtatuum aſcenſum tibi *b* interdici; ſaltem ab omnibus, quæ mala, & vitia eſſe noueris, abſtineas; & pro vt poteris teipſum à terrenis eleua; vt ſaltem gratia, & virtu-

a *Pſal. 63.* b *Inf. Dec. 9.*

tum moralium exercitio, ac interna recollectione, tibi quoque modo possibili, semper in te collaudetur, & exaltetur Deus. Si verò gratia vlteriori à Deo dignata fueris, ascende confidenter ad cor alto altius; & ea quæ in secunda parte tractãtur, aggredere, vt in te magis exaltetur Deus. quod ne temerè, sed vtilius fiat, consequenter dicitur,

De spirituali profectu, duratione, & transitu à contemplationis (vtriusque modi) ad priuationis rigorosæ statum.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

VTroque homine, scil. inferiore, seu incipiente per meditationes, & aspirationes, superiore verò, seu proficiente per contemplationem affirmatiui, seu negatiui modi, in mystica exercitatione perfecto: nihil amplius in spirituali negotio saltem modo operandi naturaliter, scilicet per discursum, & conuersionem ad phantasmata supereſt; nisi, vt vel ad priores *a* status quoquo modo se dimittat mysticus, vel ad vlteriorem statum priuationis transeat. hoc enim loco spiritualis profectus eo vsque excreuit, vt ad modum supernaturaliter operandi, id est, sine discursu, & vsu phantasmatum, adaptari, disponique debeat.

Si verò tempus, quo propriè mysticus in statu contemplationis occupatur, accipiamus; vix vltra duos annos, in ea ab infimis vsque ad superiora ascendet, quin realiter aduertat, sibi in superioribus saltem integrali fruitione, amplius locum non esse; at indies multum deficere. illis autem, qui statum contemplationis non excedunt, & illius loco tantum suspiria substituunt, aut quidquid demum ipsos amplius ad deuotionem, mortificationem, & virtutem, excitare potest, non decem, aut viginti anni; sed tota vita concedenda est. Tandem nemo fit mysticorum (cui animus est ea, quæ hucusque diximus excedendi) qui non sat magna diligentia perlegat, scrutetur, & si possibile sit, practicet ea, quæ in sequenti statu priuationis rigorosæ posita sunt: quandoquidem plurima inuenturus sit, quæ in inferioribus etiam statibus, & agendi modis, documenta datura sint.

Ad contemplator vel affirmatiui, vel negatiui modi, securus ad statum priuationis transeat, quando animaduerterit, non tantum solita auxilia, modosque operandi in optimo contemplationis, non quidem subindè, & in actibus transeuntibus, sed permanenter deficere; imò etiam se ab inquirendo, ex millibus dilecto, animum remittere non posse, quin imò fixum, & statutum habere, per quæuis etiam ardua fugientem & se abscondentem insequi debere. Eiusmodi enim propositum indubitatum est signum, ad vl-

a Hic Dec. 9. n. 2.

ad vlteriora esse transeundum. Sicut è contra, nimirum quando quis non tantum ad anteriora procedenda non exstimulatur; sed sibi abundè satisfactum in inferioribus sentit, pro certo documento teneat, sibi in ijs, quæ hucusque dicta sunt remanendum esse, & præsumptionem olere, altiora se quærere. quid autem hisce postremis vlteriùs agendum sit, consequenter dicemus.

DE MYSTICIS QVI AD STATVS MODI OPERANDI SVPERNATVRALITER NON TRANSEVNT.

DECISIO NONA.

EO quod nemo ad status modi operandi supernaturaliter transeat *a* absque speciali Dei gratia,& elationem animi sapiat,si quis à Deo non vocatus, ad illos temerè velit transire; maximè verò, vt illi qui fortè ex proprijs culpis, melioribus charismatibus seipsos indignos reddiderunt, probè intelligant, quid circa exercitium orationis mentalis, vtiliter in residuo vitæ suæ præstare possint; necessaria quædam hoc loco subijcere oportuit,&

I. *Quod contemplator diutino conamine ad status vlteriores seipsum promouere studeat.*

II. *Quod si Mysticus ad status supernaturales transire nequeat in inferioribus ordine promiscuo sese perfectiùs semper exercere habeat.*

III. *Vt mysticus quoquo modo defectus corrigere, tentationes superare, & virtutes exercere studeat.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Contemplator diutino conamine ad status vlteriores seipsum promouere studeat.

POsteaquam spiritualis profectus amans, omnem quasi internum gustum, auxiliumuè cognouerit cessare, non illicò fœminea inconstantia, virile pectus confringat, animumque despondeat, tanquam ad perfectiores status non vocatus, desistere habeat ab eo, quod in primis annis tanto animæ suæ solatio inceperat. meminerit quæso in

a Vt dictum 2. p. Dec. 1. n. 1.

mystica vita insignes viros quosdam pluribus *a* annis desudasse, antequam vel ad cognitionem, vel ad praxin statuum modi supernaturaliter operandi, pertingere potuerint. quin imò non foret tutum, antequam ea, quæ in statu priuationis *b* habentur, si non omninò saltem aliqualiter practicata sint, ab vlteriori & perfectiori modo operandi, desistere *c* [nunquam enim debemus à sacro veritatis amore deseri; sed dare operam quam maximam possumus, vt ad eam continenter, ac semper nitamur, quærentes semper quod nos ad maiora diuinitatis munera perducat] quamuis [sentiat cœlum *d* desuper æneum, dum nullam deuotionis, velut roris cœlestis stillam pulsando in oratione percipit; & terram cordis sui ferream, dum nullo psalmorum, vel orationum irriguo, ad fructum compunctionis emollitur.

Eapropter diutino conamine contemplator, ad vlteriores status seipsum promouere studeat, & quidem [suauissimis, atque amabilissimis, quę quidem excogitari *e* poterunt, verbis alloquendus est Deus in hunc videlicet modum. Vtinam ô amantissime, & vnicè dilecte, dignus forem inter charissimos amicos tuos annumerari; teque in anima mea amplecti, & vel centies millies osculari, totumq; te intra me circumplecti, adcóque in intimis meis recludere, vt te nunquam amittere possem] pro quo quidem [roga *f* dari tibi deuotionis lumen, diem sereniſſimum, & sabbathum mentis] quid autem faciendum sit illis, qui vtiliter tota vita in statibus hucusque expositis permanere habent, consequenter dicetur.

Quod si mysticus ad status supernaturales transire nequeat, in inferioribus ordine promiscuo sese perfectiùs semper exerceat.

ARTICVLVS SECVNDVS.

VNusquisque debet circa diuinum radium ita moderari seipsum, vt nec per ignauiam, ab illius excellentia decidat in deterius: neque tendat vlterius per superbiam, ibi quidem sanctitas; hic autem temperantia lucet. itaque conatus ille non ideò diutinus esse debet, vt aliquis se statibus ingerat sublimioribus vltra sortem; sed ne tepori, aut negligentiæ locus detur, vtque depuratus ad supernaturales modos transeat; aut longæ patientiæ, & resignationi satisfaciens, æquè conformiter ad Dei beneplacitum in inferioribus persistat, vti ad maiora transiret. Cum ergò quotidiana experientia manifestum sit, plures mysticos, etiam multorum annorum curriculo ad status supernaturales *g* non peruenire, quin imò subindè satis perfunctoriè tam dies vitæ, quam tempus orationis mentalis absoluere.

Hinc est, quod præter ea, quæ muneris sui esse nouerint; (ne omninò ab interiori

a 2. p. Dec. 2. a. 8. b *Inf.* 2 p. Dec. 2. c S. Dion. de Eccl. Hier. c. 2. d S. Bern epist. ad Frat. de Monte Dei. e Taul. serm. 2. Dom. 17 post Trin. circa f. f S. Bern. serm 3. de Circumcis. g *Vt dictum* 2. p. Dec. 2. a. 8.

teriori recollectione deflectant, aut etiam quoquo modo sibi in bonum auxilio esse desistant) singulari diligentia retinere habeant, quod quando dicitur ad priora exercitia, & status retrocedendum, hoc non ita intelligendum esse, quasi de nouo à meditatione incipere debeant; sed quod perfectiori modo, ea quæ meditationis, aspirationis, & contemplationis sunt, repetere valeant: & modò aliquo mysterio redemptionis, modò aspirationis, subtili celeritate, modò etiam contemplatione attributorum, aut ipsius Diuinitatis, modò colloquijs plangentibus propriam vilitatem, infidelitatem, alijsque vim irascibilem excitantibus, internam recollectionem, & amorem tum acquirere, tum fouere habeant. eo enim fine mysticus ad summum contemplationis ascendit, qui ad vlteriora status non transit, vt dein promiscuo ordine, momo, exercitio, & magis illuminato iudicio, ea quæ prius, vt paruulus attrectauerat; tandem clariori intellectu, & promptiori voluntate intimius perlustrare valeat; toto vitæ tempore penitiori similium operationum lumine, & dilectione, mystico instituto satisfacturus; cùm omnis sermo Dei ignitus, *a* clypeus sit omnibus sperantibus in se. à qua quidem strenuitate deficiunt miserrimè, qui aliquod mysterium redemptionis meditari, aut aspirationum renouatione internam recollectionem promouere respuunt; ne contra statum contemplationis, aut propriam dignitatem quidpiam committant, si ad inferiora vtiliter se dimitterent: quasi verò contra statum contemplationis, & ipsorum dignitatem non sit, antiquam etiam caluitiem, & canitiem multa vanitate discriminatam, spiritu pietatis nudam, imperfectionibus (si non vitijs) splendidam sepulchro inferre. Et hic defectus, vt magis notetur, & quilibet suum præstet, consequenter ampliùs inculcatur,

Vt mysticus quoquo modo, defectus corrigere, tentationes superare, & virtutes exercere studeat.

ARTICVLVS TERTIVS.

INnata & radicata illa originalis corruptio, tantò amplius animum ad caduca sæculi pertrahit, quantò prius per altiores mysticas degustationes perfusum; postmodum verò ex proprijs immortificationibus magis vacuum, & spirituali torpore languidum, inuenerit; in tantum, vt cum talibus [centuplo peius *b* agatur, quam cum communibus sæculi hominibus] Eapropter vbi defectuum, tentationum, ac vitiorum aculeos contigerit sustinere; si eiusmodi insultibus contemplatione diuinorum attributorum ad intra V. G. bonitatis, sapientiæ, potentiæ, &c. vel absoluto diuinitatis conceptu, puta essentię, superior non euadat; ad

a *Prouerb. 30.* b *Taul. Dom. 4. Quadrag. serm. 1.*

ad attributa externa, scilicet iustitiæ, quin etiam nouissimarum, scilicet mortis, iudicij, inferni, aut quidquid tandem timorem filialem, vel etiam seruilem, ad euitandum malum incutere potest, confugiat. Vndè iterum monemus, ne periculosè quis sibi persuadeat, esse contra statum contemplationis, aut propriam dignitatem, tam humilibus medijs à peccato declinare. melius enim est, vel ex timore inferni à malo abstinere, quam inutili contemplatione, animum dissolutum defectibus, & vitijs deprauandum exhibere.

Pro illis ergò, qui varijs inordinatis passionibus agitantur, & in exercitio orationis mentalis paruum solatium inueniunt; aut etiam quibus tot statuum, operationum, & dispositionum distinctio, & inordinata consecutio, tam in prima, quam in secunda parte fusiùs digesta, intricata, aut oblonga videtur: siue hoc ex ingenij, siue mortificationis, siue virtutis, seu gratiæ mysticæ tenuitate profluat; aut fortè credatur breuitate meliùs, quam largiori deductione sibi consulendum esse, licet tam occulta & instantaneæ operationi subiecta interioritas sat fusè (dummodo ordinatè) dici non possit; pro illis, inquam, tria idcircò puncta hic, ceu maximas quasdam, & in naufragio tabulas apponimus. [Primum est *a* vt ita se gerant, ac si iam primo vitam religiosam inchoarent: hoc torporem profligat, & ignauiam. Secundum, vt Deo iugiter familiares, atque secreti sint: quod conscientiæ serenitatem, pacem, & gaudium præstat. Tertium est, vt omnia eodem animo de manu Domini suscipiant; hoc pacem quandam perpetuam adducit. quæ quidem tria fideliter præstabuntur, si quis cogitauerit, & seriò proposuerit, hoc vel illud se facturum, aut omissurum, ac si vltima eius foret actio, & nunquam amplius Deo quid præstare posset.] hoc certè modo ad Deum in conscientia bona; & ad homines in charitate non ficta, omnia sua peraget, dimittetue; strenua religione exequendo singula, quæ ex præceptis Dei Sanctæ Matris Ecclesiæ: & suæ vocationis superioribus, intus & foris didicerit esse obseruanda; quo ita sine errore malum deuitet, & Dei amorem virtutis exercitio acquirat, semper comite solida & alacri mortificationis disciplina. Circa exercitium porrò orationis mentalis hoc potissimum obseruandum erit, vt eo tempore quo interiora cum solatio succedunt, virtute amatiua procedat; moderatè tamen, & absque gula spirituali. Vbi verò adfuerit tædium, ariditas, tentatio, & centena similia, illicò virtute irascibili, & sancto odio, in seipsum proprioque defectus inardescat; eosque quantum erit possibile funditus eradicet; attamen semper in humili resignatione modestiam passionum, & imperfectionum tam

a Taul. Instit. cap. 34.

tam in se, quam in alijs patienter tolerando; vtpotè qui indignus sit tum interna, tum externa pace, virtutis, & pietatis gustu benè affici. Siuè ergò amicè, siue durè à Deo tractetur, in omnibus actionibus suis super omnia oculum spiritus habeat ad Deum apertum, & sincera attentione audiat, si quid loquatur in eo Dominus, & illicò loquentem vt audierit, sequatur, quocunque ei, qui est via, & veritas, deducere placuerit; absque angente sollicitudine, num melius sit sinistrorsum, quam dextrorsum, sursum vel deorsum, antrorsum vel retrorsum aspicere, ambulareué; sed absque particulari delectu pro re nata, & in præsenti meliori dispositione, situ, mentali vbi, motu vel recto, vel obliquo, vel circulari, (vtpotè congruentiori medio in Deum, vt in summum bonum, & sibi proportionatum finem) tendat. Atque ita non habet opus, vt sciat certò, & indubitatè, in quo statu versetur; vel an de omnibus aliquid, vel in toto nihil habeat; sed omnia, & singula diuinæ prouidentiæ, humili, ac resignato corde subijciat, & [*a* sua ad Deum conuertat, qualicunque demum ratione, seu quibuscunque modis id facere licebit; per ea maximè, ad quæ speciali deuotione ducitur, & in quibus plus gratiæ senserit.] Hisce itaque sufficienter dictis, tam de illis mysticis, qui ad supernaturales status transeunt; quam de istis, qui ad illos non transeunt; priusquam ad secundam partem huius summæ pergamus, quædam ad maiorem cautelam eorum, qui alios erudiendos in mysticis susceperunt, superaddere oportuit, vndè consequenter dicimus.

a *Taul. Dom. 1. post Trin. s. 2.*

DE SPECTANTIBVS AD INTRVCTOREM MYSTICVM.

DECISIO DECIMA.

SICVT in cœlesti Hierarchia, *a* mediæ à superioribus illuminatæ, inferioribus lumen, suæ notitiæ immittunt; ita prorsus in Ecclesiastica Hierarchia vsu venit apud illos, qui ad iustitiam *b* eruditunt multos; dum ea, quæ ex Sacris literis, antiquis Patribus, pietate, & doctrina illustribus viris hauserunt, quotidiana experientia digerentes, paruulis, seu inferioribus panem spiritualis instructionis

N

a *S. Dion. de cæl. Hierarch. c. 7. & 8.* b *Dan. 12.*

nis petentibus, liberali dexteritate porrigunt. Verùm quia nonnulli magistri constituuntur, aut quod magis absurdum,& periculosum est, non vocati seipsos intrudunt: licet in praxi mystica vix discipuli, & ad status (proprijs suis perfectiores) ordinatè,& securè deducendos, incapaces sint: oportuit hoc loco quædam apponere, ad cautelam eorum, qui dum alijs prædicant, ipsimet reprobi non fiant, neue cæco cæcum ducente, ambo in foueam cadant: maximè verò, vt pientiores magistri discant non *a* omni spiritui credere; sed probare, si ex Deo sint, nec ne. Vndè dicitur,

I. *Mysticum directorem ad facilem, & securam praxin plurimum conferre,& maximè requirendum esse.*
II. *Ad vitam mysticam, quinam aptiores.*
III. *Quod mysticorum varijs naturis examinatis se se conformare habeat.*
IV. *Ne sensibilem, siue affectuosam deuotionem nimium excitet.*
V. *Extraordinarias mentis perceptiones, voluntatisque excitationes amorosas, sicut etiam actus infusos, statum mystici non mutare.*
VI. *Priuationes improprias ex ipsa prauitate naturæ, & mentis hebetudine prouenire.*
VII. *Vt spiritualis magister spectator sit patiens admirabilis inconstantiæ tædij incipientium, & proficientium.*
VIII. *Vt pericula alterius sexus caueat ordinata discretione.*
IX. *Summarium statuum mysticorum secundæ partis, seu modi supernaturaliter operandi.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Mysticum Directorem ad facilem,& securam praxin plurimum conferre, & maximè requirendum esse.

SI vspiam cogitationes *b* mortalium sunt timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ, & si vspiam expedit scire consilium Dei, & cogitare quid Deus; hoc ipsum in mystica exercitatione, vel maximè locum habet, cum vel ideò mystica dicatur, quod ab oculis omnium viuentium abscondita sit, & volucres quoque cœli lateat; dum nullo ingenio,quouis humano lumine perfuso, acquiri potest; sed Deo miserante, *c* & cui ipsi placuerit, illam largiatur: atque eo respicit illud in amoris diuini schola dictum Domine nescimus, quo vadis, & quomodo possumus viam scire. Vndè iure merito Sancta Mater Teresia prudentis, & experti directoris inopiam deplorat dicens, [nullum magi-

a *1.Ioan.c.4.* b *Sap.9.* c *Infra 2.p.Dec.1.a.4.*

magistrum *a* Confessarium inueni, qui me intelligeret, tametsi viginti ipsis annis talem quæsierim. quod haud dubiè mihi non parum nocuit. ex huius defectu non solum sæpiùs retrocessi, verùm etiam in præsentissimo periculo fui, ne penitùs pessum irem.] hoc tamen non ita strictè accipiendum est, scilicet prudentes, & expertos confessarios non esse; sed rarò inueniri, vel quod quærendi occasio indigentibus præscindatur; vel quod latere magis, quam propalari desiderent, qui secretum suum sibi seruant: vel quod sollicita cura non quærantur instructores mystici: qui etiam [à *b* centum milliaribus quærendi essent.]

Quod autem spiritualis director ad facilem, & securam praxin plurimum conferat, & maximè requirendus sit; præcipue facit, quod [voluntas indifferenter, *c* & aliquando falsò feratur ad summum Bonum] quo falso posito, facillimum est ei, qui mille nocendi artes nouit, sub boni specie in plurima pericula, & damna præcipitem dare simpliciter ambulantem; aut de propria sufficientia benè sentientem, aut altioribus se temerè ingerentem, aut etiam sub pietatis velamine vitijs mancipatum. [prodest ergò non mediocriter *d* consilium accipere, & accepto credere virorum expertorum spiritualiumque, quales iudicant de omnibus.] & certè si [primæ illæ & cœlestes naturæ, & essentiæ, quæque tantum præstant omnibus diuinam scientiam *e* capiunt ordine Hierarchico,] & purissimis illis spiritibus proportionato: quantò magis [ad præsentis *f* vitæ beatitudinem amicorum societas requiritur, vt illis ad opera vitæ actiuæ, & contemplatiuæ præstanda iuuetur, oblectetur & exerceatur homo;] vtque doctrinam & illustrationem, quæ conceditur diuino progressu, & ordine consequatur. sunt enim spirituales magistri tanquam [terrestres Angeli, diuinique *g* silentij interpretes: & tanquam lumina clara, quæ Eum, qui abditis latet, indicant.] sicut ad oculum patet in Samuele Propheta, qui adhuc puer, licet secundo ipsi Domino locutus fuisset, Dominum *h* tamen esse ignorabat; donec pro tertia vice ab Heli sacerdote, & diuinorum Magistro edoctus, ad Dominum loqui dedicisset.

Cum autem è contra magistri inidonei *i* plurima damna inferant, [non debet temerè ducem se alijs diuini luminis præstare, is, qui non omni statu suo, & habitu simillimus Deo euaserit, diuinoque instinctu, ac iudicio declaratus *k* sit rector, atque moderator.] qui verò in semetipso per Deiformes operationes benè ordinatur [*l* idoneus est ad purgandum, illuminandum, & perficiendum alios dispositiuè, quia sumus coadiutores Dei, qui solus hoc facit effectiuè.]

a *In vita sua c. 4. & 5. fusè. & alias sæpè.* b *Taul.* c *S. Thom. Cont. Gent. l 3. c. 26.* d *Gers. Th Myst. pract. cons. 2.* e *S. Dion. de cœl. Hier. c. 7.* f *S. Thom. Opus 6. q. 4. a 8 c.* g *S. Dion. de Diu nom. c. 4.* h *1. Reg 3.* i *Ioan. à Cruc. flam. amor. Cant. 3. v. 3. §. 8. 9. 10. &c.* k *S. Dion. de cœl. Hier. c. 5.* l *S. Bonau. Itin 7. ater. d. 4.*

[Non ergò decet *a* amantes mutua ſtudia, mutuaque in alterutrum deſideria neſcire neque ſufficit æſtuanti animæ, ardentique deſiderio ſemel audire dilectum. Obſecro ergò manda, remanda. Nuntius medius inter nos diſcurrat, qui me de ſingulis inſtruat. doceat me non ſolum ſuper ſtatum meum, ſed & de ſtatu tuo, doceatque, quomodo apud te ſit, vel quid tibi de meo placuerit. [atque ita erit beatus, qui inuenit amicum *b* verum, & qui enarrat iuſtitiam auri audienti: non quidem indifferenter omnibus, ſed à Deo vocatis, & ad vitam myſticam magis idoneis; vndè conſequenter dicitur,

Ad vitam myſticam quinam aptiores.

ARTICVLVS SECVNDVS.

SIcut in domo Patris cœleſtis variæ ſunt manſiones, & quiſquis beatorum pro ſua dignitate vicinius, remotiuſque Dei eſſentiam intuetur; ita prorſus, dum peregrinamur à Domino, vnus ſic, alius autem ſic, donum habet à Deo. cum autem [Deus cuncta moueat *c* ſecundum naturæ propriæ diſpoſitionem,] & ipſimet [angeli ſint conſecuti *d* gratiam, & gloriam, ſecundum naturalium virium quantitatem, quod meliores, & excellentiores maiorem gratiam, & gloriam conſequerentur.] hinc etiam apud myſticos vnus alio magis aptus eſt ad diuina contemplanda. & [communiori *e* quidem myſticorum iudicio,] ad vitam contemplatiuam magis apti ſunt, ætate iuniores, natura ingenui, flexibiles, dociles, hilares, manſueti, & maxime humilitate præſtantes. Quia tamen fruſtra eſt potentia quæ non redigitur in actum, & non omnes qui apti ſunt, ac ſecundum quod cognouerunt Deum, ita & glorificauerunt; ideò prudenter obſeruatum eſt [nonnullos ſi in *f* teneriori ætate quando adhuc ſuaſibiles, dociles, habiles, feruidi, ac ſtrenui ſunt, probè imbuantur, fieri poſſe, vt quidam ex ijs ſuum maturent profectum, & in ætate adhuc tenera, ad altiora contendant.] quamuis [poſtea horum aliqui *g* deficiant; ita vt qui in principio vix vnum ſæculare verbum audire poterant, iam vix ab vlla loquacitate ſe contineant:] & ſimilibus defectibus exeœcati, ſibiipſis & alijs quoquo modo moleſtiam, & damnum inferant. Pari modo licet aliqui [ex ipſa *h* natura præ alijs quietiores ſint, non tamen ob hoc ampliore ſunt ſanctitate prædiri; ſed qui plus diuini amoris habet, Deumque ſollicitus obſeruat, eidemque obſeruationi ſtudet ſatisfacere, pro Deo virilius decertat, & vitijs, ac defectibus ſuis amplius, perfectiuſque emoritur, ille nimirum ſanctior eſt.]

Manſueti autem & verò humiles, bonam

a ibid d 5. b *Eccl. 25.* c *S. Thom 1.2.q.51.a.4.ad 2.* d *1 p.q.62.a.6.c.* e *Rusbroch. Harph l.1. p.2.c.6.& paſſim alij.* f *Taul. Dom.3 poſt oct Epiph ſ.1. Barbanſ. de ſem.occul* g *Taul.ib.* h *Taul. inſtit.c.16.*

bonam spem repositam habent. Et quidem mansuetudinem tanti facit Dionysius, *a* vt non semel affirmet, tum demum Deum à Moyse recessisse, quando ipse prius à mansuetudine recesserat. Vndè etiam Sacratissima Virgo Maria magnificæ suæ beatitudinis (qua in Deo salutari suo exultauit spiritus eius) aliam rationem non assignat, quam quod respexerit humilitatem ancillæ suæ. & quidem iure merito; ad quem enim dicit Dominus respiciam *b* nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos. hinc etiam pia simplicitate præditi, illiterati, & rudes, sæpè sunt præstantiores mystici. Et primo quidem, quia intellectus istorum, ad varias multiplicitates & scientias *c* non distrahitur. Secundo verò, quia ipsam veritatem, quam vel audiunt, vel legunt non oblectatione speculatiua tantum, (sicut à Scholastico aliquo de diuinis tractante) suscipiunt; sed pulchritudinem veritatis cognitæ, illicò simul in amoris excitationem promouent: ita vt intellectus vero & pulchro illustratus, voluntas autem summo bono perfusa, ad amorem fortiùs consurgat. Vndè & vel ideò exclamet Augustinus *d* [quid patimur? quid est hoc? quid audisti? surgunt indocti, & cœlum rapiunt, & nos cum doctrinis nostris sine corde; ecce vbi volutamur in carne, & sanguine.] Quisquis igitur curiosus es scire *e* quid sit hoc verbo frui, para illi non aurem, sed mentem, non docet hoc lingua; sed docet gratia, absconditur à sapientibus & prudentibus, & reuelatur paruulis.] [quia ex his, quæ exterius experiuntur idiotæ *f* contemplatiui, perfectiùs diuina percipiunt, quam multi litterati.] [Cogitas ergò magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento priùs cogita humilitatis. Et quantam quisque vult, & disponit super imponere molem ædificij, quanto erit maius ædificium, tanto altius fodit fundamentum. *g* & fabrica quidem cum construitur, in suprema consurgit; qui autem fodit fundamentum, ad ima deprimitur; ergò & fabrica ante celsitudinem humiliatur, & fastigium post humiliationem erigitur.] & certè post gratiam Dei, nihil vsq; adeò ad verum spiritualem profectum est necessarium, quam mansuetudo, & humilitas. iuxta illud Saluatoris: discite à me, quia mitis sum & humilis corde. hæ namque virtutes ipsum spiritum humanum spiritui diuino quam maximè flexibilem reddunt, & ad eius amorem consequendum in primis disponunt; sicut [calor *h* ignis magis seipsum diffundit per ea quæ eum magis cupiunt, quæque ad eius similitudinem, & speciem facilè cedunt, atque ducuntur: in ijs autem naturis, quæ obsistunt, aut in contrarijs (vt aqua) vel nullum, vel certè exile, ac tenue quoddam igneæ actionis vestigium perspicitur.]

a *In Epist. ad Demo Philo. & alibi.* b *Isa. c. 66* c *S. Th. d. l. 8. Conf. c. 8* e *Gers. tr. de Myst. Theol. spec. Cons. 2 t. 3 Alph 64. l. n.* f *S. Bonau.* g *S. Aug. s. 10. de verb. Dom.* h *S. Dion. de cœl Hier. c. 13.*

Rudiores autem natura, & ætate prouecti, admodum laborioſum in deuotione progreſſum faciunt [de fundo enim (ſcilicet myſtico) *a* iuuenes plus habent, quam ſenes: eo quod hi plus ſatis ſuis conceptibus, inſtitutis, & modis veteribus cum proprietate inhæreant.] vndè in myſticis propemodum talibus contingit, quod in ſcientificis; in quibus ſi quis illorum vix lectionis, aut ſcriptionis gnarus Philoſophicas, ac Theologicas ſubtilitates addiſceret, faciliùs præ ſenio in ſepulchrum deſcenderet: ingenuo adoleſcente Condiſcipulo, magna alacritate in iſtis proficiente: ſemper tamen ſaluo auxilio gratiæ diuino extraordinario. At Cholerici homines durę ceruicis, inſtabiles, captiuæ mulierculæ, garrulæ, curſitantes per domos, & maximè elati animi homines, non habent partem, neq; ſortem *b* in ſermone hoc myſtico [præſumptuoſi verò *c* & iactantiæ dediti; adhuc ſub poteſtate Diaboli tenentur captiui.] vndè ſi quiſpiam horum tempore probationis in ſtatu religioſo ita reperiatur, vt altam radicem ieciſſe, & vix mortificationis, & virtutis ſtudio ſuperari poſſe credat vir prudens; ad ſæculi ſtatum eiuſmodi remittat; niſi quis amet ſpinas in oculis, & morbidam ouem ſanas inficientem.

[Poſtremo *d* gaudeant benè nati, ſiue hoc habeant à ſolo Dei miraculo, vt Ioannes Baptiſta, ſiue ab influxu ſuperiorum corporum, ſiue à proxima radice parentum, vel ab educatione bona, quæ mores facit; gratias agant, vndecunque prouenerunt, neque gratiam in vacuum recipiant, iuxta illud: Gratia Dei in me vacua non fuit. nam in iniuriam cedit donantis, donum negligere, nec eo vti quod donatum eſt.] quantumcunq; ergò aliquis ſit puer ingenioſus, & ſortitus animam bonam, niſi Dominus dono gratiæ myſticæ ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam; & [gratia *e* orationis nec in tranſitu præſto erit, niſi illi animæ, quam ingens deuotio, & deſiderium vehemens, & prædulcis effectus ſponſam probat.] quia tamen [corpora *f* indirectè bonitatem intelligentiæ operantur; vndè & molles carne aptos videmus mente:] hinc etiam grauioribus infirmitatibus cruciati, indirectè à cõtemplationis quiete impediuntur in exercitio actuali; directè autem ad participationem paſſionis, & doloris pijſſimi Saluatoris noſtri deducuntur: quod in gratia myſtica præſtantibus, & cum digni fuerint pro nomine Domini contumelias & dolores pati, vtiliter, & cum maximo merito ſolet contingere.

Cum autem myſtico inſtructori opus foret ſcientia, ſicut Angelo Dei, conſequenter dicitur,

Quod

a *Taul. tom. 6. poſt Trin. ſerm. 1.* b *Act. c. 8* c *vbi ſupra.* d *Gerſon Theol. myſt. pract. conſ. 12.* e *S. Bern. ſerm. de circum.* f *S. Thom. cont. Gent. l. 3. c. 84.*

Quod mysticorum varijs naturis examinatis sese conformare habeat.

ARTICVLVS TERTIVS.

QVi Dei coadiutores sunt spirituales Magistri, cum primis aduertant oportet, non ita facilè admittendum esse primum illum appetitum, quo passim nonnulli in vita spirituali (præsertim ex instituto ad illam non vocati) eruditi cupiunt. [quis *a* enim nesciat, quosdam ex hominibus plus vigere in irascibili virtute; quosdam in rationabili, alios in concupiscibili; in qua virtute sæpius viget fœmineus sexus, qui propterea pius, deuotusq; nominatur.] & ideò [iuuat circumstantias personales attendere, vt corporis sic, vel sic *b* complexionati. Status quoque in Republica, loci præterea, temporis; vel memoriæ, iudicij, aut qualis in irascibili, qualis in rationali, qualis in concupiscibili reperitur.] [iuuat etiam miris modis ad operationes has, vel illas conformitatis inclinatio *c* naturalis: sicut ex aduerso dissonans tantum obest, quod vix libertas animi, vix disciplinatio, vix conatus assuefactionis, sufficit euincere.] noli ergò [ad instar *d* huius, vel huius tuam instituere vitam, vt eâdem velis, qua ille, vel ille ratione viuere. grandis ista cœcitas est; quam enim dispares homines sunt, tam dissimilia quoque illorum ad Deum itinera sunt. quod vni vitam, alteri mortem subministrat; nec non pro complexionum & naturæ diuersitate, gratia sæpe-numerò in hominibus operatur. Vt ergò præfatus sum, noli modos seu instituta hominum attendere, potiùs virtutes illorum obserua, si quos his præditos videris. Contemplare in alijs humilitatem, mansuetudinem, & id genus virtutes alias. Cæterum obseruandi modum talem elige & assume, qualem exigit vocatio tua. Hoc enim comprimis dispiciendum est, obseruandumque tibi, quæ sit vocatio tua qua vocatus es à Deo, vt huic morem geras.] & [certè *e* ego ipse si passim omnes sectari voluissem, iam pridem vita functus fuissem.] itaque [consideret *f* quisque in fundo suo, quæ opera, qui ritus siue modi, quæ exercitia magis ipsum, ac viciniùs in formæ nesciam, ac supereſſentialem illam imaginem introducant, subuehantque; & ea opera, illos ritus, eaque potissimum sectetur exercitia, donec & suiipsius, & rerum omnium exuatur formis, ac imaginibus, & in diuina illa imagine supra omnes imagines absorbetur.]

Cum autem [omnes species *g* iustitiæ quas habent serui Dei in veritate, possint habere serui Diaboli in simulatione; solam autem charitatem spiritus sancti non possint habere:] in spirituali vita instruendi, diligenti ratione prius

a *Gerson Theol myst pract. lonſ 2* b *ibid. conſ. 2.* c *Taul. Dom 20. post Trin. serm. 1.* d *ibid. paulò infrà.* e *Item Dom. 4. Adu. serm. 2.* f *Chrys. apud Harph. l. 1. p. 2. c. 39.*

prius examinandi sunt; quænam præteritæ vitæ agendi fuerit ratio, quæ inclinationes ad peccata, vitiaque, ad quos defectus propensio maior, quæ ingenij, & humoris constantia, vel mutabilitas, quibus motiuis, & inspirationibus internam vitam aggrediatur, quæ morum & animi grauitas, aut dissolutio; similiaque complura, quorum neglectu, aut ignorantia subindè contingit, vt quod maximè scitu necessarium erat, spirituales Magistri ignorantes, dum internam operationem promouere conantur, instruendus ad grauia quandoque, & occulta peccata prolabatur, & ita dum spiritualia elicere conatur, alius carnalia metat. Demum in tanta humorum, & agendi modorum varietate; naturis, & conditionibus cuiuscunque examinatis, sese conformet, & hoc ipsum singulis ordinet, quod quemlibet eorum faciliùs ad solidam mortificationem, virtutis studium, & demum [quod cor illius ad deuotionem ampliùs inflammat, *a* Deoque vicinius iungit, applicatque;] conformiter tamen ad statum, quem instruendus habuerit.

His autem positis, quam maximè cauendum est, ne vllus, cuiuscunque conditionis, status aut sexus fuerit, ad mysticam vitam assumendam inducatur; nisi in illo prius, aut vocationem in qua contemplationis studium viget, aut singulare ad interiorem Dei amorem gratiæ auxilium expertus fuerit. quis enim est homo, qui volens *b* ædificare domum, non prius sedens computat sumptus necessarios, si habeat ad perficiendum? & quis Magistrorum vitæ spiritualis non ingemiscit, vbi sub contemplationis specie, vagum & dolosum, ne dicam carnalem colubrum, post annorum spatia (sensualiter in Christo transacta) excoxerit. atque ideò consequenter monemus,

Ne sensibilem siue affectuosam deuotionem nimium excitet.

ARTICVLVS QVARTVS.

CIrca regulas *c* deuotionis sensibilis, duo spirituali Magistro obseruanda veniunt. Primum, quod sensibilis illa deuotio (qua nonnulli affectuosæ naturæ in benedictionibus dulcedinis præueniuntur) [tandam aliquando *d* intereat] (saltem ordinario cursu spectato) etiamsi triginta, & vltra annis duraret, & quantumcunque ille, qui hanc deuotinem sentiret, contrarium assereret: cuius quidem veritatis & praxis, vel pro oculari teste, & quidem non semel, & in vno subiecto) nos exhibere possemus. Secundo, quod maior radicario in charitate, & profectus spiritualis in Dei amore, non consistat in maiori intensione affectuum, siue feruoris amorosi; ita vt si mysticus hodie esset affectuosus, & spirans amorem diuinum, vt in gradu tertio,

a *Taul. in Natiu. Dom. serm. 4.* b *Luc. 14.* c *sup. decis. 5. a. 3. & 4.* d *Tau'.*

tertio, post mensem debeat spirare, & commoueri, aut penè ardere, vt in sexto, & ita consequenter. hoc enim præterquam quod per se fieri non debeat, (si tamen fieret) hominem omninò aut mente, aut corpore, aut vtrobiq; inutilem redderet. Ad primum ergo quod attinet, cum sensibilis deuotio tandem deficere habeat, vt eidem spiritualis deuotio succedat, attendat sedulò Magister spiritualis, ne illam nimium excitet, multoque minus illam ex se in discipulo formet, aut potius effingat: sed secundùm id quod in præsenti verum, & reale de Dei amore comperit, explicet, diuidat, & bonum à malo, vile à pretioso discernere doceat. quo ita tandem ablactatus æque benè inueniat, vndè vtiliter in interiori suo, & occupetur, & ad maiora charismata se disponat. super omnia autem caueat ne cum instruendo de altis rebus tractet, aut talem statum vel operationes in discipulo efformare conetur, quales in se habet, ac experitur; ad hæc enim incipiens, aut proficiens omninò est incapax, & incredibile damnum incurrere solent, qui taliter ducuntur, & instruuntur.

Amor itaque, qui in inferiori homine habetur, & sensibilis dicitur, in tantum est admittendus, in quantum opus est, vt inordinatus amor, siue concupiscentiæ blandimentum, à dicto amore supprimatur, & spiritus paulatim intimiùs eleuetur. Ad secundum verò, quod attinet, Magister spiritualis à tali errore abstineat, vt sibi, alijsque persuadeat, magnum quid præstitum esse, si indies maiores feruores in parte sensibili excitet; præsertim si cum alio sexu hoc fiat, aut cum illis, qui penè innata deuotione Deo famulantur. tales enim ad sensibilem deuotionem, & feruorem sat propensi sunt: Vndè potiùs aliquo modo, & inaduertenter, quasi à sensibili ad sincerum in Deum amorem promouendi sunt. Si quis tamen sensibili deuotioni excitandæ collaborare volens, ecstases quasdam, seu potiùs mentis alienationes, suspensionesvè in se, aliovè causauerit; non est quod hoc ipsum tam magni æstimet, quam quod aut sensuali conuersationi, aut ignorantiæ vtiliter, & ordinatè in vita mystica de vno in alterum, & de sensibili in verè spiritualem cum Deo conuersationem deducendi, tribuat. Et ideò longè meliùs fecerit Magister spiritualis, vt quando ad altiora se, & quæ verè, & realiter in praxi non possidet, prouentum fuerit, discipulum ad perfectiora tendentem, alteri instruendum committat: nec turpis lucri, aut vani honoris gratia detentus, cæcus cæco ducatum præstet, & ambo in foueam cadant. Vbi enim quis in amore sensibili penè inueteratus, tandem ablactatus fuerit, tantam internæ desolationis amarulentiam, tædium, & ariditatem in illo conspicere licebit; vt nulla persuasione, industriavè, ad sanam interioritatem redire posse videatur.

Cum autem sensibilis deuotio benè ordinata, sit quasi vmbraculum meridiani æstus, ne scilicet dum peregrinamur à Domino, terrenarum rerum concupiscentia allecti, & abstracti, ab incommutabili ad commutabile bonum deflectamus; seriò curet spiritualis Magister, vt blandimentum diuinæ consolationis moderatè propinet, quo ita simul anni adolescentiæ, ac pruritus mundi mysticis Athletis quasi furtiuè abeant; donec virili constantia, & iudicio armati, corruptam in seipsis naturam potiùs videant, quam sentiant: alioquin prodigaliter assumpta sensualitate diuina, subsequitur carnalitas humana, iuxta illud Apostoli: *a* Cum in Christo luxuriatæ fuerint, tunc nubere volunt. quasi diceret, nonnulli postquam in diuinis recollectionibus sensibilem amorem non amplius gustant, tum ad sæculi voluptatem, cor, animum, & corpus conuertunt. quod certè plerumque in adolescentioribus cuiuscunque sexus, si sese ad mortificationes, & virtutes solidè exercendas non impenderint, contingere manifestum est, illis maximè, qui in praxi diu, & multifariè versantur. Ne autem spiritualis Director circa operationes supernaturales, & præstantiores accidentaliter immissas hallucinetur, consequenter dicitur,

Extraordinarias mentis perceptiones, voluntatisq; excitationes amorosas, sicut etiam actus infusos, statum mystici non mutare.

ARTICVLVS QVINTVS.

IN ordine consecutiuo statuum incipientium, & proficientium, tam intelligendo, quàm explicando, nihil tam facilè, etiam spirituales Magistros inuoluere potest, quam ignorantia actuum diuinitus infusorum. hos enim cum vel non aduertant, vel admirentur duntaxat; præsertim quod subindè reales mentis eleuationes, imperfectas autem vt plurimum, rariùs verò perfectas, Ecstases, & raptus efficiant; minus clarè dignoscere valent, an istiusmodi operationes inferioribus statibus conueniant. Vndè cum facillimè cogitent, tales animas ad sublimiores status eleuatas esse, exercitia quoque spiritualia statum ordinarium transcendentia, incongruè assignant.

Sciendum est ergò [omnia *b* contemplationis genera posse fieri cum mentis excessu, & in omnibus etiam infimis statibus meditationis, aspirationis, & contemplationis vtriusq; modi, locum esse actuum infusorum, ita vt aliquando iuxta beneplacitam, & ab oculis viuentium abscondita Dei sapientiam, pia anima à Deo dignetur sublimiori gratia; independenter quidem ab omni exercitio, directione, & auxilio humano;

a 1. Tim. 5. *b* Rich. l. 4. de Cont. c. 22.

mo: cum eo tamen, vt licet à Deo actus infusi, aut voluntatis amorosæ excitationes, in inferioribus statibus mysticũ ad excessus mentales, ecstases, aut raptus eleuare possint; id tamen non fieri nisi in actu transeunte, ita vt cessante actu infuso, & eius operatione, consueta sint reassumenda media, & auxilia interna proprio statui conformia: licet aliquis de illorum numero esset, qui gratias sanctorum Viatorum præse ferre videretur. Vnde etiam legimus nonnullos sanctos post summas ecstases, & raptus, pias meditationes solitas reassumpsisse, id quod non tam imperfectioni spirituali, quam gratiæ diuinæ intensioni, & remissioni tribuendum est. licet autem dicti actus infusi, & commotiones voluntatis statum mystici non mutent; possunt tamen piam animam (per saltum *a* promouere;) vt si quis, verbi gratia, à statu meditationis ad statum contemplationis ita diuinitus transferretur, vt non amplius ea quæ sunt meditationis; sed quæ contemplationis sunt, exercere posset: tum enim nequaquam vrgenda esset pia anima, vt ad priores status practicandos reuerteretur, nisi hoc fieret ad probandum, num verè non amplius in prioribus statibus quicquam possit. quod pro maiori cautela, à Magistro spirituali prudenter fieret. Sicut autem contingit spiritualem Directorem falli circa operationes supernaturales, ita etiam circa priuationes improprias: vnde consequenter dicitur,

Priuationes impropriæ ex ipsa prauitate naturæ & mentis hebetudine prouenire.

ARTICVLVS SEXTVS.

PRæter suprapositas causas *b* improprias priuationis, & desolationis spiritualis, Instructor mysticus scire habet, [quod ipsa sensus hebetudo *c* sit quædam mentis debilitas, circa spiritualium bonorum considerationem;] quodque [ipsa sensualitatis inordinata *d* inclinatio, ex destitutione originalis iustitiæ proueniens lex carnis, seu lex fomitis dicatur, legisque rationem habeat, in quantum est pœnalis, & ex lege diuina hominem propria dignitate destitutum, consequens.] ita vt vel hinc infinitæ propemodum desolationes, ariditates, & interiora tædia indies apud nonnullos iuniores, & durioris naturæ facillimè proueniant. quæ quidem non vt veræ *e* spiritus priuationes; sed vt infirmitates ipsius vitiatæ, & rebellis naturæ censeri debent. præsertim cum hoc plurimum tempore ipsa incipientium, & quandoque proficientium cruda massa, & merissima spiritus incapacitas omnem animi languorem, & auersionem contra religionis institutiones,

a S. *Bonauent. 7. Itin. 2t.* b *Decis. 5. art. 9.* c *S. Thom. 2. 2. q. 15. art. 2.* d *ibid.*
e *de quibus latius inf. 2. p. decis. 2.*

mortificationes, virtutes, & perfectiones, exhalet.

Et certe qui in anno probationis alicuius rigidioris, & sanctioris religionis, inordinatas passionum rebelliones ita patiuntur, vt à communi viuendi ratione molestiam sentiant ordinariè, simul penè vt saxa obdurati, & cœlesti solamine destituti; vtiliùs ad sæculi statum remittuntur, quam vt à primis, vsque ad vltimos annos seipsos, & alios infinitis modis contorqueant; & tanquam terra sæpè *a* venientem super se bibens imbrem (bonarum instructionum, & consiliorum) proferens autem spinas, & tribulos (duræ ceruicis, & naturæ) reprobi sint, & maledicto proximi: Quia verò in schola amoris Christi Domini parum est reliquisse, quod quisque habuit, multum verò reliquisse, quod quis est, hinc consequenter hortamur,

Vt spiritualis magister spectator sit patiens admirabilis inconstantiæ, ac tædij incipientium & proficientium.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

CVm DEVS sit Bonum vniuersalissimum, & quodlibet eorum quæ sunt, eius particeps esse cupiat, innata ad Deum propensione frequenter vsu venire solet, vt de mystico exercitio vix quidquam audiuisse contigerit; quin impetu crudi affectus ad illud, vti ad aliud quidpiam temporale ferantur nonnulli; licet ad statum religiosum, & contemplationi aptum non sint vocati. in quo certè modo contingit quandoque, quod in scholis artium, in quibus sicut copiosa multitudo ad scientias acquirendas irrumpit in principio, in progressu verò tantopere diminuitur paulatim, vt ad ipsas scientias vix pauci perueniant, pauciſſimi verò in viros probatos euadant; pari itaq; modo in confluxu mystici exercitij, quis non collætetur, animas Deum quærentium, quasi hortum irriguum, & odoramentorum intueri? quis autem magistrorum spiritualium non ingemiscat, ipsorum plures in ipso exordio diuini obsequij torpore, & ignauia diffluere quasi iuuenculos indomitos Christi iugum abijcere, ac in Dei seruitio ea nolle præstare, quæ vel in sæculo ad vitæ necessaria habenda peragere deberent? [vix enim est aliquis, qui in his quæ Dei sunt, experiri velit quid possit, etiam quod secundùm *b* sęculũ promptissimè potest; siue fauor allexerit, siue timor impulerit, vel commodum quodcunq; suaserit.] Quia verò huiusmodi spiritus tędia, non semper ex defectu boni animi, & propositi Deo famulandi; sed frequenter ex destitutione originalis iustitię, sensus hebetudine, mentisque debilitate circa spiritualium *c* bonorum considerationem proueniunt, non sunt incipientes, aut proficientes ob similes imperfectiones illicò reij-

a Hebr. 6. *b S. Bernard.* *c vt hic art. 6.*

reijciendi; sed oportet, vt magister patiens spectator sit tantæ inconstantiæ, qua recenter ex sæculari voluptate, & omnis concupiscentiæ cloaca segregati, & vix vno aut altero anno in Dei seruitio, mortificationibus, virtutibus, & internis actionibus exercitati conturbantur, & à Diabolo, Mundo, & carne variè, imò quandoquè penè ad delirium vsque exagitantur. itaque sicut Magister spiritualis patienter tædia incipientium, & proficientium, bono animo, propositoque ad meliora conantium tolerat; ita vagos, & dissolutos directè ad mortificationem remittat: [nullus enim Deum *b* spiritualiter videre potest, & mundo carnaliter viuere,] interna verò exercitia ad virtutis studia dirigat.

Nec miretur, aut contristetur spiritualis magister, ac si suo neglectu resilirent plures discipulorum; nemo enim tam modicè instruitur, quin si fideliter gratiæ locum præbuerit, satis, superque præstare valeat ea, quæ ad mortificationis, & virtutis exercitium, ac internum profectum spectare creduntur. nemo etiam tam excellens erit magister, qui in perfecto, & contemplationi comprimis consecrato religioso statu constitutum, interea verò sæculo magis, quam Dei seruitio aptum, & deditum, ita instruere, vt benè instructum, benè operantem facere possit. Talis enim inter religiosos viuit magis, vt bonus per illum exerceatur; quam vt in se corrigatur. circa illos autem, apud quos boni desiderij affulget fructus; recogitet, quam maximè quod [Adolescentia multa *c* corporis bella sustineat & inter incentiua vitiorum, & carnis titillationes, quasi ignis in lignis viridibus suffocetur, vt suum non possit explicare fulgorem: quodque senectus rursus eorum, qui adolescentiam suam honestis artibus instruxerunt, & in lege Domini meditati sunt die ac nocte, ætate fiat doctior, vsu tritior, processu temporis sapientior, & veterum studiorum dulcissimos fructus metat.] recogitet, inquam, quod si angusta *d* porta, & arcta via quæ ducit ad vitam, & pauci sint, qui inueniant eam: quomodo non erit fœlicitatis mysticæ semita, vt foramen acus contracta: & cum etiam *e* non omnes iustorum gratiam mysticam in hac vita consequantur, quid in arido ligno, & incipiente, aut proficiente, adhuc patientiæ opus sit, priusquam illa spiritus dulcedo in multitudine sua perficiatur in conspectu *f* filiorum hominum, & in probatum virum euadat, etiam illorum testimonio, qui alioqui ad quæuis cauillanda promptissimi sunt. Eiusmodi autem patientia cum habenda sit cum hominibus vtriusq; sexus, & malitia, seu tentatio sit vita hominis superterram;

hinc consequenter monemus,

a *S. Gregorius libr. 18. moral. cap. 28.* b *S. Hieronym ad Nepotian. Epist. 2. tit. 1.* c *Matt. 7.* d *2. q. decis. 1. art. 4.* e *Psal. 30.*

Vt pericula alterius sexus caueat ordinata discretione.

ARTICVLVS OCTAVVS.

VAriæ propositiones, dubia, & pietatis cupiditas, cum in deuoto fœmineo sexu plerumque magis, quam in viris, spirituali magistro inferat molestiam; accidit nonnunquam, dum incautus, aut ab inordinata concupiscentia non sat defœcatus, discursus spirituales multiplicat, & documenta quædam generalia (vt medicinam omni morborum generi adhibendam) assumere habet; vt paulatim quoque, ad leuia, inutiliaue colloquia deflectat: donec tandem vtrimque sic stulti facti sint, vt cum spiritu cœperint, *a* carne consummantur, halitus enim Sathanæ *b* prunas ardere facit; & vbi sub specie boni incautis, & carne nondum emortuis occasionem præbuerit, infernali sua astutia concupiscentiæ fomitem acrioribus stimulis inflammat. in spiritualibus etiam maximè [similitudo *c* cum sit aliquorum vnam formam habentium, in eaque vna forma, quasi vnum quid existentium facit, vt vnius affectus in alterum tendat, sicut in vnum sibi, eique bonum velit, sicut & sibi. ac proindè causa amoris est.] prouidè ergò monet Augustinus dicens: [asper sermo, *d* breuis, & rigidus cum mulieribus habendus est; nec quia sanctæ sunt, ideò minus cauendum est · quò enim sanctiores sunt, eò magis alliciunt, & sub prætextu blandi sermonis, immiscet se virus impudicissimæ libidinis. crede (inquit mihi) Episcopus Ego sum, veritatem loquor in Christo, non mentior. Cedros Libani, & grandes abietes sub hac specie corruisse vidi, de quibus non minus præsumebam, quam de Gregorio, & Ambrosio.] de periculis etiam, quæ hinc oriri possunt, nusquam ad praxin accommodatè magis perlegeris quidquam, quam quod à Taulero *e* ad oculos positum est.

Aliud etiam subindè, non tam ex genere suo impurum, quam honesto viro indignum, solet incantationis penè delirium, ex huiusmodi mulierculorum suffiamine exoriri: videlicet, vt viri alioquin sat prouidi, & rerum mysticarum non ignari, tantum visionibus (fortè melius quis dixerit, ementitis compositionibus, ac phantasticis Experientijs) credant, vt etiam probati mystici authores, minus apud ipsos valeant: tantumque suggestionibus illarum, & tribuant, & obediant; vt vel tenacissimè iurent in verba magistræ; non obstante, quod subindè mulierculas tales, & in iuris codice, & in populi (vt Dei) voce, maculis Lenocinij, & magiæ diabolicæ, nomina fœdata habere intelligant. Et hoc quidem deceptio-

a *Gal.3.* b *Iob.41.* c *S. Thom. 1.2.q.27.a.3.c.* d *apud S. Bonau. in reg. Nou. c.11.* e *in feste S. Agnet. s. vn. & S. Bonau proc. 4. Rel. 4 c.5. l 2.*

ceptionis genus in pauperioribus, quo ita vitæ, sustentationisque commoda subdole venentur, vt plurimum contingere solet. Cuius quidem rei experientiam fateri poterunt, qui etiam nostro sæculo similes mulierculas commodatis rebus, furtiuè, & insalutato hospite (vt dicunt) ac cum præda discedere, non sine proprio rubore, & alieno damno, didicerunt.

Cæterum prudenti, & ordinata discretione adhibita, poterit quilibet iuxta conditionis, & status sui iura, ac patriæ consuetudinem, cum alio sexu de rebus honestis, vtilibus, ac spiritualibus conferre, pro vt expedire videbitur. præsertim si vtriusque viuendi ratio, & virtutis, & contemplationis gratia, sit munita. sic enim qui ex aduerso est, nihil habet male dicere de illis, nec iustum scandalum obtrudere; nisi in quantum proprias concupiscentias despumans, alium talem iudicat, qualem se in brutali appetitu sentit. quæ quidem scandala potiùs malitiosè accepta, quam verè data illis maneant, seruiantque, qui propria cupiditate subuersi, sibi ipsis in tormentum viuunt; quibusuis autem alijs pro re nata molestiam inferre gestiunt. Virtutis autem & amoris diuini studiosis satis sit, quod sint omnia *a* munda mundis, coinquinatis autem, & infidelibus nihil sit mundum; sed inquinatæ sint eorum, & mens & conscientia. Et hisce quidem de statibus primæ partis breuiter dictis, vt constet quinam status adhuc supersint, pro conclusione consequenter apponimus,

Summarium statuum mysticorum secundæ partis, seu modi supernaturaliter operandi.

ARTICVLVS NONVS.

VT reliquum viæ dilectionis Dei, & modorum perfectiùs operandi ad intra, illis saltem constet, qui ad status supernaturales non transeunt; breuiter residuos, qui in secunda parte tractantur, hic apponendos iudicauimus. Itaque post statum contemplationis siue affirmatiui, siue negatiui modi, immediatè sequitur status priuationis rigorosæ, in quo amoris rubigo, & imperfectio corrigitur, depuratur, ac paulatim ad modum operandi substantijs separatis conformem, disponitur; Dein ad statum vnionis, præuia infusione gratiæ mysticæ ad modum supernaturaliter operandi suscepta, promouetur. in cuius demum summo, maiora, quæ de vnione mystica passim scripta sunt, per donum supernaturalis sapientiæ, statum transformationis modi descendentis, & eo finito, modi ascendentis, consequitur: ita vt circa diuinas actiones absque imaginatione, & discursu rationis, ac secundum simplicis intelligentiæ conditiones, procedere valeat: per vicissitudinem status transformationis

a ad Tit. 1.

tionis vtriusq; modi scilicet tam ascendentis, quam descendentis sufficienter (etiamsi vel mille annis quis vixerit) perdonum sapientiæ in charitate, seu Dei dilectione, continuò magis, ac magis radicandus, perficiendusque. Quod si postmodum ex diuina ordinatione quisquam particularibus gratijs gratis datis, & eminentiori operandi modo, quam per dona intellectus & sapientiæ, dignetur, ad statum Sanctorum viatorum referendus erit: in quo magis singulari modo, quam ab homine dici possit, per Spiritus Sancti super excedentes inactiones, regetur. finaliter autem in patria Deo miserante visuri Deum sicuti est; alius tamen alio clariùs; pro vt per diuinam prouidentiam vnicuique datum fuerit. Nos autem interea ad supernaturales dispositiones, status, & operandi modos, pro vt illos ad praxin per paraphrases exposuimus, transeamus.

PRIMÆ PARTIS FINIS.

SECVN-

113.

SECVNDA PARS.

SECVNDÆ PARTIS PRAXIS MODI OPERANDI SVPERNATVRALITER.

AD MYSTICOS DIVINO ANIMO PRÆSTANTES

PROLOQVIVM.

DE [dilectione loqui dulcè ſemper,[a] & iucundum eſt; experiri verò eam, atque ſentire, multò ſuauius] cuius quidem experientiæ cauſa, totius noſtræ deductionis labor inſumitur. ſed obſecro quem docebit Dominus ſcientiam,[b] & quem intelligere faciet auditum? nonne ablactatum à lacte, auulſum ab vberibus? & ad puras, ac ſolidas ſpiritus operationes, diſpoſitos? vndè etiam iure meritò, diuino animo præſtantes duntaxat myſticos, in omnibus, & ſingulis, quæ tota parte hac ſecunda continentur, alloquimur; tanquam qui ſtatus incipientium, & proficientium, fideli exercitatione, abſoluerint, & diuino impulſu, ad perfectiora, & cœleſtibus coniunctionibus viciniora, extendantur. fruſtra namque in his, aut legendis, aut practicandis, leuabit ſe ſupra ſe, qui gratia ſupernaturalis modi operandi, à Deo dignatus non fuerit.

Quod licet per ſe apud intelligentes, verum eſſe conſtet; nullo tamen conſilij, vel admonitionis præſidio vnquam caueri potuit; quin vnuſquiſque iuxta bonæ, malæuè conditionis ſuæ arbitrium dijudicet; quod ſolis bonis, & illius negotij capacibus,

a S. Bernard. b Eſa. 28.

ad legendum expositum est. legunt ergò ambitionis vitio scioli, ne diuina quæque, etiam profundissima; aut non intelligere; aut (quod reputationi suæ magis aduersari credunt) non practicare videantur: & vt vtrumque ad propriæ elationis pruritum magis, quam ad veritatem adstruant, magnificis subtilitatibus quæque cauillant; magis autem, vt tanquam bruta animalia, quæ quidem ignorant, blasphement, quæ autem norunt in his corrumpantur. Legunt verò in diuino amore iam exercitati, vt penitius magis, & intimiori perfectione iustificentur, & sanctificentur adhuc: quod quidem omnium nostrum, in schola arcani amoris studentium, est intentum, ac finis.

[Da ergò amantem, [a] & sentit quod dico; da desiderantem, da feruentem, da in ista solitudine peregrinantem, atque sitientem, & fontem æternæ patriæ suspirantem; da talem, & scit quid dicam] ea enim vel maximè de causa; in frontispicio huius summæ, figuratum est cor ardens, & flammas diuini amoris vndequaque exhalans, atque ex imo centri, & fundi, ignem, & vaporem fumi, in diuinæ essentiæ sphæram, eiaculans: quodque diuinis illustrationibus, & caloribus reciprocè foueatur; ne cum incipientium, aut etiam proficientium nonnullis, ab arcta via amicitiæ cœlestis quandoque deficiat.

Vobis itaque amantissimis Domini, quique in cœlis conuersationem vestram collocatis, totum, quantumcunque exile sit, quod præstare potuimus; debetur, offertur, dedicatur, ac consecratur. vt autem in diuinis, fruitionibus perseuerantem statum, & æternum, diuina benignitas nobis largiatur; mediantibus

[a] S. Aug. tract. 26. in Ioh.

tibus vestris orationibus; (quibus & multum tribuimus, & diuino animo præstantes summè valetis) humillimè, & eximo cordis deprecamur, ac simul amicè rogamus, vt mutua conferentia, alia quidem à vobismetipsis [alia a ab alijs excogitata, omnia autem à bonitate accepta; ad nos etiam mittere, & in amicum beneficia conferre, non pigeat. nos enim etiam rationem nullam earum, quæ nobis de (Mysticis) traditæ sunt, intra priuatos parietes continuimus; sed vobiscum communicamus quatenus, & nos dicere potuimus, & illi, quibus dicitur audire.] denique [in Epithalamio b hoc non verba pensanda sunt, sed affectus. Cur ita? nisi quod Amor Sanctus, quem totius huius voluminis vnam constat esse materiam, non verbo sit æstimandus, aut lingua; sed opere & veritate.]

a S. Dion. de diu. nom. cap. vlt. b S. Bern. de Cant. Cant.

PRAXIS MODI SVPERNATVRALIS QVIS ORDO ET QVÆ CONDITIO IN GENERE.

PARAPHRASIS PRIMA.

INTELLIGENTIA [a] *est opus in visione.* ac si diceret, ad plenam, & perfectam notitiam rei alicuius, præsertim ob sui præstantiam absconditæ, non est satis illam taliter, qualiter vidisse: sed articulata, certa, ac sublimi aliqua notitia opus est, priusquam aliquis sciat, quæ à Deo sibi donata sunt. ad hoc autem cum nil ita conducat, sicut ordinata, consecutiua, & dilucida scriptionis breuitas; ideò hoc loco, practicũ in genere instruere voluimus, quo ita securè intelligat, penetretq; illa, quæ in visione, ceu in inuolucro apparere, & vniuersaliter ad praxin omnium statuum Secundæ partis referri solent. idque non tantum, vt ex frequenti repetitione fastidium caueatur; sed etiam, vt in praxi simpliciores piæ animæ non perturbentur, neuè mens ipsarum sic intricetur, vt vix intelligere valeant, quod legunt; at potius, ceu in speculo, sua interiora dijudicent. vndè hic dicitur.

I. Quo ordine, stylo, & modo praxis sit tradita.

II. Continuò maior radicatio in charitate, per omnes status, & exercitium actus, aliam atque aliam, conformem tamen, requirit operationem.

III. Quod propter varia accidentia huius vitæ, mysticus quandoque deficiat ab intellectu ordinis practici, & eius executione.

IV. Quis sit modus inueniendi proprium statum mysticum.

V. De modo vtiliter legendi praxin, ad prosecutionem status proprij.

VI. Familiaria colloquia de mysticis in praxi efficacius illuminare, quam ea quæ scripto traduntur.

VII. Quæ sit differentia inter mysticos fundos, dimensiones sphæras, Regiones, vbi, situs mentales, operationes, seu verba, ac status.

VIII. Breuis deductio eorum, quæ eueniunt in praxi per omnes status secundæ Partis.

ARTI-

[a] *Dan. 10.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Quo Ordine, stylo, & modo, praxis sit tradita.

QVæ a *Deo sunt, à ordinata sunt.* ac si diceret, ô pia anima, quod si humana cohabitatio in hoc mundo pacificè possideri non potest ; nisi omnis anima sublimioribus potestatibus subiecta sit, & illarum prouidentia gubernetur; quantò magis hoc ipsum fieri debebit in ijs , quæ ad Dei amicitiam continuandam , (in qua vel maximè spiritualia, seu mystica eminent) ordinarè prosunt? & ideò sollicitè rogat pia anima sibi indicari, vbi Deus optimus maximus pascat , & cubet in meridie; huius scilicet miserrimæ vitæ : quæ in ijs, quæ ad Deum sunt, cœcitate, & rectè agendi debilitate percussa, languet, facillimè aberrat, ac vagari incipit post greges sodalium suorum , scilicet tam internorum , quam externorum sensuum, & omnium potentiarum; ita vt, dum susque , deque insequitur illum, quem diligit anima eius , frequenter tamen ipsum non inueniat : illa potissimum de causa , quod non satis ordinatè sciat separare vile à pretioso, & immundum à mundo. & certè, nihil nos ad summam hanc practicam scribendam vsque adeo induxit, quam confusus ille, & passim in praxi obuius modus in interioribus operandi , ad omne id, quod vel aliquam sensibilem deuotionem videtur olere: quem etiam defectum in viris mysticæ vitæ cum primis deditis , ac etiam spiritualibus magistris , oculis nostris perspeximus; ita vt ipsimet suum proprium statum ignorarent, sileo, quod scirent, quo ordine fruitio mystica, aut incipienda, aut rectè, secureque, ac integra realitate continuanda foret, aut ordinate, de statu in statum, pro vt incipit, proficit , & perficitur , transeundum sit.

Quapropter non scientificum , sed practicum ordinem insequendo , singula eo loco ponuntur , in quo mysticus de præsenti dispositus est practicare hoc ipsum quod legerit , & suo statui conueniens fuerit. quod vt facilius euadat , breuiter hic in memoriam reuocamus; practicum ordinem, tam supra *b* quam infra, *c* diuidi in modum naturaliter , & modum supernaturaliter operandi. & quidem modum naturalem esse , qui cum rationis discursu, & vsu imaginationis , sua interiora perficit ; ac incipientibus , ac proficientibus per exercitia meditationis, adspirationis, & contemplationis ordinarius est. Modum verò supernaturalem esse, qui simplici intelligentia , & absque phantasmatum vsu procedit , & hoc ipsum per dona intellectus , vel sapientiæ , habitualiter præstat. & quidem duplex hæc mentis cum Deo refectio , significata videtur per duplicem Eliæ (viri familiaritatis Diuinæ assueti) confortationem. primò enim cum Angelico cibo, *d* & potu

a *Rom.13.* b *1.Par.decis.1.a.3.* c *2.Par decis.1.a.1.* d *1.Reg.19.*

potu nutritus fuisset, non procul profectus est; vndè etiam incipientes, & proficientes pro ordinario exercitio, extra modum naturaliter operandi non progrediuntur. Secundo verò, cum similiter commedisset, & bibisset, confortatus grandem viam vsque ad montem Dei Horeb confecit: & ideo dein perfecti perlaboriosam viam, priuationis incedunt; dein montem status vnionis ascendunt, & tandem in statu Transformationis, familiaribus diuinis colloquijs dignantur, simplici intelligentia, atque Angelis conformi modo. Et licet illiterati, simplicioresue, hunc ordinem non tam cito obseruare valeant; temporis tamen successu, cum progressum fecerint, ex reali, & vitali praxi, sua interiora ordinatè diiudicabunt, & sibi euenisse gaudebunt, quod illi, qui cœlorum motus, & Astronomicas obseruationes primò quidem nesciuit; vndè etiam stellas, & planetas, non cum ordine, sed in confuso quodam intuitu aspiciebat: postmodum de omnibus instructus, ordinatè nominibus suis omnes vocat; quæ in cœli machina diiudicare licuerit.

In statibus ergò primæ partis, cum tot dubia, & scitu necessaria non occurrant, & interea, dum illi practicantur, incertus sit profectus, ac transitus ad hosce supernaturales status; modica synopsi paraphrastica praxin tradere consultiùs visum fuit: At in præsentiarum, eò quod ampliores occurrant difficultates, & status sublimiores, profusiori quoque deductione paraphrastica, ceu stylo plano, & ad realem praxis intelligentiam, pro illiteratis, & rudioribus accommodatissimo; ac etiam pro vt operationis conditio, intensio, & remissio in Nunc præsenti expetere videtur, dicendum est. quo ita omnes querimoniæ, dubia, operationes, solatia, ariditates, & notabiliora quæ in interioribus exercitijs contingere solent, clarè proponantur, mysticique modi, & industriæ practicæ suggerantur. ac pientiores illiterati interiora sua dilucidiùs intelligere, faciliusue practicare valeant. cuius rei gratia primò dicitur *b* summariè, quid fiat in praxi per omnes status mysticos, qui in hac secunda parte tractantur: dein in omni paraphrasi quolibet articulo primo, breuiter dicitur id, quod in toto statu, dein, quod in eius infimo, medio, vel summo, aut contra euenire solet. in quibus omnibus, cum grandis nobis sit sermo, & interpretabilis ad dicendum, cuilibet articulo sententiam aliquam Sacræ Scripturæ præponimus; quo saltem hoc modo, declaratio sermonum tuorum Domine illuminet, & intellectum det paruulis. nolumus enim in visionibus Angelorum, quam non vidimus, ambulare, aut de perfectione spirituali, prout secundum speculationem scientificam considerari potest, procedere; sed potius simplicioribus, & secundum iudi-

a 1. *Reg.* 19. *b* *Paraphr.* 1. *art.* 9.

iudicium Sancti Hierothei *a* ad vitam mysticam magis aptis, quam doctis, & scientiæ sublimitate in intellectu summè intricatis: prudentiam eloquij mystici (pro vt Deo miserante datum fuerit) exponere; nec mihi soli laborare. & hoc ipsum duplici modo; primò quidem per simplicem narrationem paraphrasticam, seu ad propositam sententiam Sacrę Scripturæ conlocutionem; quo ita tam docti, quam illiterati, ad praxin peraccommoda facilitate deducantur, & quilibet, quæ ad arcani amoris progressum contulerint, pro sua capacitate sat clarè intelligat. & hoc vt digne præstetur, necesse non est, vt omnes æqualiter ingenio, aut scientia polleant, sed satis est, vt quilibet, ita circa illa quæ legerit, versetur, vt sufficienter, intelligat, quid in praxi agendum sit. quo in genere simpliciores sæpè maximè doctos excedunt; pro vt etiam in patria, seu clara visione, quilibet ad suam plenitudinem, Deum quidem videt indoctus, tamen docto aliquando perfectiùs. Secundò verò per varias sententias mysticorum, quemlibet statum, & quæ ad eius notitiam faciunt, explicamus: quo ita, tam litterati, quam rudes, in occurrentibus tædijs, etiam ex sola lectione, robur, & consolationem spiritus eliciant. aliquando enim fit, vt vel vnicum verbum, quod statum proprium directè tangit, plus illuminet, afficiat, ac interiorem dispositionem benè ordinet, quam omnis alia industria, aut oblonga instructio. interea rogantes eximiè litteratos viros, vt quæ hic simplici stylo ponuntur, in theoria latius per sententias probata requirant; quo ita tandem iudicium plenum formare valeant. iam verò dictis, quæ ad ordinem, stylum, & modum praxis pertinent, consequenter dicendum erit de charitate, pro vt in genere eius perfectio consideratur,

Continuò maior radicatio in charitate, per omnes status & exercitium actus, aliam atque aliam, conformem tamen, requirit operationem.

ARTICVLVS SECVNDVS.

IGnis b *nunquam dicit sufficit.* ac si diceret, ô pia anima, sicut ignis, quamdiu ei ligna subministrantur, absque cessatione, continuò sese extendit, & insatiabili appetitu omnia in sui naturam conuertit: ita quoque ignis spiritus Sancti; per amoris infatigabiles actiones, absque vlla limitatione, quamdiu in hac vita peregrinamur à Domino, sese protendit, dilatatque: non tamen confuso, sed maximè ordinato progressu. & ideò, cum natura intellectus nostri sit, intelligere per conuersionem ad phantasmata, primo omnium in sua cum amore diuino operatione, à phantasmatibus abstrahit, & cœlestes quasdam regiones, dimensiones latitudinis, longitudinis, sublimitatis, vel profundi, dein visus aliquos sursum, vel deorsum, antrorsum, vel retrorsum, sinistrorsum, vel dextrorsum, vbi, situsque

a *Et sanctorum Dionys. Bonau. Tho. & passim omnium.* b *Prou. 30.*

mentales substituit: quousque puræ intelligentiæ actionibus obtentis, illicò motibus circularibus, rectis, vel obliquis, amoris beneuolentiam distribuat, & ad alimentum consortij diuinæ naturæ digerat, iucundè admodum. præsertim cũ in statu Transformationis, gratia sanato animo, (ex habituali dono sapientiæ) sicut velle, ita etiam perficere adiaceat; ita vt in mysticis supremis actionibus, ita possit, sicut vult, nec plus velit, quam possit. de quibus, & similibus ordinatè per singula latiùs habetur infra per totum; hoc loco contenti, breuiter ad vniuersalem notitiam dixisse, quod maior radicatio in charitate, & perfectio progressus mystici, per omnes status, & exercitium actus, continuò aliam, atque aliam, (conformem tamen) requirat dispositionem, & operationem: licet in notabilioribus regionibus, quando ab infima ad mediam, aut à media ad supremam, ascenderit, vel descenderit, aut vicissitudinem notabilium operationum subierit; peregrina vtcunque hæc omnia videantur, in principio sicuti etiam contingit ad aliam domum migranti, aut nouam melodiam audienti; licet enim domus secunda pulchrior, & pretiosior; & cantio sequens longè suauior sit prima: attamen quousque prioris ex toto obliuiscatur, & præsenti assuescat, nonnihil ingratum, ac insolitum videbitur, id quod perfectiùs est. ne quis verò speculationem in his sufficere credat, consequenter dicendum erit,

Quod propter varia accidentia huius vitæ, Mysticus quandoque deficiat ab intellectu ordinis practici, & eius executione.

ARTICVLVS TERTIVS.

DEprimit a *terrena inhabitatio sensum multa cogitantem*, ac si diceret, ô pia anima, qualicunque bono, quomodocunque priuet originale peccatum, seu actuale, eo ipso priuat modo, specie, & ordine; vt vel ideò tanta apud homines in rebus agendis reperiatur ignorantia: maximè verò in operationibus vsque adeò occultis, & internis, in quibus Deus posuit tenebras, latibulum suum; vt iuremeritò dubius hæsitet, an sursum, an verò deorsum, sinistrorsum vel dextrorsum, procedendum sit. cum exindè eius internus visus, sicut oculus corporis facillimè, & à minimo puluere obscuretur, ne quidquam videat; iuxtà illud Apostoli, quid oremus, nescimus. contingit enim illis, quod pueris inter se colludentibus, dum vnus illorum, velata facie ad circumstantis vocem, vel tactum, celeriter accurrit, sperans arripere, quem ibidem loquentem, tangentemue perceperat, quamuis frustra; cum illicò, ad alium locum se se receperit. ita prorsus, stupendus Dei lusus est in pia anima, quando amoris quadam conuersione, desiderium illius allicit, & mox insequentem fugit, vt attrahat amplius; & si aliquando inuentum auidè stringere voluerit, subitò, vt etiam hoc ipsum non aduertat, iterum abeat, ita vt nesciat quonam ierit: atque eiusmodi

a *Sap. 9.*

modi viciſſitudine, maiorem in omnibus cautelam, malarum inclinationum mortificationem, virtutum appetitum, & amoris perfectionem, paulatim inſerat.

Cum etiam vnicuiq; ſeminetur proprium corpus, propter varia illius accidentia, ſcilic. naturæ melancoliam, tribulationem aliquam magnam, paſſionum inordinatarum vehementiam, mentis hebetudinem; ac etiam diuinam multimodam diſpoſitionem, ſpirituſque depurationem, ſæpè myſticus inordinatè turbatur, aut improportionato modo in operationibus internis procedit: in tantum, vt facillimè, ſicut ab intellectu ordinis practici; ita etiam ab eius executione deficiat. præſertim quod habeamus theſaurum in vaſis fictilibus, & quamplurimis incommodis, tam corporis, quam animæ ſubiectum, ita vt vel ideò inter ſanctos eius nemo immutabilis ſit. vndè etiam vſque ad ſtatum Transformationis, frequens ſit interruptio fruitionis myſticæ, ita vt piæ animæ, in toto ſuo habere, viuere, & operari, ex integro, ac iuxta intimum ſpiritus deſiderium non ſit ſatisfactum. Deus enim autor gratiæ, & donorum ſupernaturalium, in ſuis operationibus ordinatè, ad inſtar naturæ, à minus perfecto, ad magis perfectum aſcendendo, deducit: & labentibus annis charitatem ordinat, dans gratiam ſecundum menſuram donationis Chriſti, & annos Pauli, qui cum eſſet paruulus, loquebatur vt paruulus; cum autem factus eſſet vir, euacuauit ea, quo erant paruuli, & cum vidiſſet per ſpeculum in ænigmate, tandem raptus in paradiſum, audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.

Quapropter, ſi myſticus non procedat eo quo traditur practico ordine, non eſt, quod tam remoram ſui profectus admiretur, aut de noſtra deductione, vacillantem animum concipiat; quam quod arcana cordis ſui penitiùs inſpiciat, ibidemque inuentas impedimentorum illaqueationes, diſſoluat, pro virili conatu emendet; ſemperque ad anteriora ſe ſe extendat, ſi quo modo tandem aliquando comprehendat, in quo & comprehenſus eſt, in Chriſto IESV Domino noſtro. hæc autem vt faciliora euadant, conſequenter dicendum erit,

Quis ſit modus inueniendi proprium ſtatum practicum.

ARTICVLVS QVARTVS.

ALtiora a te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris. ac ſi diceret, ô pia anima, inordinato appetitui, quo etiam ad diuina fertur, ea ſolet ineſſe ambitio, vt ſupra ſortem, ſtatum, & conditionem, ſibi proportionatam facilè efferatur; præſertim, quando inter æquales, alijs præſtare, animus gliſcit, vel (quod periculoſum eſſe conſueuit,) ſi vltrò ſe ſe ingerens, magiſtrum ſpiritualem

a *Eccleſ. 3.*

se ipsum quis constituat, eo pietatis velamine, naturæ libertatem, & commoda consecuturus; præcipuè cum deuoto fœmineo sexu: tum enim altiora scrutari, & quærere, vt nociuum quid, caueri debet.

Qui verò ex toto corde per diuini amoris auxilia, naturæ vitia superare, & virtutis studia sectari contendit, is profecto diligenti cura quærere, & scrutari debet omnia, & singula, quæ proprium statum concernere videntur; quamuis illa sint, quæ vel de infimis, vel de perfectissimis statibus, & operationibus scripta leguntur. quod quidem vt vtiliter fiat, & morali certitudine mysticus quilibet statum suum proprium inueniat, illique in operationibus se rectè conformet; ab initio primæ partis omnia legat oportet, quo vsque ea inuenerit, quæ propriam interiorem dispositionem explicant, & depingunt: ita vt nec ex præcedentibus, nec ex sequentibus perlectis ita moueatur, sicut verbi gratia, ex ijs quæ in statu contemplationis affirmatiuæ habentur. tunc enim certum est signum, ipsum statum meditationis, & adspirationis excessisse; statum autem Priuationis nondum, multoque minus statum vnionis attigisse. nec ideò talis lectio omittenda est, quod fortè iam à multis annis, vitæ mysticæ initia dederit, aut omnes status primæ, & nonnullos etiam secundæ partis, excesserit. nam diligens eiusmodi lectio iudicium format, & non tantum vniuersalem statuum notitiam, ordinem, & consecutionem; sed etiam conditiones occultas proprij status manifestat.

Ne autem altiora te quæsieris; obseruandum erit; quinque substantiales, & magis notabiles esse status, seu modos, *a* vniformiter vt plurimum, in suo interiori operandi, per dies, annos, & tempora primus est, quando per meditationem, aspirationem, & contemplationem modi affirmatiui, vel negatiui, in Deo intellectus illuminatur, vt voluntas inflammatur; & hic status comparatur statui, in quo fuerunt Apostoli *b* ante Passionem Christi: Subdiuiditur tamen hic status, in alios tres iuxtà praxin quotidianam, qua alij in meditationis, alij in adspirationis, alij in contemplationis exercitijs, ac modis, totam vitam vt plurimum, expendunt: aliter nihilominus in singulorum statuum initio, aliter in medio, aliter in fine sese accommodando, vt maiori perfectioni semper locus detur; licet verbi gratia, in statu meditationis, totam vitam expenderent. Secundus est priuationis rigorosæ, quando anima in spiritu fortitudinis, capax est, vt omnibus posthabitis solatijs, & pijs deuotionibus, spolietur. & hic status comparatur statui, in quo fuerunt Sancti Apostoli tempore passionis IESV Christi Domini nostri. Tertius est vnionis, quan-

a Vt etiam inf. Dec. 1. n. 6. *b Similia Taul. in Asc. Domini S. 2.*

quando paulatim animum resumit ab habita pressura, ad operationes purè spirituales, & quodammodo cum Apostolis in vnum congregatis, exspectat, & exspectando orat, spiritum proprium disponit, magnificat, subleuat, & superexaltat: qui quidem status assimilatur tempori, quod interfluxit à resurrectione Christi Domini, vsque ad ascensum eius in cœlum. Quartus est, quando in summo status vnionis, post omnes proprij spiritus *a* subleuationes, tandem accedit subtilissima vacuitas, & simplicissima quædam capacitas, ad susceptionem gratiæ Transformationis per donum sapientiæ supernaturalis; & hic status similis est statui, in quo fuerunt Apostoli, quando iusti sunt in oratione & ieiunio exspectare aduentum Spiritus Sancti Paracliti. Quintus est, quando vltima dispositione posita, donum sapientiæ supernaturalis à Deo infunditur, vt deinceps pia anima in amoris exercitio sic possit sicut vult, & sic eius posse, sicut eius velle adiaceat, totaque harmonia omnium potentiarum arridente, aliter in Deo non velit, quam possit: & hic felicissimus status assimilatur statui, in quo fuerunt Apostoli post acceptum Spiritum Sanctum; qui etiam subindè apud eminentiores mysticos, ad gratias præstantiores, scilicet Ecstases, raptus, miracula, & alia huiusmodi, statui sanctorum *b* viatorum propria, eleuatur.

In quocunque ergò horum statuum, ordinariè, realiter, & cum vitali operatione sese repererit, in eo etiam statum suum habebit, & magis secundum hunc, quam alios, aut præcedentes, aut subsequentes, operari poterit. Vndè etiam ea quæ scribuntur, in, & de a- de alijs statibus, in præsenti ipsam piam animam non afficient, nec vitali gustu mouebunt, tanquam aut præterita, & sic nimis parua; aut tanquam à longè ventura, & possibilia; ad præsens tamen nimis remota. quia verò non sufficit proprium statum practicum inuenisse; consequenter dicendum erit,

De modo vtiliter legendi praxin, ad prosecutionem proprij status.

ARTICVLVS QVINTVS.

NOs non spiritum huius mundi accepimus: c sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis. ac si diceret, ô pia anima, si quis ea, quæ ad amoris diuini amicitiam faciunt, consequi voluerit; is certè humili corde, & animo demisso accedere debet ad spiritum, qui ex Deo est, suadibilis, ac bonis consentiens: tum enim quæ in mysticis libris leguntur, intelligi solent, quo ita facilè, & subtiliter, (quamuis litteratus quis non fuerit) sciat abscondita illa, quæ à Deo donata sunt, & necessaria ad continuationem veræ, ac realis fruitionis amoris diuini. qui autem spiritum huius mundi accepit, & audaculo ingenij pruritu ad lectionem accedit, vtpotè scientia inflatus, longè

a *Vt infra paraph. 8. a. 5.* b *Inf. Dec. 9.* c *1. Cor. 2.*

faciliùs inueniet, quod etiam ne quidem intelligens blasphemet; & in ijs quæ nouit, tanquam non satis eleganter dicta, & subtilitati suæ nimis grossa, corrumpatur; quam, vt vel æquo animo ferat, vtilitati simplicium, & singulari ratione Deum amantium prospectum esse.

Pia ergò anima, quæ sincero corde appetit scire ea, quæ à Deo sibi donata sunt, meminisse debet, quod cum ex natura intellectus nostri (cuius proprium obiectum est, quidditas in materia existens) de mysticis nil dici, multò minus a scribi possit: quin aliqua dimensio, seu sphærica similitudo, ceu phantasma, & sancta quædam imago adhibeatur; vel ideò nos in praxi huius secundæ partis, in eo studium, & laborem collocasse; vt in lectione eorum, quæ ad statum proprium fecerint, in ipsa imaginatione, seu interno sensu resultent eiusmodi dimensionis diuinæ, aut sphæricæ quædam similitudines; quarum intuitu intellectus agens illicò propriam speciem elicere possit, ad operationem, vel, quod idem est, ad verbum mysticum, in Nunc præsenti conuenienter formandum, iuxta operationes inferiùs b positas, quo etiam fidelem practicum remittimus, statim vt se ab habita pressura status priuationis expediuerit, & absolutis ijs, quæ in initio status vnionis tractantur, ad mediam regionem ascenderit. ibi enim incipit noua vita, & vitalis usus amicitiæ Dei; ita vt facilè operationes, seu verba mystica, quæ ad contemplationis continuationem requiruntur, formare possit. quod vt vtiliter fiat, cum semel legisse, & vidisse, verè amanti non sufficiat, diligenter, & frequenter legat ea, quæ verbi gratia habentur in initio status priuationis, & dein secundum praxin, quæ per totam paraphrasin posita est, quamdiu circa initium versatur, se se exerceat; donec probabiliter inueniat, ad vlteriora desiderium, progrediendi: ac tum legat ea, quæ per totam paraphrasin in medio habentur, vt conformiter ad praxin positam cooperetur; quousque nec in his sibi amplius satisfiat, ac tum demum ad ea, quę in fine priuationis habentur, se conferat, & cooperari studeat; atque ita etiam, in alijs sequentibus statibus, eorumque initio, medio, & fine agendum erit.

Non tamen ea quæ scripto etiam ab expertissimis tradita sunt, ita religiosè, aut potiùs impertinenter legi debent, ac si in omni loco, & instructione, ex ipsa lectione vitalis species mystica resultare debeat, & appetentis desiderio satisfacere per delectationem, quæ prouenit ex bono realiter coniuncto. quæ enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per scripturarum modos, congruè assignatos; se se exercere, & disponere quis possit, ad species vitales consortij diuinæ naturæ eliciendas. & tales species non semper elici, non tam à doctrinæ præscriptæ defectu, quam à praxis ad Hic, & Nunc non

a Hic. n. 6. & inf. Dec. 4. n. 4. b Paraph. 6.

non propria accommodatione, maxima ex parte procedit: nisi fortè (etiam quacunque, & propria doctrina, & sese accommodandi ratione adhibita) Deo per substractionem actualis, & vitalis amicitiæ, melius aliquid prouidente: id quod frequens est, quamdiu in statu transformationis, animum gratia sanatum, per donum sapientiæ modi supernaturaliter agendi nondum assecutus quis fuerit. pari modo ea quæ scripsimus, non tam auida cupiditate legenda sunt, tanquam omnia dubia, quæ ab vnoquoque excogitari possunt, ad amussim explicare debeant; hoc namque impossibile est. cum enim circa infinitum obiectum, scilicet Deum, versemur, & pia anima ex se ipsa, infiniti sit capax, quis infinita similia narrabit? vndè etiam, vel in ipso summæ titulo, solummodo notabiliores operationes, & vicissitudines promisimus, & mystica, melius familiari [a] colloquio, quàm scripto dilucidari, asseruimus. cui etiam accedit, non omnia posse in vno loco dici; sed pro vt spiritualis profectus accrescit, ampliora, & perfectiora adduci. ac etiam ea, quæ in Theologia Mysto-scholastica habentur, ab illiteratis posse legi, vt ex illis pariter, pro suo quilibet captu, eruditi valeat: ac tandem in omni accidente tam industrius fieri, vt tanquam spiritualis, omnia diiudicet; breuitatemque nostram copiosè suppleat. & hoc vt vtiliter fiat, cum primis in lectione huius praxis obseruandum venit, piam animam sæpè aliquot mensibus sese exercere debere in eo, quod vel in vnico articulo continetur, (est enim notabilis mutatio, & gradus [b] quidam) priusquam illa, quæ sequenti articulo dicuntur, practicare possit. quia verò in actus exercitio quotidie, & omni propemodum hora, noua, & alia atque alia dispositio, vel operatio, subsequitur; vt vel scripto impossibilia sint, vel codices immensi scribendi forent, hinc consequenter dicendum erit,

Familiaria colloquia de mysticis in praxi efficacius illuminare quam ea quæ scripto traduntur.

ARTICVLVS SEXTVS.

FActum est c dum fabularentur, & secum quærerent: & ipse IESVS *appropinquans ibat cum illis. & dixerunt nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas?* Ac si diceret, ô pia anima, vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, de rebus deuotionis loquentes, ibi sum in medio eorum; vt scilicet ipsorum colloquia, diuinæ bonitatis præsentia beare, & veritatis lumine illustrare, valeam; & ideò se Dominus discipulis de se loquentibus adiunxit, dubitationis tenebras scripturæ interpretatione diluit, & ardentis amoris gaudio impleuit. delitiæ enim ipsius sunt, esse cum filijs hominum, maximè quando de ipso, eiusque Diuinitatis præstantia, colloquia sancta

a *Hic n.6.* b *Vt latius habetur infr. par 6. n.4.* c *Luc.24.*

sancta miscentur; quo ita tanquam hierarchici ordines, inferiores à superioribus illuminentur, altioraque abscondita diuinæ naturæ consortia distribuantur, ad summi illius boni fruitionem continuandam, ac magis, magisque in charitate radicandam. quod quidem longè meliùs, faciliùs, clariùs, ac largiflue magis familiari colloquio, quam scripto fieri, pręter quotidianam praxin ipsa ratio conuincit. quæ enim scripta sunt præsertim de vltimis, & perfectioribus tum statibus, tum operationibus; ea tanquam liber, quem Ioannes in cœlo vidit, intus & foris scriptum, duplicem habent in sui lectione difficultatem. primò quidem foris, & secundum verum, ac genuinum sensum; qui etiam ipsis scholasticis, & viris sacra doctrina maximè instructis, frequenter obscurus est. Secundò vero intus; quia nimirum in practico exercitio, difficulter elicitur ille mysticus sensus, seu potius species, ad Hic, & Nunc instans propria, ad veram, & vitaliter elicientem operationem necessaria. & hoc ipsum, vel quod mysticus scribat superficialiter, & speculatiuè, ac pro ut rationis iudicio de his sagax ingenium discurrere potest; vel quod etiam in sacra doctrina, & praxi amorosa expeditissimis contingit, quod ea quæ scripserunt, nonnisi notabiliores status, operationes, & dispositiones respiciant; vel quod prudentiori loquutione opus sit in ijs, quæ in publicum abeunt, quam quæ auribus insonant. quod postremum quidam non aduertentes, & fortè in sacra doctrina non satis versati, licet pij Catholici sint, quę. dam scripserunt, quæ iurè merito ab illis, quibus credita sunt eloquia Dei, reijciuntur.

Eapropter, familiares inter se amici Dei, frequenter in arcanis colloquijs magnam impendunt moram, & angelicis penè collationibus mutuò illustrantur; sibi ipsis, pro vt in sua quilibet arte facere solet, verba, terminos, ac similitudines fabricantes; pro vt summa illa, & verbis inexplicabilia bona, quæ Deum diligentibus præparata sunt, exposcere videntur; vt exindè in prima illa veritate, simul idem lumen intelligendo, idem summum Bonum simul diligant, nemini dantes vllam offensionem: præsertim si cum alterius sexu, illa, de qua supra *a* dictum est, cautela adhibeatur. tum enim qui ex aduerso est, veretur; nihil habens mali loqui se nobis; nisi ad illam malitiæ colluuiem prolapsus sit, vt qualem se in brutali concupiscentia aduri sentit, tales etiam in cœlestibus colloquiis conuersantes, iudicet, cauilletque. cum autem frequenter quorundam verborum, & loquendi modorum fiat mentio, ideò hoc loco simul explicantur, & dicitur,

Quæ sit differentia inter mysticos fundos, Dimensiones, Sphæras, Regiones, Vbi, situs mentale, soperationes seu verba, ac status.

ARTI-

a 2. par. Dec. x 4. 8.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

EX *Christo totum* a *corpus compactum, & connexum per omnem iunctu*ram *subministrationis corporis, secundum operationem in mensuram vnius cuiusq; membri, augmentum corporis facit, in ædificationem sui in charitate.* Ac si diceret, ô pia anima, sicut suis spatijs transeunt vniuersa sub sole, & omnia, & singula eorum quæ sunt; diuinæ, & ab oculis hominum absconditæ sapientiæ vestigium, & particulæ quædam sunt visibiles, & alijs, atq; alijs modis, potentijs, earumque intensioribus, aut remissioribus actibus perceptibiles; ita quoq; id, quod in mente nostra, ac spirituali natura, tanquam summè intelligibile quodammodò occultum est, & etiam supra intellectum, & mentem agitur; per varias perceptibiles differentias, & ad inferiora dimissiones, modo accommodatiori, crassiori, & imaginationi, sensuique vicinori sese conformare debet: vsque ad resolutionem rerum materialium, quarum quidditas obiectum proprium est rationalis creaturæ.

Amor ergò, & veritas cùm non habeant imaginem, maximè pro vt amor intellectum, & mentem excedit, & animam in optimo modo à Deo accipiendi, in hac vita constituit; & veritas supra verbum formatum, perfectum, & absolutum in spiritu, notitiam incomprehensibilem, vt id ex quo, aut de quó verbum formari potest, contineat; tanquam eminenti modo, operationibus potentiarum inferiorum incommunicabilis sit: oportet, vt secundum naturæ ordinem, propter colligantiam virium animæ in vna essentia, & animæ, & corporis in vno esse compositi, vires superiores, & inferiores, & etiam corpus, & anima inuicem in se influant; quod in aliquo eorum superabundat.

Et ideò à perfectissimo ad perfecta, & imperfectiora procedendo, cum anima in amoris excessu, verbi gratia, supra mentem, & actiones intellectus prius constituta, dein ad intellectus functiones restituta fuerit, pro subtilissimo, & primò, quod in spiritu contingit, est resultantia speciei Agalmatis, quæ diuinæ naturæ perfectissimam quandam similitudinem continet; vt iterum mentaliter operari possit: quousquè simili modo, amor intensus operationes intellectus extra statum suum dimoueat, ad alium amoris excessum. postquam autem post vicissitudines similium operationum ad notitiam reflexam mysticus descenderit; speciem aliquam dimissiorem intellectus fabricat, & situm quendam mentalem, vel vbi, simul coadstare animaduertet; dein si dimissius operatio fluat, phantasiæ loco regionem aliquam, ceu orbicularem sphæram, in eaque dimensionem quandam sublimitatis, longitudinis, profundi, vel latitudinis obseruabit; quo ita in ædificatione, seu maiori radicatione in charitate, totum hominis compositum, & connexum, per omnes iunctu-

R ras

a *Ephes. 4.*

ras operationis perficiatur, diuinaſque beneficētias proportionatè diſtribuat, tam infimis, quam ſupremis animæ viribus. & hinc fit, quod ſicut non poteſt dicere oculus manui, opera tua non indigeo, aut caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarij; ita etiam quæ ſupra intellectum, & mentem fiunt, non poſſint dicere intellectui, & rationi, aut intellectus; ratioue imaginationi, ac ſenſibus, non eſtis mihi neceſſarij. quia licet his, in ſupremis operationibus non indigeant; attamen in ordinario viuendi modo huius vitæ, & in ijs omnibus, quæ exceſſibus amoris inferiora ſunt, plus, minus illis indigent: cum intellectus noſtri obiectum, ſit quidditas in materia corporea exiſtens. atque hic eſt modus influendi à ſupremis viribus, ad inferiora; quando ſcilicet anima poſt amoris exceſſum, paulatim ad inferiora, & ſibi innata relabitur.

Poſtquam verò, modo ordinario, per operationes intellectus agentis, à minus perfectis *a* ad perfectiora, & perfectiſſima aſcendendum eſt; ab ijs quæ ſenſuum, & phantaſiæ loco ſunt, incipere cogitur. & tum, vt animus quodammodò de nouo, ad proprias operationes veſtiri poſſit, omnium primo ſentitur fundus; *b* qui aliud non eſt, quàm à Deo in nobis concreata, & æternum (etiam in damnatis) durans ad Deum, vt ad ſummum bonum, tendentia, deſiderium, ſeu diuinitatis guſtus quidam. hic porrò fundus *c* duplici modo percipitur; Primò per modum cordis, ſiue centri, & pro vt ex eo principium operationum internarum profluit ad circumferentiam aliarum potentiarum, & operationum: & tum actuale exercitium vnitiui amoris fit in virtute concupiſcibili, & ſub ratione ſummi boni dulciter amati. ſecundo verò percipitur hic fundus, ſeu ad Deum innata tendentia, in virtute intellectuali. quando ſupra affirmationem, ſeu amoroſam in Deo bene afficientiam, per negationis præſtantiam omnia tranſcenduntur, & in ſpiritu ad ſummum pulchrum, conformiter ad ſubſtantias ſeparatas, depurata intelligentia, fit penetratio: prout de vtroque hoc fundo, præ omnibus Myſticis, Taulerus frequenter ſolet vtiliſſimè, quamplurima loqui. hoc porrò fundo excitato, ſiue hoc ipſum per modum cordis, ſiue per modum ſpiritus, fiat; ilicò viſuri interno, vt infimum quid ſenſuum internorum, ſe ſe offerunt dimenſiones quædam, ſcilicet latitudinis, longitudinis, ſublimitatis, vel profundi: qui quidem viſus, pro noua actuali interioritate à tumultu ſenſuum rerum mundi, ſeu quæ ad rem myſticam non pertinent, abducit, & vel dextrorſum, vel ſiniſtrorſum, deorſum, vel ſurſum, pro vt in præſentiarum operatio ſpiritus expoſtolauerit, attrahit; dein ad boni æterni perfectam ſimilitudinem, ſcilicet orbicularem aliquam ſphæram, cœlum, vel regionem quandam perducit, in eaque ſitum aliquem tribuit, plus minus animum eleuando, vel depri-

a Vt latiùs inf. paraph. 6. *b Fundus myſticus quid ſit.* *c Eſt duplex.*

vel deprimendo; ac postmodum in Vbi aliquod constituit, ita vt taliter sit ibi vt similiter hic non sit, plusque ibi sit, vbi amat, quâ vbi animat;[a] donec omnia dicta tanquam vmbras duntaxat, latibula, particulas, ac interpretes diuinæ magnitudinis, non amplius necessarios deserat, & puram summi boni speciem[b] vel similitudinem, per intellectum agentem exprimat, atq; ilicò per intellectum patiẽtem, totam rationem boni intellecti efformet: vt ab vtroque intellectu pulchri amor resultet, quod idem est, ac verbum Mysticum proferre, seu per operationem internam, purè Deum intelligere, & diligere. & hoc ipsum ita continuo per successiuas operationes, seu nouos, semperque dilucidiores intuitus, & sublimiores amoris actus, ex naturali intellectus, & voluntatis fœcunditate, facilè, iucundeque in ipsa fruitione, etiam quasi ignoranter, & absque notitia reflexa, seu quod actu operans ad hoc se reflectat, profectos: donec tandem mentis deserens actiones, impetu amoris extra proprium statum, in diuinæ naturæ consortium feliciſſimè dimoueatur. & hoc quidem per omnia apud illos, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus; (præsertim si animum gratia ad mensuram doni sapientiæ, sanatum habeant) tam celeriter contingit, vt vix aliquos liceat conficere passus, quin anima ab infimis vsque ad suprema, conscendat. scilicet in exercitio actus, seu pro hic, & nunc: id quod in vnica horula orationis mentalis, vel pluries fieri consueuit; licet mysticus hoc ipsum non aduertat, siue praxis, siue iudicij defectu. hæc tamen celeritas, per modum status, id est, secundum vniformem (vt plurimum) modum operandi locum non habet. priusquam enim verbi gratia, per statum vnionis ab infimis per media vsque ad suprema omnia perlustret, ascendatque; dies, anni, & tempora labuntur. & ideò alia est operatio ilicò in exercitio transiens, &, vt ita dicam paruis, & minutis operationibus fruitionem continuans; & alia, per statum, lineam maioris radicationis in charitate, & vt ita dicam, magna, & longa affirmatione, vel negatione, extendens. pro vt latiùs tam in deductione statuum, quam pro exercitio actus, operationum, per totam hanc summam explicatur. hic autem ad maiorem notitiam consequenter subijcitur.

Breuis deductio eorum, quæ eueniunt in praxi per omnes status secundæ partis.

ARTICVLVS OCTAVVS.

EXistimabam vt cognoscerem hoc, labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in c nouissima eorum. Ac si diceret, ô pia anima, quæ in statibus prima parte explicatis, propter varias, & insignes diuinæ præsentiæ

a *Vt latiùs infra Dec. 4. a 6. & paraph. 6. & 9.* b *Quomodo proferatur verbum Mysticum.*
c *Psal. 72.*

benè afficientias, pacati animi solatia experta es; ita vt iam quasi de perfectionis statu adepto gaudere videreris, ac summa mystica intelligere possidereque, iam nunc prius est labor ante te, dum præterita amplius non sunt, & ad futura magnum chaos priuationis rigidæ interpositum subodorari incipis. verè itaque adhuc labor est ante te, quia præ acquisitus amor mysticus, per omnes status scilicet meditationis, adspirationis, & contemplationis, siue affirmatiui, siue negatiui modi, toto a hoc statu priuationis depurari debet, ac septuplum colari, sicut argentum, & aurum: & hoc quidem tam diu, donec per statum vnionis, intres in sanctuarium Dei; intres, inquam, status enim vnionis per suum ascensum, ab infimis perpessæ priuationis, modicè adhuc, & minora quidem, quæ de vnione mystica habentur, porrigit: non itaque sufficit, hoc modo sanctuarium Dei intrasse, & arcano, ac supernaturali modo diuinis fruitionibus interfuisse, nisi etiam in statu transformationis, per donum spiritualis sapientiæ perfusa, in nouissimis, & supremis, diuinæ naturæ consortijs, intelligas perfectissimè, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis non experti, ascenderunt; sed solum purè, & constanter Deum diligentibus præparata sunt.

Vt autem hæc penitiùs intelligere valeas, diligenter obseruandum erit; quod sic est regnum Dei, quemadmodum si homo iaciat sementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte, & die, & semen germinet, & increscat, dum nescit ille. tam ordinata enim & subtili alteratione, semen in terram proiectum à seipso deficit, in herbam, spicam, & frumentum in spica, excrescit, vt hoc ipsum nullo quantumuis etiam fixo intuitu videre possis; sed solum post dierum, aut septimanarum circulum: tum enim si quis reuersus semen inspexerit, quantum ab vltimo tempore, quo illa vidit, accreuerint, clarè diiudicat. ita prorsus in maiori radicatione charitatis per mystica exercitia contingit. cum enim charitas non ex quolibet actu charitatis augeatur; sed moralem quandam multiplicitatem requirat, primò quidem in statu priuationis, cum semente in terra quodammodo moritur, & ab imperfecto, & naturali operandi modo paulatim absoluitur: in vnionis verò statu, in altum excrescit; ac tandem in transformationis statu, fructum centuplum amicitiæ Dei colligit. & hoc ipsum moderato, & maximè ordinato progressu: quem etiam non omni die, sed post aliquot mensium decursum meliùs animaduertet. sicut etiam montem ascendens, vel descendens, non quolibet passu; sed post plures passus, notabilem ascensum, vel descensum sui animaduertit. de quo etiam, vel ideò singulariter pia anima moneri debuit, vt si moram traxerit sponsus venire, & pluribus

a *Vt paraph. 2. 3. 4.* b *Marc. 14.*

& pluribus etiam annis, ambiguo euentu, susque deque pelagum dilectionis arcanæ, transnauiget, non ideò animum despondeat; sed in funiculis charitatis se se constringi, trahique sinat, quocunque impetus diuini spiritus voluerit. & hisce quidem in genere, & ad notitiam eorum, quæ vniuersaliter ad varia referuntur, præmissis, ad specialia singulorum statuum, & operationum transeundum est.

PRAXIS
STATVS PRIVATIONIS
ET PRIMO.
DE IIS QVÆ FIVNT IN INITIO
PER AMOREM DEFICIENTEM A VIVACITATE INTELLECTVALI.

PARAPHRASIS SECVNDA.

Quæ est ista, quæ progreditur quasi a aurora consurgens? quæ progreditur ait, ac si diceret, non subitò, aut prius non visa, hæc pia anima ambulat; sed iter suum feliciter persequitur, à prioribus scilicet statibus, de quibus prima parte dictum est, ad vlteriora spatia, regionesque pregrediens; non contenta primam, & secundam dilectionem, ac Dei præsentiam incipientium, & proficientium modis conformem, sibi inescasse: sed futuram, & perfectiorem inquirens, quæ vtique quasi aurora consurgit, rutilans duntaxat, magisque ignem, quam lumen spirans: dum toto hoc statu priuationis rigorosæ, in camino diuini amoris ad purum excoquitur, & spiritali sanguinis profusione, ad instar martyris, in nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, formatur; pro vt ordinatè secundum ea, quæ in praxis initio, medio, & fine cuiusq; status, contingunt, latiùs dicetur insequentibus,

a *Cant. 6.*

I. *Breuis deductio eorum quæ eueniunt in praxi voto statu priuationis durante.*
II. *Quod propria operatio, quamdiu mysticus in initio priuationis versatur, sit amoris depuratio, à Viuacitate intellectuali*
III. *De querimoniis quæ fiunt ordinariè in principio amoris deficientis.*
IV. *De formatione amoris deficientis, pro vt est in intellectu per recordationem simplicem.*
V. *Quod in simplici recordatione inueniatur spiritualis pulchritudo.*
VI. *Quod simplex recordatio foueatur appetitu ad primam veritatem.*
VII. *Quod licet sit difficile, quod spiritualis regio, Visus, & formationis industria in superficialem vacuitatem abeant, hoc tamen esse necessarium.*
VIII. *Quod singulariter hoc loco cauenda sit immortificata libertas.*
IX. *Formatio fruitionis fit ex prælibamine fundi affectu ad instar cogitationis alleuiato.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Breuis deductio eorum quæ eueniunt in praxi toto statu priuationis durante.

NVnquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, homo simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo ac si diceret, ô infelix humani generis hostis, qui tanquam leo rugiens circuis quærens quem deuores, quid de virtute, & amore, quo me prosequitur iustus ille Iob, sentis? ad quod callidus ille serpens, quasi probitas illa Iobi ad tantam perfectionis laudem minus sufficeret, protinus respondit: nunquid Iob frustra timet Deum, nonnè tu vallasti eum, & domum eius, vniuersamque substantiam per circuitum, operibus manuum eius benedixisti, & possessio eius creuit in terra. quasi diceret, mirum non est, imò valdè naturale est, quod aliquis Deum timeat, non peccando, & amet, benefaciendo; quando ab ipso omnia bona, & nulla mala accepit: quia verò fidelis amicus in tentatione probatur, ruinæ humanæ cupidus, superaddit; sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.

Simili prorsus modo accidit piæ animæ in negotio mystico, modi operandi naturaliter, siue per conuersionem ad phantasmata, & rationis discursum; pro vt fit in omnibus antedictis *b* statibus: in quibus etiam mysticus, vt principale agens, & in benedictionibus dulcedinis cupidus, magnum quidem spirituale solatium consequitur, intus, & foris: verumtamen priusquam modo supernaturali, & simplici intelligentia, conformiter ad operationem substantiæ separatæ, diuinis fruitionibus ordinariè, & ex dono habitus supernaturalis vniatur; ab inferioribus, & humanis operandi modis expediri, & depurari

a Iob. 1. *b Tota 1. parte.*

purari debet omninò. Ea propter mystica perfectionis ordo, gratia Dei cooperante, ædificium spirituale, & omnes internas diuitias, deliciasque paulatim demoliri incipit, & quasi dicit ad satan; ecce vniuersa, quæ habet in manu tua sunt, tantum in eum ne extendas manum tuam. & idcò satan egressus à facie Domini interfecit oues, & boues, asinos, camelos, pueros greges custodientes, filios, & filias in domo senioris filij conuiuantes: donec tandem ad vlteriorem instantiam, ipsi etiam liceret extendere manum in Iobum, ac piam animam, & percutere cutem, & carnem eius vlcere pessimo, spilitualis tædij, quo ita finaliter misericordissimo Domino, ansa detur ampliùs benefaciendi. post has enim omnes afflictiones, benedixit Dominus nouissimis Iob magis, quam prioribus.

In initio ergò huius Priuationis (quam diximus [a] esse ablationem præhabitæ deuotionis, seu modi amicabiliter in interioritate cum Deo agendi; ita vt ad priora exercitia redire non possit) à summo ad quod quilibet per status primæ partis deductus fuerat, vsque ad media descendit; & simul paulatim diminuitur, aut amorosa illa fruitio, aut animosa resignatio, prout ratio cuiusuis, in praxis feliciori successu requirit. & hæc quidem diminutio non paruam solet causare tristitiam; cum putent in profectu spirituali sese deficere; nondum intelligentes, totum hunc statum priuationis aliud non esse, quam impuri amoris ad Deum, purgationem, & ad perfectioris vnionis dispositionem, in medio autem quasi turmatim, & sensibiliter magis reuiuiscit vitiorum impugnatio, & turbulentia; quæ omnia iam pridem emortua credebantur. accedente ergò hac vitiorum passione, & recedente magis, magisque gustu, aut animosa resignatione, accrescit quoque spiritualis tædij, & tristitiæ inuolucrum, & id quod de Deo est, tam modicum, & paruum videtur, vt nihil omnino ex præhabitis contemplationis fruitionibus, supereesse credatur; vitiorum autem molestia, tam viuaci dominio insolescit, vt ipsa etiam cordis abdita & penetrasse, & omnia in suum consensum pertraxisse videatur; vtque vix lubeat, aut actum resignationis producere, aut aliquid boni, sine tristitia, peragere, aut de Deo, rebusque diuinis, cogitare. Et cum peccatum originale ipsam animæ essentiam, secundum quod est primum subiectum originalis peccati, deprauet, in medio huius depurationis, in ipso fundo, ac radice palatus, ex originali iniustitia vitiatus, & à bono incommutabili, ad commutabile inordinatè conuersus; amáritudinem suam ad omnem sensum, gustum, & vitam diffundit; vt plenis buccis gustet, quam malum, & amarum sit, à Deo vnquam separatum fuisse. In fine tandem, vti moribundus, & vi-

[a] *Inf. Dec. 2. A. 3.*

& viribus, ac vita penè destitutus, vitiorum, & antea toleratarum tentationum vix quidquam amplius sentiscit, in natura; in spiritu quoque, & diuinis perceptionibus admodum ieiuna manet: paulatim duntaxat à miseria animæ, & spiritus respirando quoadusque ad instar infirmi, lenta valetudine sensus, ratio, mens, & consilium ei restituantur, & ignis diuini amoris præhabitus, ac in puteo priuationis tutatus, & demum quasi in aquam crassam mutatus, affulgente sole *a* gratiæ, in nouum ignem conuertatur, & dicat ecce nunc cœpi, hæc mutatio dextræ excelsi: in sequentibus statibus probaturus, quod Dominus sit pius, & verè misericors, faciens admirabilem, cum transacta tentatione prouentum.

Et hæc quidem in inferiori homine, graues admodum, & pœnosæ (ex originali iniustitia vitiatæ) passiones sunt, & tolerantiæ; in superiori verò homine, seu spiritu, tenebræ sunt, & ignorantiæ, ac prorsus spirituales infirmitates; per quas ad purum decoquitur, & ad modos supernaturaliter operandi, depuratur; Deo optimo maximo dono fortitudinis, alijsque actibus subindè infusis, in eiusmodi agone, piam animam corroborante; ne fortè deficiat in via, & martyrij spiritualis lucta. tædium verò illud impatientis desiderij, erga diuinum amorem, quo necesse erat mentem affici vehementer amantis, absente eo quem amabat, postquam in initio, tanquam lignum madidum ab igne depurante prius fuisset calefactum, & ad nigredinem redactum; in medio miris anxietatibus, vt titio fistulans, cruditates amoris imperfecti exhalabat: vt tandem in vltima dispositione, pulcherrimum lumen, & formam ignis indueret. quare autem hic priuationis status, & rigor sit necessarius, dictum est infra. *b* hæc verò in genere dicenda fuerunt. vt iacula præuisa minus feriant: & eo minus perturbent venientia mala, quo fuerint præscita: tolerabilius enim mala suscipimus, si contra hæc per patientiæ clypeum munimur.

Ad formationem autem operationum, seu verborum mysticorum, pro exercitio actus in hoc statu priuationis, quod attinet; cum hoc loco sit nuda, & mera dispositio ad modum operandi supernaturaliter, & operans etiam ad modicum, in aliqua operatione vix pacifice possit subsistere, nec alicuius singularis fruitionis, seu amicabilis perceptionis diuinæ sit capax: vtilius visum est, ad longum ea deducere, quæ ei euentura sunt, & duntaxat monere, vt ad ea, quæ in initio, medio, & fine priuationis ordinatè explicantur, pro posse, conformiter operetur. ad oculum enim experietur illud Iobi; *c* suspendium elegit anima mea, & mortem ossa; ita vt secundum intellectum

vix

a *Inf. Dec. 2. n. x. & Parap. 7.* b *Dec. 2.* c *Iob. 7.*

vix quidpiam cognoscere, & secundum voluntatem vix quidquam amare possit. quia verò, quam diu aliquis in initio priuationis versatur, subindè à magis strenuis, pulchræ quædam operationes eliciuntur, poterit in eo casu mysticus legere ea, quæ de formationibus operationum diximus infra. *a* iam verò cum præmiserimus ea, quæ in toto statu priuationis contingunt, ad particularia descendendum, & consequenter dicendum erit,

Quod propria operatio quamdiu mysticus in initio priuationis versatur, sit amoris depuratio à viuacitate intellectuali.

ARTICVLVS SECVNDVS.

SOl conuertetur in tenebras, b *& luna in sanguinem antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis*; ac si diceret, ô pia anima, quæ per amoris exercitia ad summum tibi proportionatum lumen ascendisti, dum in statu contemplationis versareris, scias velim, quod licet maius lumen non videatur, quam lumen solis; hoc ipsum tamen obtenebrari debere, ita vt præhabita spiritualis pulchritudo non tantum deficiat; sed etiam, vt luna conuertatur in sanguinem: per hoc, quod in animali homine, qui bona subordinatione passionum, & virtutis studio afficiebatur, omnis generis tentationes, & carnalia desideria, vtrumque sopita, aculeis suis exstimulent, & paulatim ad arduum certamen deducant, antequam in medio huiusce priuationis, veniat dies Domini magnus, & horribilis. *c*

Quando ergò in summo status contemplationis, siue affirmatiui, siue negatiui modi, non amplius subsistere potuerit pia anima; quin imò non per accidens, aut ad modicum durans, animaduerterit se indies deficere à solitis exercitijs, & adiuuandi modis; continuo etiam omnem habitam pulchritudinem contemplationis, eiusque viuacem gustum deficere, neque etiam ad præhabitas operationes posse redire; sed intima tendentia, ad vlteriora licet ignota, inclinari: securè hæc, quæ de initio priuationis diximus, aggrediatur. & principio quidem non ægrè feret, spiritualem pulchritudinem, seu intellectualem viuacitatem (ad quam in contemplationis statu eleuata fuerat) obscurari, & paulatim deficere; sed humiliter consentiendo, Dei beneplacito se se committat: qui tanquam sapiens architectus à culminibus, scilicet intellectualibus, incipit soluere vetustatem, vt impuritatem amoris corrigat; licet etiam interea simul (nondum tamen piæ animæ cognitis modis) in tenebris ponat latibulum suum; quod vt manifestiùs appareat, dicendum erit,

De quærimonijs quæ fiunt ordinariè in principio amoris deficientis.

ARTICVLVS TERTIVS.

DIxi d *sapiens efficiar, & ipsa longiùs recessit à me.* ac si diceret, ô pia anima,

S

a *Parap.6.* b *Ioel.2.* c *inf parap.3.* d *Eccl.c.7.*

nima, quæ vlterioris, perfectionis cupida, subdubitando, & admirando in temetipsa conturbaris, quod post aliquod annorum spatium, tam in statu meditationis, quam adspirationis, ac etiam contemplationis, siue modi adfirmatiui, amorosa consolatione, siue modi negatiui, animosa transcendentia feliciter expensum; ita vt interea ad diuinam sapientiam, vt melius fieri potuit, & tibi opus fuit, teipsam eleuares. tibi persuadens, quod semper in amore Dei sensibiliter deberes crescere: iam verò ab aliquo tempore constanter videas, te è contra magis deficere, ab habita intellectuali pulchritudine, & amoris diuini gustu: noli putare, quod ipsa hæc tua interior bona constitutio, longius recedat à te licet enim secundum quid, & prout hucusq; consueueras, eam longius recessisse animaduertas, non tamen secundum illum modum, qui purè spiritualis est, & ad quem disponi incipis, longius recedit; sed intimius accedit, ac miris, & tibi nondum cognitis modis accedit, accedetq; magis incessanter. Itaq; vt pane solido cibanda, & vt amica in tentatione probanda; (nihil enim nobis amplius hoc loco cum deuotione sensibili commune est) statue tecum indies, & virili animo repete, donec deficiam, non recedam ab innocentia mea: iustificationem meam quam cœpi tenere, non deseram. neq; introibo in tabernaculum domus meæ, neq; ascendam in lectum strati mei, nec dabo somnum oculis meis, nec palpebris meis dormitationem, nec requiem temporibus meis, donec (gratia Dei mediante in sequentibus statibus) inueniam locum domino, & tabernaculum Deo Iacob; in tantum, vt si diuino pulchro, & bono pro voto potiri, non sim digna; saltem aliud quidpiam quod Deus non est, & ad Deum me non ducit, etiam admittere nolim.

Et quidem eiusmodi fortis, & constans animus, scilicet omnes desolationes tolerandi, tanquam pactum quoddam sit ad diuinum amorem prosequendum, & ad condelectandum legi Dei secundum interiorem hominem, loco præambuli, & dispositionis præuiæ, ad congruè operandum; dein vt fieri poterit, ad exercitium actus, spiritualis oculus ad diuinum pulchrum aspiciendum, eiusq; summum bonum diligendum eleuandus erit; non crassa; sed admodùm subtili cogitatione, idq; toties moderatè repetendum erit, quoadusq; actualis amoris benè afficientia, & cum Deo coniunctio, subsequatur; quæ si obtineri non possit, æquo animo ferendum erit, quidquid molesti occurrerit, & tantò orandum humiliùs, quantò gustus amoris diuini recesserit longiùs. ne autem præstans margarita hic abscondita negligatur, consequenter dicendum erit,

De formatione amoris deficientis, prout est in intellectu per recordationem simplicem.

ARTI-

ARTICVLVS QVARTVS.

SEntite a de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum. ac si diceret, ô pia anima, licet intellectualis viuacitas secundum sensibilem afficientiam diminuatur, & quodammodo euanescere videatur; scias tamen in præsentiarum adhuc insignes regionis intellectualis supereſſe pulchritudines, fruitionesq; amoris. hucusq; enim, dum videlicet in statu contemplationis versateris, vt plurimum per discursus, & illationes interiora tua fouere debuisti; iam verò cum paulatim ad modum operandi supernaturaliter disponaris, oportet vt in posterum simplici duntaxat Dei recordatione tua peragas: & hoc ipsum quidem non cum tali conatu, vt in inferiore homine sensibilis aliquis feruor excitari debeat, prout fiebat in statu contemplationis: tum enim per viam & modum acquisitionis procedebatur, ita vt, quod in optimo spiritus inueniebatur, ex abundantia sua in vires inferiores sensibiliter influeret, & feruores excitaret; iam verò cum à summo tuo recedas, & spiritualis pulchritudo remittat, nec sit ampliùs illius efficaciæ, vt in sensibiles vires iucundè diffundi possit, ad spiritus subtilitates paulatim animus inducendus est. Vndè mox vt animaduerteris fruitionem, seu intuitum animi obscurum vel languidum fieri, ilicò prima illa simplex, leuis, & puri Boni Deiq; recordatio reassumenda est. ideò enim dicitur; sentite de Domino in bonitate; id est, sedulò agere oportet, vt sensus diuinæ bonitatis non tantum maneat; sed etiam vt in simplicitate cordis, & alleuiatione mentali foueatur, ne à spirituali sua puritate, & luce ad fundum conclusum & tenebrosum detrahatur.

Et quia in simplicitate cordis quærere oportet; omni diligentia multiplicitas, seu interruptio cauenda erit: quæ quidem interruptio, est vel ex causis extrinsecis, vel ex causis intrinsecis. extrinsecæ causæ sunt, opus superfluum non ex obedientia assumptum, furtiua confabulatio, tentatio hoc vel illud habendi, vtendi, inuoluntaria mortificatio, qua contingit aliquid contra inclinationem naturalem cum nausea pati, & similia. intrinsecæ autem causæ sunt ariditas, torpor animi, tædium ex aliquali otio, profluente ex non renouatione recordationis diuinæ, aut inhæsione in obscuro fundo; ex quibus vt plurimum ariditas, languor & tædium proueniunt. quod si verò in nullo horum defectuosam te inueneris; & tamen ab optata cordis simplicitate ad aliud quippiam prolabaris, hoc non ita grauiter ferendum est, cum, etiam nulla posita negligentia, ea sit actiuitas spiritus nostri, & ad euagationem, seu distractionem pronitas, vt diu in vna re (nisi quæ valdè alliciat,) consistere nequeat: sed magis curandum erit, ne ad internum pondus, seu cœcam interioritatem declines, neglecta illa animi pulchritudine; quæ sicut ex simplici memoria diuinæ præsentię acquiritur, ita etiam quando

a *Sap. c. 1.*

do eiusmodi præsentia quacunque tandem occasione euanuerit, si violenter, aut sollicitè eam recuperare velis, graue potiùs tædium causabis.

Vt autem in mentali oratione conformiter agatur, oportet primo loco præambuli, & perfectæ dispositionis, vt pijssima Dei consolatio abeat, & secundum sensibilem affectum indies magis, deserat, ex parte sua; dein ex parte tua, vt illam cum inquietudine non appetas, sed humiliter patienterq; sustineas, quod quasi in terra deserta, & inuia, & inaquosa, sola, desolataq; incedas. Secundò verò pro actus exercitio, oportet statim simplicem, & nudam de Deo cogitationem assumere; & hanc simplicem cogitationem, magis magisq; simplicem reddere; & quidem tam subtiliter, ac si nunquam alias ante hac quidquam de Deo sensibiliter percepisses. atq; tum demum, & in hac simplici de Deo cogitatione actualis contemplationis, sicut initium habetur, ita quoq; per aspectū simplicem, continuanda, & renouanda erit: ac etiam finita oratione mentali, alio tempore exercitium orationis, quando reassumendum erit, oportet pari modo pro primo, & perfecta dispositione, omnia sensibilia, crassa, & quidquid ad sensibilem amorem inclinat, deserere; dein iterum à simplici cogitatione incipere. quanto autem solatio hæc fieri possint, consequenter dicemus,

Quod in simplici recordatione inueniatur spiritualis pulchritudo.

ARTICVLVS QVINTVS.

APparet a *Dominus eis, qui fidem habent in illum.* ac si diceret, ô pia anima, si in vera simplicitate, & cordis intentione Deum quæsieris, indubitata fide sciens, ipsum infinitis modis in abscondito spiritus tui, latibulum suum posuisse; fieri non poterit; quin tibi nunquam hucusq; experto modo apparere dignetur. vt autem scias, te simpliciter procedere, non contristaberis te auertere à memoria præteritarum fruitionum, & modorum operandi, cum præteritæ operationes iam suum præstiterint; sed omnibus præteritis obliuioni traditis, in Nunc præsenti, vt poteris, nudè, & purè Deum in Spiritu tuo viuere, obseruabis; non tamen in illa altitudine, quæ alias secundum eleuationem mentalem status contemplationis in cœlorum sublimitate contingebat: sed ac si in capitis tui (vt ita loquar) nodo quodam non eleuato; sed in re ipso amplo, & reali cœlo, tuam interioritatem ambiens; illius appetitum, & tendentiæ desiderium amplexaretur. atq; ita apparet ijs, qui fidem habent in illum. fides enim est certus ascensus illius diuinæ præsentiæ, quamuis omnis sensus, & amoris carentia sentire videantur contrariū, quod quidem hoc loco per quam familiare est. cum enim amoris spiritualis viuacitas indies dispareat magis, ac magis, eiusq; visus non habeat, cui firmo aspectu innitatur; crescet infallibiliter quotidiè ampliùs pondus vitiatæ naturæ, eiusq; actiuitas, in prioribus diuinæ præsen-

a *Sap. c. 1.*

præsentiæ amicitijs, vt in vmbraculo, à molesto certamine tutata.

Et quidem eiusmodi actus fidei, scilicet simplices, & tam intellectum, quam affectum vix afficientes, ac quidquid demum tædij, & ariditatis repertum fuerit, loco præambuli, & perfectæ dispositionis accipiendum erit; dein pro actus exercitio, admodum subtili, & spirituali cogitatione oculus mentis ad Eum, qui omni pulchro in infinitum pulchrior est, dirigendus erit; quo ita spirituum conditor, spiritualem aliquam sui pulchritudinem inuenire concedat, ex qua illicò voluntas benè affecta, dein vnitiuo amori aliquamdiu intendat. & quia spiritualis hæc pulchritudo insigniter Deo coniungit; oportet quoque, vt admodum simplex sit ad Deum cogitatio, & totalis obliuio illius, quod affectuosum amorem sensibiliter afficere posset. & hæc, vt efficaciter fiant, dicendum erit,

Quod simplex recordatio foueatur appetitu ad primam veritatem.

ARTICVLVS SEXTVS.

NOx *illuminatio* a *mea in delicijs meis*; ac si diceret: ô pia anima, quæ in amore deficiente, ab intellectuali prius habita viuacitate, in tantum digressa es, vt iam proximè tenebræ conculcent tè; & ad solcitatem tui ipsius, in qua vix quidquam solitæ deuotionis habebitur, deducenda sis; vt ibidem ad oculum videas abominationes cordis tui, ceu inter parietes absconditas, & tanquam ex fonte ebullientes; scias velim, te prius adhuc tanquam in nocte ablatæ deuotionis delicioſæ illuminari, lactari, & confortari posse reali, & intimo spirituali gustu.

Hoc ipsum autem, vt congruè fiat, oportet loco præambuli, & perfectæ dispositionis, hominem inferiorem solita deuotione destitutum, tenebras, ariditates, & tædia patientem, quodammodo separare; & suis quidem infirmitatibus debilitatum, patientia autem munitum, deserere: dein pro exercitio actus, simplici illi recordationi, Dei memoriam magis sinceram, & maiestatiuam substituere; idque per appetitum, quo spiritus tuus ad primam illam veritatem, quæ Deus est, fertur: ita tamen, vt licet Deus, eiusque veritas inueniatur, attamen affectus, seu actus amoris non formentur crassi, & sensibiles; sed solummodò humili reuerentia, & submissione diuinum illud, quodque omnibus præstat Bonum, veneratioui habeatur, eique subtili complacentia animus cohæreat. Et ne aliqua in spiritu de diuino pulchro operatio incautè prætereatur, cumprimis attendendum erit, ne sese pia anima à fundo detrahi sinat, ante tempus; *b* sed quam diu fieri poterit, iam dicta praxi præambuli, in actus exercitio se gerat; licet in spiritu ad inferiora descendat ab habita viuacitate contemplationis; & subinde ipsa amoris exercitatio non plus afficiat, quam nuda cogitatio. quæ

a *Psal 138.* b *vt inf. Paral. 3.*

quidem omnia si debitè fiant, posset pia anima, postquam à summo contemplationis descenderit, per annum, & eo amplius, in spiritu satis benè versari, priusquam à fundi miseria ex toto includatur. & ne quis inutiliter contristetur, de quotidiano, vt videtur in spirituali vita retrogressu, consequenter iam dicitur;

Quod licet sit difficilè, quod spiritualis Regio, visus, & formationis industria in superficialem vacuitatem abeant, hoc tamen esse necessarium.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

NIsi ego a *abiero, Paraclytus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.* ac si diceret: ô pia anima, quæ non sine amaritudine cordis tui ingemiscis, quod interioritatis tuæ spiritualis illa regio, visus, industria formationis, & quidquid in præcedentibus agendi modis, ad præsentiam diuinam habendam adstabat, de die in diem magis magisq; euanescat, & quidnam modo agendū sit ignores: scias velim, quod nisi Dominus abierit, & præcedentia auxilia, modosq; procedendi abstulerit, Paraclytum Spiritum S. etiam ad te non venturum, nec te ad purè spirituales operationes pertingere posse: omnia enim quæ tibi ablata conquereris, sunt sicut accidentia, quæ facilè possunt abesse, & adesse, absque subiecti corruptione, & spiritualis progressus læsione. si itaque abierit, mittet eum ad te, & si ita egeris, ac si nihil omninò vsque in hanc horam ad intra occupata fuisses, & libenter obliuiscaris omnium præteritorum, te ipsam quoque vacuam, & nulla fruitione affectam acceperis; (sicut etiam realiter horum nihil amplius habes) tum demum te quasi omninò absolutam reperies, & moderatè, silentiosè, ac obliqua, non autem anxia sollicitudine Dei recordationem assumere poteris; ac præterquam quod tempore suo gratia Spiritus sancti dignaberis, etiam modo eius solatium, & quod ad intra agas, inuenies; videlicet, superficialem, & vix leuiter afficientem Dei præsentiam, quam etiam nullatenus vitaliter afficientem appetere, multoque minus proprio conatu formare debes.

Quapropter in quotidiana praxi, ad congruam dispositionem, pacificè tolerandum erit; quod spiritualis regio, visus, industria, & soliti sese adiuuandi modi, in superficialem vacuitatem abeant; dein pro actuali amoris vsu contentari oportet, de Deo, eiusque summo Bono, non plus sensibiliter affici, quam si de ligno, aut pariete cogitaret, & leui solummodò tendentia, & nuda memoria, cum Deo agendum erit: idque tam diu iteratis, & renouatis vicibus præstandum est, quousque ad fundum, seu cordis centrum, fortem *b* attractum sentire cogaris. & licet ex eiusmodi dispositione, & nuda, pacificaque tolerantia, modicum deuotionis in sensibili affectu percipiatur; hoc tamen parui

a *Ioan. 16.* b *inf. par. 3. art. 2.*

parui æstimandum est, cum ex nunc ad ardua procedendum sit, ac forti animo parturiendum, fructusque præcedentium fruitionum habitarum (per omnes status primæ partis) producendi, ac etiam naturæ vitiatæ insolentia, gulæq; spiritualis appetitus debellandus sit. & quia hæc in praxi ardua sunt, & in interioribus exercitijs desolatus animus, facilè ad nociua dilabitur, vtili admonitione opus erit, & consequenter dicendum,

Quod singulariter hoc loco cauenda sit immortificata libertas.

ARTICVLVS OCTAVVS.

CVr eduxisti nos de Ægypto, a *vt moriemur in solitudine: deest panis, non sunt aquæ: anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo.* ac si diceret: O pia anima, quæ apud temetipsam querulosa obloqueris, & dicis, ô vtinam illa deuotione, qua vel adhuc sæcularis, & familiaritatis diuinæ præhabitæ ignara, ceu pane me confortante potirer; nunc autem nauseat anima mea super cibo isto leuissimo, & superficiali illa, nudaque, & vix leuiter afficiente Dei præsentia. Verùm ô pia anima caue reijcias, quod nondum satis agnoscis. panis enim iste angelicis manibus compositus est, & nihil vsque adeò ad spiritum, eiusque puras operationes deducit, quam à crassitiè, & quasi grosso pane sensibilis amoris absolui. & quum tu (vti adhuc lac sugere assueta) ab eius dulcedine non nisi ægrè abstineas, caue diligenter, ad immortificatam libertatem, & ad ollas carnium, atque sæculi varios appetitus reuertatis. hic namque verus, & genuinus est locus respiciendi retrò, & à cœpto itinere deficiendi. pia namque anima quæ se suasque sensibiles, aut naturæ gratas sectatur vias, hucusque, seu quamdiu aliquid diuini gustus ad proprium commodum exsugere potest, interiorem hominem vtcunquè sequi assolet; verum vbi per singula in Christo luxuriata fuerit, & bonis eius, gratijs, ac amoribus non in vitiatæ naturæ subiugationem, & virtutis exercitium, sed in propriæ sensualitatis commodum perfruita; vbi etiam ad ardua, scilicet vitiorum, non talem, qualem, sed essentialem eradicationem, & virtutum plantationem, ceu fructus producendos præhabitæ deuotionis peruentum fuerit; tanquam infidelis seruus, & planta radicem non habens, ad immortificationes, commoda carnis, honores, & sæculi voluptates pro posse, peius longè, maiorique affectu, quam aliàs in sæculo constituta, reuertitur. idque vel maximè ea de causa, quod fundum, centrum, seu primæ dilectionis diuinæ principium, inordinatè à Deo, vt summo Bono auersum, non seriò per mortificationis, & virtutis studia constanter depuret: ex quo facillimè subsequi solet, vt vlteriùs ad modos operandi supernaturaliter, per hanc priuationem sese

a *Num. 21.*

sese tantum non disponat; sed etiam ab orationis mentalis exercitio abhorreat, & vel à longè, à solo eius odore crucietur.

Tu verò ô pia anima, quæ semper ad minus sincera mente, & vero cordis desiderio, malum in te odisti, & bonum in alio pro viribus imitata es; licet in præsentiarum quodammodò ex toto nuda sis, & solitis internis auxilijs destituta, magna admodum sollicitudine efficere debes, ne in illa spiritus vacuitate libera effecta, ad immortificationes, & exterioritates te effundas. cum enim spiritus hominis in instanti ita operetur, vt amatiua virtute non ligatus, facillimè ad quælibet cogitanda, & repræsentanda diuagetur; de fundo etiam modicum haberi possit, quod stabiliter, & benè afficiat; hinc fit, vt omnis animus, & vires facilè dilabantur, naturalisque effusio, & libertas, quasi furtiuè se immittat, loco interioritatis. & quamuis de his minus turbentur viri probati, qui & ipsi circumdati infirmitate, quandoque in camino tentationis tribrati, titubare cœperant; nec facilè contingere soleat, vt Deo fidelis anima, hoc loco peccatum aliquod graue committat: solent tamen nonnulli à mentali exercitio prolapsi, quorum nihilominus eadem est vocatio, & ex instituto mystica exercitatio, ex imperfectionibus illorum, qui iam solitis deuotionibus ad progressum maiorem destitui incipiunt; non tam iustè scandalizari, quam eiusmodi defectus diuulgare, quo ita alienis maculis contecti, verè, & solidè procedentibus virtuosi magis videantur. hinc ergò irrisores tales, qui etiam à mystica exercitatione in tantum deuiarunt, vt ad propria peccata, vitiaque emendanda; vix vel sincerus animus ipsis residuus sit, omnes actus, & imperfectiones obseruant, vt quoquo modo, & occasione illas recitent, dolosa enim ambitionis astutia obseruant cautè, apud mysticos nihil facilius ipsos deridentes, aut stomachantes viles reddere, quam si ab interna, & mystica felicitate deuiasse notentur. tu ergò ô pia anima, omni custodia serua cor tuum, quia ex ipso vita procedit; per mortificationem scilicet sensuum internorum & externorum, ne noxiè confugiant ad libertatem. & ideò determinatis vicibus omni die, longè maiori sollicitudine, quam aliàs vnquam, statuere debes proposita mortificationis videl. non loquendi, non respiciendi, non inutiliter diuagandi. & licet modo non sit tempus fructus mortificationis, & virtutis producendi cum sensibili deuotione, & gustu; est tamen tempus hæc præstandi sine tali gustu, ne fortè tibi pijssimus Dominus, sicut ficui (licet non esset tempus ficorum maledicat, & diuina permissione ad defectus, peccata, & vitia prolapsa arescere contingat. quantò ergò sollicitius ab exteriori immortificatione sese cohibuerit; tantò intimius ac facilius interiora sua dijudicabit, pro vt iam consequenter dicemus,

For-

Formatio fruitionis fit ex prælibamine fundi affectu ad instar cogitationis alleuiato.

ARTICVLVS NONVS.

NOX *vobis* a *pro visione erit, & tenebræ vobis pro diuinatione.* ac si diceret; ó pia anima, quæ in præcedentibus pijs exercitijs tanquam apis argumentosa, constantem amorem collegisti, ab eoq; non cum immortificatis, & proprias oblectationes quærentibus retrocedis; sed potiùs per deuia, & inuia, susque, deque dilectum, etiam fugientem, & sese abscondentem, virili animo insequi statuisti, scias velim; ex nunc pro visione noctem te habituram, & pro diuinatione tenebras, in eo quod lumine spiritus sublata, in quo pulchras diuini amoris species habere solebas, substituendus sit tenebrosus ille fundus, seu carcer interioritatis, in quo conclusa, nil, aut modicum videas, lumen tamen summopere appetens. & certè, quantò ampliùs spiritualis regio, & visus in vacuitatem, & nihilum abeunt, tantò ad fundum, tanquam ad primum principium dilectionis, (licet inordinatis affectibus vitiatum) fit prolapsus vicinior; vt ex eo sicut ex radice, & indelebili ad Deum tendentia, speciem aliquam seu vitalem in Deo afficientiam elicere habeas. Verùm quia eiusmodi afficientia admodum tenuis est, & obscura quadam nocte, ac languenti tædio obuoluta; oportet vt hæ tenebræ sint tantum pro diuinatione, id est, pro notitia loci, seu sphæræ, circa quam versandum sit, ad habendam aliquam realem interioritatem. iam verò cum ilicò inibi operandum fuerit, & fruitio assumenda, ac continuanda; oportet vt illa nox, & quidquid in fundo ponderis est, pro visione recipiatur, & leui duntaxat, ac quasi indirecto oculo spiritus aspiciatur, simul vt fieri poterit obliuioni dando fundum obscurum, specie solum, seu visione illa, & notitia primi, & optimi Boni, retenta: idque solummodò loco præambuli, & perfectæ dispositionis ad præsens nunc imminentis propriæ operationis. quod si dein ad exercitium actus, ex reali coniunctione cum Deo, species aliqua benè afficiens elici, foueriq́ue possit, subtiliori semper interno aspectu; aderit indubiè grata, pulchraque in Deo fruitio: sin autem ad primum etiam visum impertinens quidpiam ilicò sese immisceat, & familiaritatis cum Deo, vel gustum, vel continuationem impediat, iteratis, & renouatis vicibus, fundus obscurus, in eoque latens Dei afficientia, quasi pro visione habenda erit; ita vt solum spiritualiter inibi videatur tendentia ad Deum, non autem vt à fundo, eiusque tetrica ponderositate includi, & captiuari se permittat; nescio qua non nausea, & melancholica auersione, in omnibus solitis exercitijs, sibi, alijsque facta grauis.

Et certè quoadusque ex spirituali profectu, in ipsum fundum, & centrum amoris ineuitabiliter, & constan-

a *Mich. 3.*

ter prolabaris, cumprimis necessarium est, vt illa inclinatio quæ ad fundum & amorem in corde potissimum residentem, post statum contemplationis, & spatia in Diuinitatis notitia, & amore, expleta, solet incipere; maxima cautela cohibeatur, & in simplicissima à fundo ponderoso alleuiatione, quantum possibile est, foueatur: quamuis non plus ex inde, quam ex alia re, quæ sibi peregrina est, moueatur. Verè enim hoc loco Deus est absconditus; vnde etiam pia anima ipsum Deum, in nocte huius obscuritatis, non tam sensibili, & crasso modo desiderare, quam spiritu suo in præcordijs suis, de mane ad ipsum vigilare, & etiam minimum lumen, velut crepusculum matutinum animaduertere, & ad sustentationem, assumere habet; idque tam leui, simplici, ac spirituali visu, quam fieri poterit, in qua quidem leuitate practicanda, frequenter se defecisse, eique inhæsionem fundi tædiosi præelegisse experietur, si diligentem obseruationem suæ interioritatis habuerit.

Duabus porrò de causis, affectus ad instar cogitationis, hoc loco alleuiandus est. Prima quidem, quia secus vix quidquam ex dictis operationibus, post statum contemplationis positis, experiri poterit, non sine maxima interioritatis molestia, fortè vnum, aut alterum annum transigendo. Secunda, quia ante tempus ad fundi miseriam, & amoris depurationem sese vel inijcere, vel abripi permittere, est tanquam minus amoris perfectionem habenti, plus oneris, quam ferre possit, sibi imponere, non sine admirabili proprio, & aliorum tædio; quod ex impatienti modo agendi procedit necessario, vtpotè cui solatio vndique destituto, afflictio languentis fundi, ceu carcer superaddatur. Quapropter vbi pia anima quantum poterit per varias alleuiationes, ab obscuro, & ponderoso fundo, tanquam à pœnoso carcere sese alleuiarit, & tandem constanter senserit, sese non posse amplius huic centrali carceri resistere; in Dei nomine, & auxilio confidens, liberè consentiat se in lacum tenebrosum deijci iuxta ea, *a* quæ hic inferiùs explicata legerit.

a Paraph. 3.

ET

ET SECVNDO

DE IIS QVÆ FIVNT IN MEDIO PRIVATIONIS PER AMOREM LANGVENTEM A VIVACITATE VOLVNTATIS.

PARAPHRASIS TERTIA.

PEllem pro pelle a *& cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua.* Pellem, inquit, pro pelle, ac si diceret, adhuc vna, eaque ardua supereſt veri amoris proba; si nimirum Dei iussu os, ac caro eius tangatur, & pia anima in imis viscеribus spiritus, sibi proprijs doloribus exagitetur. itaque infernalis illa fames, qua aduersarius noster diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quærens, quem deuoret, assumpta etiam omni substantia Iobi, expleri non potuit, donec & os, & carnem eius, paulò minus quam deuorandum, masticaret. vt itaque extremo certamine crudelissima tentatione Iobi constantiam in Deo & timendo, & amando articulatè examinaret; egressus Satan à facie Domini, percussit Iob vlcere pessimo, à planta pedis, vsque ad verticem eius, qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio. Et certè quod similis plaga, & spiritualis dolor animæ mystico exercitio consecratæ eueniat, ita vt præ desolatione, & ariditate spirituali, omnia verba eius dolore sint plena, atque magis eligeret vlcerina sanie, cum Iobo in sterquilinio diffluere, quam vsque adeò seuero diuini amoris examine, igneq; depurari; hoc iam dicendum est, secundùm ea, quæ in medio priuationis contingere solent. in quibus, licet quædam reperiantur horrida, constanti tamen animo sunt, Deo adiuuante, tolerabilia, & ad modum operandi supernaturaliter, immediatè disponentia; vnde & consequenter dicitur. a *Iob. 2.*

I. *Quod propria operatio, quam diu mysticus in medio priuationis versatur, sit amoris fortissima decertatio.*

II. *Mysticus tandem prolabitur in ipsum fundum, seu centrum amoris, ex originali peccato vitiatum.*

III. *Ordine promiscuo per tendentiam affectuosam, vel intellectualem hic procedendum.*

IV. *Violenter exagitatur mysticus in quatuor gradibus amoris, quasi insanientibus naturæ corruptæ passionibus.*

V. *De admirabili priuatione B. Angelæ de Fulginio.*

VI. *Tota circumferentia seu omnes animæ potentiæ doloribus adimplentur, vsque ad mortis anxietatem.*

VII. *In hoc agone dolores animæ blandimento compassionis, aut etiam amore diuinitus excitato mitigari.*

VIII. *De signis quibus assecuretur mysticus se in hac vera, & non naturali priuatione constitutum.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Quod propria operatio quàm diu mysticus in medio priuationis versatur, sit amoris fortissima decertatio.

CONfabulabor a *cum amaritudine animæ meæ, nunquid mare ego sum, aut cetus, quia circumdedisti me carcere?* ac si diceret; ô pia anima, quæ ob spiritualis solatij carentiam, & vitiorum, malarumque inclinationum insolentiam, tanquam à maris tempestate concuteris, & in fundo, seu centro cordis, quasi in carcere concluderis; in tantum, vt si pro quiete, & solatio effugium quæras, tanquam cetus in Oceani profundo, fluctibus vndique agitatus, longè amplius tibimetipsa facta grauis, spiritualibus tædijs inuoluaris, vnam post alteram, eamque maiorem abominationem cordis tui sustinendo; scias velim, quod pijssimus Dominus, in vasis fictilibus debellaturus diabolum mundum, carnem, & concupiscentias eorũ; ita tecum agat, sicut Rex cum amicissimis, & fidelissimis regni sui, quos in delicijs & palatio suo varijs ante solebat fouere recreationibus: bello autem instante ad loca deserta, inuia, & inaquosa perducit, vbi ipsorum labore, fortissimè contra inimicos oppugnandos, se munit, nihili faciens, quod fame, siti, frigore, calore, fatigationéque exhaurian-tur; imò si quis illorum grauem incidat morbum, pluribusné saucietur vulneribus, nihil ipsum à cœpto labore cohibet: quin imò, quantò quis amplius in eiusmodi molestijs sese animosum, & laborioſum ostenderit, tantò etiam ipsi Regi gratior erit, cum fidelem amicum in tentationé probarit.

Toto ergò tempore, quo cum pijssimo Saluatore nostro, à Spiritu sancto in desertum duceris, vt & abominationes cordis tui discas agnoscere, & funditus eradicare; siue interea displiceant pietatis, & virtutis solita exercitia, siue de diuina bonitate, eiusque in te præsentia diffidas, siue contra Deum Opt. Max. aut etiam amantissimum alioquin spiri-

a *Iob cap. 7.*

spiritualem magistrum, aut quamuis aliam creaturam, ac maximè contra temetipsam impatientia, aut tristitia commouearis: quam diu, inquam, in deserto cordis tui ab omni tentatione probari habes, aliud vt plurimum agere non poteris, quam proprijssima, & huic statui maxime conformi operatione scilicet confabulari cum amaritudine animæ tuæ, & humili resignatione, demissoque animo dicere, ac ingemiscere; ô pijssime Deus, quæ est fortitudo mea vt sustineam, aut quis finis meus, vt patienter agam; nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est: attamen ô misericordissime Domine, hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore non parcas, nec contradicam sermonibus sancti: & qui cœpit ipse me conterat: soluat manum suam, & succidat me; vt sit in me per tuum auxilium fortis, vt mors, dilectio. verè enim hoc loco tam fortis est dilectio, vt licet omnes creaturæ piam animam discruciarent · attamen ab amoris diuini progressu, dimouere non possent. iuxta illud Pauli. *a* Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? (sicut scriptum est: quia propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues occisionis) sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos separare à Charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. & hisce in communi dictis, consequenter dicendum est, de ijs quæ in particulari eueniunt.

Mysticus tandem prolabitur in ipsum fundum, seu centrum amoris, ex originali peccato vitiatum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

EGo lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, b & loquar ad cor eius. ac si diceret, ô pia anima, quæ lacte consolationis, aut animosæ resolutionis, interiora tua percurrebas, & iam immediatè ad solitudinem amoris *c* deficientis deducta es, ita vt eorum, quæ ad rem tibi videntur facere, nihil amplius sentias; scias velim, adhuc superesse, vt Deus loquatur ad cor tuum, & probet ea, quæ sunt in animo tuo, & tibi ipsi notæ fiant abominationes cordis tui; de quo vtique tanquam amoris fundo, seu centro (licet ex originali peccato vitiato) exibunt cogitationes malæ, homicidia, fornicationes, adulteria, furta, blasphemiæ, & sexcenta similia: quibus licet in spiritu, & secundum quod graue peccatum committi potest, non consentias; attamen oportet, vt vitiorum, & malorum inclinationem, ceu amarissimam potionem, gustes, bibas, & ebibas vsq; ad fundamentum in ea. nec vllum sit malum, cuius

a Rom 8. b Ose. 2. c sup. paraph. 2.

cuius non aliquo modo siue per elongationem à gustu deuotionis, siue per libamen aliquod diuersarum cupiditatum, siue positiuum tædium spiritus, animæ, & cordis tui excrucieris; idque vel à Satana, vel à malitia propriæ naturæ, vel ab ipsis bonis, ac virtuosis operibus, quæ necessariò peragere habes; cum ea vel maxima amaritudine, vt intima cordis tui inordinatione turbata, nil solatij à creaturis, vel à Deo, aut etiam aliquo amantissimo, & fidelissimo spirituali magistro, suscipere valeas; licet interea nullius peccati (alicuius considerationis) conscia; attamen à præsenti angustia, omnino conclusa, vt illius tolerantia admodum grauis videatur, ac interim quo te ad alia vertas, neque scias, neque appetas: & tanquam amore ebria impediaris, & ingrediaris: vbique circumferens quod lugeas, & tamen occultè simul ames. hoc namq; centro cordis, & amoris fundo proprium est, ita sibi superiores, & inferiores potentias attrahere, habere, & mordicùs tenere, vt ad alia non dimittat, quod vinculis suis perstrinxerit.

Atque ideò etiam pro actus exercitio, tam in oratione mentali, quam extra illam, die, noctuque, nihil tibi tantum proderit, quantum humilis subiectio in diuinam prouidentiam; per quam te in tua malitia (ex amissione originalis iustitiæ orta; & forte ex peccatis actualibus, quondam aucta) quasi pannis infantiæ inuoluit: vt interea dum à centro ad circumferentiam exhalat, & emoritur mens, ratio, & consilium fugiant à te; quoadusq; sufficienter in diuino amore depurata, Deo miserante, tandem animum gratia sanatum, consequaris. iam verò pro interiori exercitio, in tanta anxietate, quid adhuc fieri possit, accuratiùs, consequenter dicendum erit.

Ordine promiscuo per tendentiam affectuosam, vel intellectualem hic procedendum.

ARTICVLVS TERTIVS.

ANima mea a desiderauit te in nocte; sed & spiritu meo in præcordijs meis de mane vigilabo ad te. ac si diceret, ô pia anima, cum ad noctem interioritatis perueneris, ita vt nihil videaris præstare posse, scias velim in intimo animæ tuæ adhuc supersse quod agas; nimirum vt in imo fundi, & cordis tui, ex inseparabili ad Deum, & tendentia, & dependentia, ipsum summum bonum (vt in seipso semper, & immutabiliter viuit) beatum, desideres, eiq; quam ab æterno habuit, ac habet beatitudinem faueas, appreceris, Eumque vt tuis miserijs minimè subiectum, collaudes. hoc ipsum tamen non putes faciendum esse, cum gustu spirituali, vti quondam; sed his & similibus pijs cordis gemitibus operaberis, vt quod ex te est, facias, nec otio, tædioue deuicta, afflictionem afflictioni, & nauseam nauseæ adiicias: ideò enim dicitur anima mea desiderauit te in nocte; in qua sunt tenebræ, pon-

a *Isai. 26.*

pondus, & ignorantia eorum, quæ agenda assumuntur : sed & in spiritu meo, inquit, in præcordijs meis mane vigilabo ad te, ac si diceret, sicut cum in affectu, seu parte amatiua non est aliquis vitalis gustus Dei, aliud non possum, quam vt simplici desiderio, ad Deum ferar, eique contester quia ipse sit, quem diligit anima mea; ita & in spiritu agendum est, quando ille vagus, & profugus ad quælibet impertinentia dilabitur videnda, vt scilicet de mane, id est ante, & super omnia aduigilem, si forte videam, & ex præcordijs tantum, à longe; & vel modica afficientia cognoscam, quod ipse est lumen oculorum meorum.

Quamobrem ô pia anima, in Nunc præsenti, tanquam apis argumentosa, Domino deseruias oportet, quæ postquam ex floribus mel collegit, cum vix quidquam amplius quod exsugat, mellis reperiat, attamen ex sollicita diligentia, de flore in florem volat, & de nouo attentat, si quid inueniat, quod attrahat, vndè viuat, ilicò ad alios, alioſq; flores pari conatu aduolans, nec ab inuestigationis labore cessans; licet nil mellis, nil dulcedinis, nil sustentationis inueniat; pace quadam, & vita fruens, quod suo instinctui, & actiuitati satisfecerit. ita, inquam, ô pia anima agas oportet, & modo secundum intellectum, modo secundum voluntatem, modo querulosis gemitibus, modo resignato corde, modo humili, & quieta tolerantia attentes; num vel leuem odorem floris, seu melliflui illius primi, & summi boni, etiam vel indirectè elicere possis; siue hoc ipsum sinistrorsum, siue dextrorsum, sursum vel deorsum, ingrediendo, egrediendoue fiat. & hinc etiam additur de mane vigilabo ad te; quasi diceret, omnium primum quod ago, & omnium vltimum per totam diem, & tempus, quo in hac nocte, & interiori derelictione versor, est, vt attentè circumspiciam, & audiam, si vel minimum assequar, cui me associare possim; & si nulla eius vel notitia, vel dilectione digna sim, mihi sufficiet sollicitudinem meam ostendisse, & molesta quæsitione, circa ipsum, quem diligit anima mea, occupatam, nec alijs naturæ vitiatæ cupiditatibus ita allectam fuisse, vt ab eis abripi potuerim, & illis voluntariè oblectari. quo in genere piæ animæ idem accidit, quod infirmo, qui licet in summis doloribus viuat; cogitatione tamen, & desiderio animi, optime valet, ac spe sanitatis consequendæ, libenter consentit, quod secetur, & vratur; simul probè intelligens, absque medicamentorum acerbitate, nullum salutis suæ superesse remedium. hic non obstantibus, maiora, & duriora certamina adhuc subeunda esse, constabit ex sequentibus.

Vio-

Violenter exagitatur mysticus in quatuor gradibus amoris, quasi insanientibus naturæ corruptæ passionibus.

ARTICVLVS QVARTVS.

NVnc quoque in amaritudine est a sermo meus, & manus plagæ meæ aggrauata est, super gemitum meum. si enim me ad Deum conuertero, & ad orientem iero, non apparet; si ad occidentem, non intelligam Eum. si ad sinistram, quid agam? non apprehendam Eum. si me vertam ad dexteram, non videbo illum. ac si diceret; ô pia anima, en nunc amoris violenti molestiam sentire debes; concluſus enim amor, est sicut mustum sine spiraculo, quod lagunculas nouas disrumpit, corporisque debilitatem præ nimia cordis, & spiritus anxietate infligit. magna ergò vis est dilectionis, magna virtus charitatis, multi gradus in ea, & in eis magna differentia [charitas *b* enim vulnerat, charitas ligat, charitas languidum facit, charitas defectum inducit. quid horum non violentum? quid horum non validum? primus igitur gradus violenti amoris est, quando mens desiderio suo resistere non potest quin vulneretur. nonne tibi cor paruulum videtur, quando ille igneus amoris aculeus mentem hominis medullitùs penetrat, affectumque transverberat in tantum, vt desiderium, siue æstum concipere animo non valeat, desiderium ardet, affectus æstuat, anhelat profundè ingemiscens, & longa suspiria trahens, vt dicat: vulnerata charitate ego sum?]

[Secundum verò gradum amoris violenti diximus illum, qui ligat; sicut primum diximus, qui vulnerat. nonnè, inquit, *c* sine omni contradictione animus ligatus est, quando omnium obliuiscitur, vt aliud meditari non possit: quia quidquid agat, quidquid dicat, semper hoc mente euoluit, perennique memoria retinet, hoc dormiens somniat, hoc vigilans omni hora tractat. Vndè facilè est perpendere (vt arbitror) quanto hic gradus priorem gradum transcendit, qui mentem hominis nec ad horam quietam esse permittit. Rectè igitur dictum est, quod prior gradus sit qui vulnerat, Secundus sit iste qui ligat. licet ergò ligare minus sit quandoque, quam vulnerari, tamen maior violentia videtur esse, si postquam aliquis percussus deijcitur, deiectus deprehenditur, deprehensus abducitur, abductus incarceratur, incarceratus catenatur atque ligatur, & iam omninò captiuus tenetur. quid horum, quæso, maius & violentius? Ille liber est, iste autem à loco in quo retinetur recedere non potest. sic vtique qui à secundo gradu violentæ charitatis absorptus est, quidquid agat, quocunq; se vertat, ab illa vna, & intima sollicitudinis suæ cura auelli non potest, quia ligatus est.]

[In

a *Iob. 23.* b *Rich. de 4. grad Charit. viol.* c *Ibidem.*

[In hoc igitur tertio gradu violentæ *a* charitatis nihil omnino satisfacere potest præter vnum, sicut & nihil sapere potest, nisi & vnum, vnum amat, vnũ diligit, vnum sitit, vnum concupiscit, ad vnum anhelat, ad vnum suspirat, & in vno inardescit, in vno requiescit, vnum solum est, in quo reficitur, vnum solum ex quo satiatur; nihil dulcescit, nihil sapit, nisi hoc vno solo condiatur: quidquid vltra se offerat, quidquid spontè occurrat, citò reijcitur, citò conculcatur, quod suo affectui non militat, vel eius desiderio non deseruiat. sed quis huius affectus tyrannidem digne describat? quoniam omne desiderium expellit, omne studium excludit, omne exercitium violenter opprimit quod suæ concupiscentiæ deseruire non conspicit. quidquid agat, quidquid dicat, quidquid cogitet, inutile, imò intolerabile videtur nisi in vnum sui desiderij finem concurrat. cum autem frui potest eo quem diligit, omnia pariter se habere credit; sine illo autem horret omnia, corpore deficit, corde tabescit, & langueſcit, consilium non accipit, rationi non acquiescit, nullam consolationem admittit; sed clamat cum sponsa: nuntiate dilecto, quia amore langueo. vbi ait Glossa: præ amoris magnitudine omnia temporalia sunt mihi fastidio. sicut ergò primus gradus affectum sauciat, sic secundus sauciatum ligat, & tertius actionem implicat, vt animus circa aliqua occupari non possit, nisi quo eum voluntatis diuinæ motus transfert, vel impellit: & sic qui ad hunc tertium gradum amoris profecerunt, nihil iam propria voluntate agunt, nihil omnino suo arbitrio relinquũt, sed diuinæ dispensationi omnia committunt] quapropter ô pia anima sancti Ignatij martyris patiendi desiderio, per hos amoris ardores succensa, ad Dominum ora dicens: (frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus inueniar; & idcò ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum diuisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantum Christo fruar. dubium enim non est, quin Deus optimus maximus malum originalis culpæ, & auersionis à Deo, cum immissione per angelos malos, hoc loco permittat largiter excruciare, omnes corporis, & animæ potentias.

Quartus verò charitatis *b* gradus violentæ est, quando æstuantis animi desiderio iam omninò nihil satisfacere potest, & ideò ad defectum ducit. quis huius supremi gradus violentiã dignè pensare sufficiat? quid quæso cor hominis profundiùs penetrat, vehementius exagitat, quam quod sitim suam nec resistendo temperare, nec inebriando extinguere possit? in hoc præterea gradu est amor insuperabilis, quia alij affectui etiam maiori nõ cedit; inseparabilis est, quia à memoria nunquam recedit; singularis est, quia socium non recipit, insatiabilis est, quia ei satisfieri nõ poterit.

a Ibidem. *b Ibidem.*

His igitur, & similibus cruciatibus, planè oportet, ô pia anima, vt in amaritudine sit sermo tuus, & manus plagæ tuæ aggrauetur super gemitum tuum; ita vt igne diuini amoris occultè, & in fundo succensa, exeas, & conuertas te ad orientem; & tamen Deus ad angustiæ tuæ leuamen non appareat, pergas ad occidentem, & Eum non intelligas, eundo ad sinistram, nescias quid agas, vertensq; te ad dextram, illum non videas. hæc est enim hora satanæ, & potestas tenebrarum naturæ corruptæ, vt eius interiectis passionibus, ceu aculeis in corde icteris, intentatione proberis, & tanquam aurũ ex imo, & fundo cordis depureris. quamuis autem non omnes æqualiter rigorẽ priuationis huius sentiant, *a* quia tamen hoc loco pijssimus Dominus, à fundamentis, & originali peccato, per propria mala commouet; ignis amoris exæstuans, & clausus in ossibus ariditatis, per spiritum, quem Deus piæ animæ immisit, quilibet sibi proportionato modo, clamat. Abba pater: cum Christo Domino in agone prolixius orans; & tribulationem suam ante Deum pronuntians. vtilius enim, quamdiu cuiusque anima in camino amoris diuini exuritur, nihil agere poterit, quam vt diuinæ prouidentiæ subdita sit & Deum exoret. quia verò hæc, & similia inexpertis paradoxa videntur, experti autem sibi solis, & non alijs eiusmodi euenire, credunt; operæ pretium videtur exemplis hanc rem magis declarare,

De Admirabili priuatione Beatæ Angelæ de Fulginio.

ARTICVLVS QVINTVS.

PRauum *est cor hominis, & inscrutabile,* b *quis cognoscet illud?* ac si diceret ô pia anima, quæ per sanctum odium tuijpsius, vitiorum, & naturæ deprauatæ radices euellendas prosequeris constanti animo; scias velim, te hoc ipsum facere non posse, nisi tibi clarè, & vt dici solet, ad oculum ponatur proprij cordis prauitas, alioquin inscrutabilis, & consequenter inemendabilis. quis enim quod in se ignorat, & non credit vitium euellat? cum etiam illa, quæ sibi manifesta sunt, non satis confringat. vt ergò discas, & cognoscere, & intimè scrutari cor tuum, & indè exeuntes cogitationes, ac concupiscentias malas, audias quid beatæ Angelæ de Fulginio, in hoc statu contigisse legatur. [datus est mihi, inquit illa, multiplex *c* tentator, qui multiplici tentatione, & afflictione me affligat. affligor enim tam in corpore, & anima ab eisdem. corporis enim sunt tormenta innumera, à multis dæmonibus multipliciter excitata. vix enim credo, quod scribi possent passiones, & infirmitates mei corporis. nam non remanet in me aliquod membrum, quin horribiliter patiatur. nunquam enim sum sine dolore, sine languore, continuè sum debilis, & fragilis, plena dolore, sic quod continuè oportet me iacere. non est in me

a Vt inf. decis. 2. a. 7. b Ierem. 17. c In vita ipsius c. 19.

me membrum, quod non sit percussum, tortum, & pœnatum à dæmonibus, & semper sum infirma, & semper tumefacta, & plena doloribus in omnibus membris meis, sic quod cum magna pœna possum me mouere, & sum fatigata iacere, nec etiam comedere ad sufficientiam possum. Tormenta verò, & animæ passiones (quas sine comparatione acerbiores, & plures esse dico quam corporis) patior quasi assiduè ab ipsis dæmonibus. nec scio aliam assignare similitudinem, nisi de homine suspenso per gulam, qui ligatis manibus post tergum, & velatis oculis suspensus, cum fune remansisset in patibulo, & viueret, cui nullum auxilium, nullum remedium, vel fulcimentum remansisset. & dico, quod adhuc desperatiùs, & crudeliùs à dæmonibus torqueor. Video enim, quod dæmones ita animam meam suspendunt, quod sicut suspensus non habet aliquid sustentamenti: ita animæ nullum videtur remanere sustentamentum, & omnes virtutes animæ subuertuntur, sciente, & aspiciente anima mea. Et quando anima mea videt subuerti omnes virtutes, & discedere, & quod non potest se ibi opponere, est tantus dolor animæ, quod vix aliquando possum plorare propter desperatum dolorem, & irã, aliquando verò ploro irremediabiliter. Aliquando etiam tãta ira venit in me quod vix me possũ tenere, quin me totam dilaniem. aliquando verò nõ possum me tenere, quin horribiliter me percutiam, & percutiendo meipsam tumefeci aliquando caput meum, & alia membra. Et quando anima videt cadere, & discedere omnes virtutes, fit planctus animæ, & vociferor ad Deum meum. Item aliud tormentum patior, quia omnia vitia in me reuixerunt, & aliquando reuiuiscunt: non quod sint in vita durabili rationem meam subijcientes: sed præbent mihi, & afferunt magnam pœnalitatem: & etiam vitia quæ nunquam fuerunt in meo corpore veniunt in me, & incenduntur, & afferunt mihi magnam pœnalitatem: sed non habent vitam continuam; & quando remoriuntur, dant mihi magnam consolationem.

Video enim quod dæmonibus multis tradita sum, qui reuiuiscere faciunt vitia, quæ horreo, & quæ fuerunt mortua, & addunt illa, quæ nunquam fuerunt. Et ego recordans quod Deus sic fuit afflictus, & despectus, & pauper, vellem, quando oportet, quod omnia mala mea duplicarentur. Et quandoque sum in tenebra horribilissima dæmonum, vbi videtur omninò deesse omnis spes boni, & est illa tenebra horribilis, & suscitantur vitia in corpore, quæ cognosco intus in anima esse mortua. sed extra animam suscitant ea dæmones, & etiam illa vitia, quæ non fuerunt, suscitantur. Et in corpore ad minus patior in tribus locis: primo in locis verecundis, &c. vt in textu. & tunc, cum sum in illa tenebra credo quod citiùs eligerem assari, quam prædicta tunc patii: imò tunc

clamo, & aduoco mortem: vt per quemcunque modum mihi eam Deus concederet euenire: & tunc dico Deo: Domine, si me debes mittere ad infernum, ne differas, sed subitò facias, & ex quo me dereliquisti, comple, & submerge me in profundum. Et intelligo tunc, quod id est opus dæmonum: & quod illa vitia non viuunt in anima, quia anima non consentit eis, sed corpus patitur violentiam, & est tantus dolor & tædium, quod si duraret, corpus pati id non posset. sed & anima videt, quod est ei ablata omnis potentia, quamuis non consentiat vitijs, non tamen habet potestatem omnino resistendi vitijs, & videt, quod est contra Deum, & sic cadit, & torquetur in eis. Et est quoddam vitium permissum à Deo venire in me, quod nunquam fuit in me, sed apertè, & manifestè cognosco, quod permittitur à Deo venire in me; & prædictum vitium est tam magnum, quod superat omnia alia vitia, & est quædam virtus quæ datur mihi manifestè à Deo cõtra prędictum vitium, qua virtuosè à Deo liberor. Etsi non haberem ego fidem de Deo certam, solum in isto, & non pro aliquo alio remaneret mihi: & in isto remaneret mihi spes certa, & secura, de quo non possum dubitare, & virtus prævalet semper, & vitium deficit, & virtus tenet me, & non permittit me cadere in vitium, & est virtus tantæ fortitudinis, quod non solum tenet in me, imò dat mihi tantam fortitudinem virtutis, quod verè in isto cognosco Deũ, & illuminor, & confirmor in tantum, quod omnes homines mundi, nec omnia dæmonia inferni, nec alia aliqua res est, quę possit me mouere ad minimum peccatum, & cum ista virtute remanet mihi fides de Deo; vitium autem est tam magnum, quod verecundor illud dicere, & est tam magnum istud vitium, quod quando prædicta virtus est mihi abscondita, & videtur mihi quod me dimiserit, non est res quæ me posset tenere, nec pro verecundia, nec pro pœna aliqua, quin statim ruerem in peccatum. Tunc tamen superuenit illa virtus, & virtuosè me liberat, ita quod nec ego ipsa possem peccare pro omnibus bonis, vel malis istius mundi: & istos labores sustinui per duos annos, & plus. Item in anima consueuit pugnare quædam humilitas, & quædam superbia tædij grandissimi. Humilitas est, qua video me cecidisse ab omni bono, & video me esse extra omnem virtutem, & extra omnem gratiam, & video in me tantam multitudinem peccatorum, & defectuum, quod non possum cogitare, quod Deus de cœtero velit mihi misereri, & video me domum diaboli, & operatricem, & credulam dæmoniorum, & video me filiam eorum; & video me extra omnem rectitudinem, & extra omnem veracitatem, & dignam infimo, & vltimo profundi inferni.

Et ista humilitas prædicta non est illa humilitas quam aliquando habeo quæ facit animam meam esse contemptam, & fa-

& facit animam venire in cogitationem bonitatis diuinæ, quia alia prædicta humilitas non adducit nisi innumerabile malum. vndè intus in anima videtur mihi, quod sim tota circumdata dæmonibus, & video defectus in anima, & corpore, & est mihi clausus Deus, & absconditus in omni potestate, & gratia; ita quod in nullo modo possum recordari Dei, nec ipsius habere memoriam, quia nec ipse permittit, & videndo me damnatam, non curo aliquo modo de damnatione mea, quia plus curo, & plus doleo, quia offendi creatorem meum, quem nollem offendisse, nec offenderem pro omnibus bonis, & malis quæ possent nominari. vndè, & videndo offensiones meas innumerabiles prædictas, pugno cum omnibus membris meis; & contra dæmones, vt possim vincere, & prævalere contra prædicta vitia, & offensiones, & non possum per aliquem modum omninò: & etiam non inuenio aliquod vadum, nec aliquam feneſtellam, nec aliquod omnino remedium, per quod possim euadere, vel me adiuuare, & perpendo quod ego cecidi ita profundè, vndè & humilitate frequenter sum inabyssata, & facit me videre peccata mea, & fui, per abundantiam malitiarum mearum, & iniquitatum, ita quod non video me posse manifestare, nec discooperire ea per aliquem modum, vt eas simulationes, & iniquitates meas, & peccata mea possem manifestare; & vellem ire nuda per ciuitates, & plateas, & vellem ad collum meum appendere carnes, & pisces dicens: hæc est illa mulier viliſſima, plena malis, & simulatione, & feminatrix omnium vitiorum, & malorum: faciebam enim bona ad famam hominum, & faciebam dici omnibus qui inuitabant nos, non comedo pisces nec carnes, & ego eram plena gula, & commessatione, & ebriosa, & ostendebam quod nolebam recipere, nisi quantum sufficiebat mihi, & studebam esse pauper exteriùs, & vbi iacebam, proijciebam multos pannos, & de mane faciebam eos leuari, ne personæ venientes hoc perpenderent: videte animæ meæ diabolum, & cordis mei malitiam: audiatis quomodo sum hypocrita, & filia superbiæ, & quomodo sum deceptrix, & sum abominatio Dei, & ostendebam me esse filiam orationis, & ego eram filia iræ, superbiæ, & filia diaboli: & ostendebam me habere Deum in anima, & consolationes diuinas in cella, & ego habebam diabolum in anima, & in cella. Et sciatis quod toto tempore vitæ meæ studui, quomodo habere possem famam sanctitatis: Et sciatis in veritate, quod propter malitias, & simulationes, quæ absconsæ sunt in corde meo, multas gentes decepi, & sum homicida multarum animarum, & animæ meæ. Et postea stando in ista abysso, voluebam me ad istos fratres meos, qui dicti sunt filij, & dicebam eis, nolite mihi de cætero credere, nonne videtis vos, quod sum dæmoniaca? vos qui dicti estis filij, rogate istam iustitiam Dei, vt exeant dæmonia de anima mea; & manifestent nequissima opera mea, vt non

amplius vituperetur Deus per me, & nonne videtis, quod omnia quæ vobis dixi, sunt falsa. Et nonne videtis, quod si non esset malitia in toto mundo, ego replerem totum mundum de abundantia malitiæ meæ? nolite mihi plus credere. Nolite plus adorare idolum istud: quia in isto idolo latet diabolus, & omnia quæ locuta sum vobis, fuerunt falsa verba, simulata, & diabolica. Rogate istam iustitiam Dei, vt cadat hoc idolum, & frangatur, & manifestentur opera diabolica eius, & mendacia, & verba inaurata, quæ dicebam, quia deaurabam me verbis diuinis, vt essem honorata, & odorata pro Deo. Rogate vt diaboli exeant de isto idolo, vt non plus decipiatur mundus per istam fœminam. vndè rogo filium Dei, quem nominare non audeo, quod si non manifestari me per semetipsum fecerit, quod faciat me manifestari per terram, vt aperiat & deglutiat me, vt facta in exemplum, dicant homines, & mulieres, ô quomodo erat deaurata, & tota simulata interiùs, & exteriùs. Et vellem mittere in collum meum vinculum, vel vnam chordam, & facere me trahi per ciuitates, & plateas, & pueri ducerent me, & dicerent. Hæc est illa viliſſima mulier, quæ toto tempore vitæ suæ ostendit falsum pro vero, & homines dicerent ac mulieres. ô ecce miraculum quod fecit Deus, quia fecit per semetipsum manifestari, & dici malitias, & iniquitates, & peccata, quæ toto tempore vitæ suæ fuerunt absconsa.

Sed istud dicere parum sufficiebat animæ meæ: & sciatis, quod sum posita in vna desperatione, quam nunquam habui isto modo, quia omninò desperaui de Deo, & de omnibus bonis eius, & feci arrham inter me, & ipsum. Et ideò sum certa, quod non est aliqua persona in mundo ita plena omni malitia, & damnanda, sicut ego sum: quia quidquid Deus mihi conceſſit, & dedit, ad maiorem meam desperationem, & damnationem permisit. Vndè rogo vos omnes, vt rogetis istam iustitiam Dei, vt non plus tardet extrahere dæmonium de isto idolo, & manifestentur nequissima opera, quæ intus sunt, quia caput meum diuiditur, corpus deficit, oculi mei caligauerunt propter multitudinem lachrymarum, & omnia membra mea disiunguntur, quia non possum manifestare malitias meas, & mendacia animæ meæ, sed gaudeo quia iam incœpit aliquid manifestari, & omnia ista sine humilitate vera esse in veritate videbam: & scias, tu quod scripsisti, parum scripsisti in comparatione omnium malorum & iniquitatum, & abusionum mearum, quia quando eram paruula, incœpi operari mala: hæc, & his similia cogor dicere prædicta humilitate inabyssata & depressa. Postea incipit superbia, quia efficior tota ira, tota superbia, tota tristitia, tota amariſſima, & inflata: & aliam amaritudinem maximam recipio de bonis, quæ fecit mihi Deus, quia non recordor illorum ad aliquod reme-

remedium, sed ad iniuriam, & admirationem dolorosam. videlicet quomodo nunquam in me potuerit esse aliqua virtus, & dubito quod nunquam in me fuerit verax, & etiam non video aliquam rationem, quare Deus hoc permiserit. Et tunc in ista tentatione omne bonum est mihi clausum & absconditum, quia efficior in tantum tota ira, tota superbia, tota tristitia, tota amarissima, & inflata, & pœnata, & dolorosa, plus quam possim dicere. quia si omnes sapientes de mundo, & omnes sancti paradisi loquerentur mihi omnes consolationes, ad consolandum me, & promitterent mihi omnia bona quæ dici possunt, & etiam ipse Deus daret mihi, nisi ipse aliter me mutaret, vel nisi aliter operaretur in anima, nullam consolationem mihi darent, nec aliquod remedium mihi afferrent, nec eis tunc crederem, imò omnia essent mihi ad augmentum dolorum, & malorum, & darent mihi maiorem iram, & admirationem, & tristitiam, & dolorem, plusquam possint dicere. vndè pro commutatione prædictorum tormentorum, & tentationum; & vt Deus aufferret à me prædicta, ego libenter eligerem, & vellem omnia mala, & infirmitates omnes, & omnes dolores, qui fiunt in omnibus corporibus hominum, sustinere; & crederem, quod leuiora, & minora mala mihi essent, quam prædicta tormenta. Vndè pluries dixi, quod pro commutatione prædictorum tormentorum, ego eligerem omne genus martyrij sustinere. Et incœpit iste, prædictus status istorum tormentorum, & tentationum aliquanto tempore ante Pontificatum Papæ Cœlestini & durauit plusquam per duos annos, in quibus sæpè sum tormentata, adhuc non sum perfectè neque plenè curata, quamuis parum modo sentiam aliquando exteriùs, non tamen interiùs. sed modo postquam fui in isto statu, cognosco quod inter prædictam humilitatem malam, & prædictam superbiam, est maxima purgatio, & purificatio animæ. in his enim, & per illam, humilitatem veram acquiro, sine qua nullus homo saluatur. Et quantò maior est humilitas, tantò maior est purgatio animæ. Vndè cognosco, quod inter prædictam humilitatem, & superbiam comburitur, & martyrizatur anima mea. Et propter cognitionem offensionum, & defectuum, quam per prædictam humilitatem anima adipiscitur, anima purgatur à superbia, & à dæmonibus: & propterea quantò anima magis afflicta, & depauperata, & humiliata est inferius, tantò magis aptatur, & purgatur, & purificatur, vt magis eleuetur, quia nulla anima potest aliter nec plus eleuari, nisi quantum humiliatur, & profundiùs in humilitate complantatur, & radicatur.]

Nec minus in hac pressura constitutam animam solabitur, quod sanctæ Matri Theresiæ pariter desolatæ accidisse *a* legimus; quæ inter plura alia, [cum sola essem, inquit, nullum amicum

a Cap. 23. suæ vitæ.

cum habens, cuius alloquio meipsam solarer, non poteram vel orare, vel in libro legere, sed ob tantam tribulationem, & timorem, ne fortè mihi cacodæmon illuderet, tota inquieta, & afflicta, planè nescions quid tandem de me futurum esset (:&hanc quidem angustiam aliquoties, imò sæpè sensi, sed nunquam meo iudicio ita grauem, ac excessiuam, ac tunc:) quatuor aut quinque horas in hoc statu manebam, vt nec à terra mihi vllum, nec à cœlo veniret solatium, aut affulgeret refrigerium; nisi quod Dominus me mille inter periculorum timores constitutam, pati cerneret. Quando verò insuper[a] sequuntur ariditates, adeo quidem, vt nunquam Dei recordata esse, aut recordatura deinceps vnquam videatur, & quando de illius maiestate aliquem loquentem audit, perinde se habeat, ac si de aliquo, qui adhuc procul indè abest, aliquid dici audiret; nihil verò sunt hæc omnia, nisi insuper illud accedat, quod sese non satis confessarijs aperire, ac declarare, sed in errorem illos trahere, ac decipere putet: & quantumuis quo ad hoc seriò reflectat, & videat ne quidem motum primò primum, quem non ijs aperiat, & esto vt quieta sit ei dicatur, nihil tamen indè iuuatur. etenim ita oscuratus est intellectus, vt ad veritatem videndam potens non sit: sed ad credendum duntaxat, quod imaginatio ei repræsentat, & suggerit; tum quippe hæc ipsa dominatur, nec non ineptiæ, quas ei diabolus repræsentare vult. Huic enim Dominus procul dubio facultatem concedit, ad eam probandum, eique persuadendum ipsam à Deo esse reprobatam. Multa quippè sunt à quibus tunc impugnatur accedente tam sensibili atque intolerabili spiritus angustia, vt cui ei assimilari possit nesciam, nisi fortè in inferno damnatorum pœnis, & supplicijs: nullus enim hac tempestate durante consolationibus admittendis est locus. Denique si librum aliquem, esto vernacula lingua scriptum, ad legendum in manus acciperet, non magis illum intelligere poterit, quam si legere nesciret, eo quod intellectus ad hoc tunc minimè dispositus erit, sed planè ineptus. At quid tandem aget misera hæc anima, si quando ad multos dies in hac afflictione, & miseria agere oportebit? nam si horas recitet, perinde est, ac si non recitaret (videlicet quantum ad ipsius solatium, ac leuamen faciat, quia ad id interiora eius non penetrat) nec quid recitet intelligitur, vti nec ipsa se, esto vocale sit quod recitat. nam vt mentalem instituat, tempus hoc opportunum, & conueniens non est, quod facultates animæ ad eam neutiquam dispositæ sint, porrò vt quis quod tunc patitur, verbis exprimat (vt verum fatear) est prorsus impossibile: sunt namque angustiæ, & pœnæ spiritua-

[a] *Cap. 1. manſ. 6.*

ſpirituales, quæ quo dicantur nomine vix quiſquam ſciat.]

Vides ex his ô pia anima, quam prauum, & inſcrutabile ſit cor hominis; quodque nuſquam melius, quam in hac tenebrarum poteſtate, intelligere poſſis abominationes cordis tui, & occulta illa impedimenta, quæ inter te, & Deum magnum chaos ſolebant interponere. & certè ſi multi [quamuis ad ſummam perfectionem profecerint, tamen ſtimulum *a* carnis ſuæ extinguere non potuerunt; ſed diuina hoc diſpenſatione in eis actum eſt; quam quidem, quid vnicuique vtiliùs accidat, latere non poteſt. Et in alijs quidem fiebat ad demonſtrationem ſingularis eorum fortitudinis, quia tales erant, qui ſemper pugnare aſſiduè, & triumphare ſufficerent: in alijs autem, ad cuſtodiam humilitatis, quando ſingulare aliquod bonum, præ cæteris alijs omnibus acceperant.] vndè & Sanctus Hieronymus ait: [*b* pallebant ora ieiunijs, & mens deſiderijs æſtuabat in frigido corpore; & ante hominem ſua iam carne præmortua, ſola libidinum incendia bulliebant.] & infrà [memini me clamantem, diem crebro iunxiſſe cum nocte, nec prius à pectoris ceſſaſſe verberibus, quam rediret, Domino imperante, tranquillitas. Ipſam quoque cellulam meam, quaſi cogitationum mearum conſciam, pertimeſcebam. Et mihimet iratus, & rigidus, ſolus deſerta penetrabam. ſic vbi concaua vallium, aſpera montium, rupium prærupta cernebam, ibi meæ orationis locus, ibi illud miſerrimæ carnis ergaſtulum, &c.] Tu ergò, ô pia anima, ſancto odio tuiipſius inflammata, dum hæc ita perſeuerant, ſubdita eſto Domino, & ora eum. ſi enim eiuſmodi tentationes aduſſerunt ſanctos, cauendum ne inflamment nos miſeros peccatores. & cum non ſit ſenſus *c* vbi eſt amaritudo, ita vt pia anima per operationes mentales ſuauiter Deo vniri nequeat: expedit cum [beata Catharina *d* Genuenſi externis operibus charitatis occupari.] quod quidem in praxi vtiliſſimum fuerit, ne internis miſerijs plus quam oportet, animus intendat: & his quidem inſertis, conſequenter videndum eſt vti ſermo Dei efficax, Spiritus intima quæq; perſcrutatur, & emundet.

Tota circumferentia ſeu omnes animæ potentiæ doloribus adimplentur, vſque ad mortis anxietatem.

ARTICVLVS SEXTVS.

A *facie e Domini contremuit terra, moti ſunt cœli, ſol & luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum, & Dominus dedit vocem ſuam ante faciem exercitus ſui: quia multa ſunt nimis caſtra eius, quia fortia, & facientia verbum eius, magnus enim dies Domini & terribilis valdè: & quis ſuſtinebit eum?* Ac ſi diceret, ô pia anima, quæ gemitibus inenarrabilibus, tanquam proiecta à facie Domini,

a *Rich. in Pſal. 28.* b *In epiſt. ad Euſto.* c *Eccl. 21.* d *In vita ipſius c. 44.* e *Ioel. 2.*

mini, absentiam eius contestaris; quod videlicet nec bonum agnoscere, aut agnitum complecti valeas, & egrediaris, & ingrediaris, sicut propemodum delirans amore, atque occulta ad Deum dependentia, & tendentia: scias velim hoc ideò contingere, quod Dominus dederit contra te vocem suam, ante faciem exercitus sui, quando dixit satanæ, & naturæ vitiatæ, ecce in manu tua est, qui me timet, & amat. & quia multa sunt castra eius, & fortia, ideo tot, tamque inexcogitatis modis in temetipsa discruciaris; ideò mens, & consilium, & ratio fugit à te; ideò ad mira, & varia impatientiæ signa, & gestus prorumpis, tanquam proprijs peccatis, & negligentijs hęc omnia causaueris. cum autem hæc dies Domini, & huius priuationis, diuinæque absentiæ dolor sit terribilis valdè, ac ita perseuerare videatur, vt nulla spes finis illius appareat: quis ô pia anima sustinebit?

Quis, inquam, sustinebit hunc ignem vrentem, cum non minor, sed maior sit calor amoris, quam febris? nec incongruè quis dixerit, eiusmodi passionem, & amoris languorem, febrem esse: sicut enim diu febri æstuans, tandem amplius sustinere non valens, ad mortis terrores, & angustias declinat; ita prorsus ô pia anima, cum in tota circumferentia, & in omnibus potentijs, amoris doloribus sauciata fueris, ita, vt nec cogitationem piam, absque molestia suscipere, nec bonum opus absque notabili tædio, & auersione agere valeas, hinc quidem per mortem, miseriæ tuæ finem imponi optares? indè verò, tanquam summè à Deo, eiusque amore elongata, mortem quam maximè times, nilque tantoperè diu noctuque cogitas, quam quod in malo, & pessimo statu, salus tua versaretur, si ita mori contingeret.

Quis ergò sustinebit? cum [vel ipsam gehennam *a* ad tempus experiri, vix horribilius, pœnaliusuè ducat pia anima, quam si à spiritualis studij gustata suauitate, & in diuinæ veritatis contemplatione experta dulcedine, impediatur.] præcipuè verò, quando è contrario, arido gustu concupiscentia vitiorum insolescit. vndè etiam videmus, quod si quis scelerum suorum profunda degustet, & promeritas inferni pœnas iusto Dei iudicio non differri sentiat: quod nulla spe misericordiæ fretus, ante tempus in scipsum vltrices manus extendat, præcipitio se collidat, laqueo, aut aquis se præfocet. quis ergò sustinebit, vt coletur & cribretur sicut aurum, & argentum purgatum septuplum? sustinebit certè ille solus vtique, in quo fortis est vt mors, dilectio, dura, sicut infernus æmulatio. fortis, inquam, vt mors donum fortitudinis, quod in hoc agóne pia anima, tanquam alius martyr, in seuero tormentorum examine consequitur, vt sustineat, & patienter agat, in finem perseuerans; & quoad usque viuus sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti pertingat

a Taulerus Instit. c. 39. & Eccard. Senior.

pertingat vsque ad diuisionem animæ, & spiritus, compagum quoque, ac medullarum, ac discretor cogitationum, & intentionum cordis. dura autem sicut infernus æmulatio illa; qua Satanæ, & ex originali peccato vitiatæ naturæ insultus, piæ animæ dentes, morsusque infigunt: eo maximè tempore quo amici, & necessarij eius recesserunt ab ea, & nil solatij ab hominibus, aut pijs exercitijs, aut à Deo amicabile quidpiam percipere potest. tota ergò circumferentia spiritus, animæ, & corporis, per cuiuslibet potentiæ proprios dolores adimpleta; adhuc tamen viuit in ipsa essentialis voluntas, & diuini amoris fortitudo, qua omnes hosce aculeos vulnerata suscipit, & sustinet; eo quod ibi plùs per centrum voluntatis amet, quam vbi amoris violenti ictibus languens animat, mortisque angustijs torquetur. atque ita Dominum Deum in tota tribulatione animæ suæ quærere, verè inuenire est. vt autem clariùs videatur, quo fundamento, pia anima in tantis pressuris nitatur, fructuoseque progrediatur consequenter dicendum erit,

In hoc agone dolores animæ blandimento compassionis; aut etiam amore diuinitus excitato mitigari.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

QVo abijt dilectus tuus, quo declinauit dilectus tuus, & quæremus a eum tecum. Ac si diceret, ô pia anima, quæ in tribulatione murmuris dicis, sagittæ *b* Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, & terrores Domini militant contra me; en ecce nos omnes, qui scimus tuum dolorem esse vehementem, adsumus, vt solemur te, noli, obsecramus, nos consolatores oneroso reputare; sed narra magis, & dicas nobis, quo abijt dilectus tuus, & quæremus eum tecum, ideò enim dicitur Petro, ecce Satan expetiuit, vt cribraret vos sicut triticum, ego autem orauì pro te, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. sic & Saluatori nostro in agonia constituto apparuit Angelus de cœlo confortans eum. sed inquis, dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, vt ibi pascatur in hortis, & lilia colligat. vides ergò, ô pia anima, quod dilectus ex millibus non fugit, non te abiecit, non in longinquam regionem profectus est tanquam non amplius reuersurus; sed declinauit duntaxat, & infinitæ gloriæ, qua in semetipso semper pascitur, stillam à te retraxit, interea quod inter manus diuersarum tentationum probaris. sicut Pater filij sui amantissimus, dum vlcus illi à Chirurgis aperiendum est, & sanandum, aliò se confert, præ amoris magnitudine non sustinens filij dolores; quos, dum aduritur, dum secatur, dum ligatur, clamorosis gemitibus contestatur.

Ita ergò, ô pia anima, cuius capiti, & oculis

a *Cant. 5.* b *Iob 6.*

oculis datę sunt aquæ,& fontes lachrymarum, plora die, ac nocte, eo quod sustulerint Dominum tuum,& nescias vbi posuerunt eum. si enim vspiam dolor, & angustia cordis, lachrymarum diluuio mitigatur, hoc vel maximè in præsentiarum vsu venire solet; cum in hac pressura, ipsa sola nudauè tolerantia duntaxat, vitæ mysticæ respiraculum (ne tanquam scintilla ex toto extinguatur) præseruare soleat. & licet [lachrymæ huiuscemodi in modico cor refocillent, & reficiant; sunt tamen vtiles *a* eo tempore, ad conseruandam valetudinem corporalem; & vt facilius amor impatiens sustineri possit, & naturæ sanitas conseruari.] nam per [fletum, *b* & gemitum animi intentio, quæ est circa malum, ad exteriora diffunditur, fletus quoque, & gemitus dolorem, & tristitiam naturaliter minuunt.] & ideò etiam pijssimus Dominus, vti prudens medicus; qui circumferentiam quidem, & omnes corporis vires inordinato calore febris absumptas conspicit, cordis verò integras vires adhuc superstites, bono iubet esse animo; solumque infirmo prohibet quod noxium est. Quapropter, ô pia anima, interea dum in hac angustia, & tribulatione murmuris doctrinam Domini susscipis, & spiritum salutis parturis; tanquam vox turturis, sonet in auribus dilecti, ego dilecto meo, ac si diceres; cum indigna sim, quæ suaui eius fruar præsentia; ego tamen illius ero, & nullum alium amatorem admittam; & dum illius amore me carere oportet, aliam etiam consolationem non feram, quæ ad illum non referatur. Vos ergò, amantissimi Domini,& consodales, fulcite me floribus, blandimento scilicet compassionis; stipate me malis, pijssimarum orationum vestrarum,quo ita, vel minimo diuinitatis odore confortata, omne malum quod Domino placuerit super me inducere, sustineam patienter; & interea, dum omnem escam spiritualem,& piarum exercitationum abominatur anima mea, ita vt nihil boni operis absque tædio aliquo peragere valeam: sit mihi misericordia eius super vitas meæ consolationis; sit, inquam, spiritus meus contribulatus, sacrificium Deo Optimo Maximo, qui bonorum meorum non indiget, in se semper æquè beatus subsistens.

Iam verò, quando hæc, similiauè ex humili corde procedunt; solet quandoque, qui posuit tenebras latibulum suum, & stat post parietem harum afflictionum, respicere per fenestras,& prospicere per cancellos, dum ad instar solis, qui prius erat in nubilo, per lumen infusum; actus dilectionis excitat, & ex certamine debilem animâ in spiritu roborat;ad modicum tamen, sicut sol quando nubibus circumuallatus quandoq; splendore suo, & calore recreat, facilè autem aliqua nube contectus, tenebras denuo relinquit; pro vt etiam strenuus miles modico tempore

a *Harph l.2.p.3.c.44.* *b* S. *Thom.3.2 q.38.a.3.c.*

tempore cibo potuque confortatur, ac toto postmodum die, noctuque in pugna, ignis, & ferri vulnera, doloresque sustinet. quo etiam respicere videtur Iob dicens; cum *a* audierit me, non credo quod exaudierit vocem meam. quasi enim coadstat, tanquam aquæ inundantes, rugitus consuetæ desolationis, ita vt si in solatio figere vellet pedem; non tamen hoc ipsum adhuc liceret, quandoquidem diuinitus immissa consolatio, hoc loco non nisi ad tempus confortandi gratia, concedatur. & quum itineris molestia tantò leuiùs feratur, quantò securior quis redditur, se in via non aberrare, consequenter dicemus,

De signis, quibus assecuretur mysticus se in hac vera, & non naturali priuatione constitutum.

ARTICVLVS OCTAVVS.

His b fieri incipientibus respicite, & leuate capita vestra, quia appropinquat redemptio vestra. ac si diceret, ô pia anima, quis est *c* iste, vt fleret Domino non iubente, vtque dubiosa hæsitatione contristetur, num ea quæ hucusque in amore deficiente contigerunt, ex spirituali profectu; an potiùs ex proprijs defectibus, & negligentijs, procedant; Deo placeant, vel displiceant magis? sciendum ergò; duo *d* esse potissimum signa euidentia quo. dammodò ad habendam securitatem, num quis in hac vera, de qua hic loquimur, & non naturali, ac immortificata *e* priuatione constitutus sit. & primum quidem est, si quis aliquot annis, licet non nisi tribus fortè, vel quatuor in vita interiori se se exercendo, satis benè recollectioni, & contemplationi vacasset; siue hoc amorosè, & cum sensibili deuotione, siue aride; attamen comite animoso proposito, resignatione, & quadam transcendentia amicabilis interioritatis, contigerit: postmodum verò in modo interiùs agendi, animaduertat sese paulatim deficere, & tam interna quam externa exercitia mortificationis, & orationis mentalis, non amplius solita facilitate, pace, & recollectione peragere posse: licet secundum desiderium, & bonam voluntatem, ad mortificationes, & virtutes, ac etiam ad interiora sua, maiorem quam vnquam alias, sentiat inclinationem. pro quorum maiori securitate, ad praxin facit adducere, quod Harphius de hoc proposito sentit [quibusdam, inquit, ad tramitem *f* vitæ perfectioris primitus aspirantibus, aut etiam, in initio suæ conuersionis, sicut Apostolo Paulo, ad tertium cœlum rapto, concessum est benignitate largitoris, huiusmodi tamen (vt frequenter) post adeptam tantam diuinæ celsitudinis consolationem, postmodum indicibilibus angustijs, & tentationibus etiam execrandis,

a *Iob c.9.* b *Luc.21.* c *Thren.3.* d *Plura apud B.Io. de cruce de obs.noct.l.1.c.9.& 12.*
e *1.p.dec.5.n.9.* f *lib.3.p.4.c.26.*

& presſuris ſpiritualibus, vel corporalibus probare crebriùs, & examinare Deus aſſolet, ſicut examinatur argentum, prout oculata fide in pleriſque conſpexi. Quorum mirabilem diuinæ clementiæ prælibatam gratiam agnoſcens, tantis presſuris poſtmodum frequenter agitari vidi: quod nec ore exprimi, nec inexpertis (vt puto) vera credulitas ingeri poſſet. nam, & Auguſtinus, & Bernardus illorum presſuram infernali pœnalitati non inconuenienter aſſimilare conati ſunt. in cuius etiam argumentum de Paulo in primordio conuerſionis, tam feliciter rapto, eodem tempore, Dominus ait. Ego oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.]

Tam admirabilis porrò viciſſitudinis internæ, fundamentalis ratio, in eo conſideratur, quod in initio [actus naturalis, *a* & ſupernaturalis dilectionis ſint ſimiles,] & ſapido guſtu quæuis amoroſa deglutiantur, vt optima, & purè ſpiritualia quæque. cum autem in progreſſu delicatiorem myſticus conſequitur diuinum guſtum; in tantum priores ſtatus, fruitiones, & quidquid demum amicitiæ cœleſtis vnquam ſuſceperat, indicibili auerſione, & tædio ſordent, vt multò leuiùs ferat, quidquid in interiori ſuo amarulentiæ deguſtandum adhæret, quam vt illa priora, vel cogitare, vel ſibi optare velit. modicum enim illud, per quod in ſpiritu purè, de ſupremo conſortio altiſſimi, vigilias agit; incomparabiliter plus luminis, & veritatis, quam omnia præterita continet. quia verò illud quo in purè ſpiritu viuit, & alitur, valdè modicum eſt, non poteſt in inferiores vires, & ſenſibilem hominem fortiter influere; atque ita neceſſariò tota hominis circumferentia, eiuſque appetitus variè alliciuntur, aggrauantur, anguſtiantur, & comprimuntur.

Secundum verò ſignum eſt, quando gemitibus inenarrabilibus conqueritur, ſe, vel peccatorum præteritorum grauitate, vel negligentijs, aut ſeſe varijs accommodandi modis ignorantia, eiuſmodi amoris priuationem, cauſaſſe; maximeque dolet ſe vnquam myſticæ vitæ initia dediſſe; fruſtra tamen cupiens ab illa recedere, in vinculis charitatis iam conſtricta, & dono *b* fortitudinis in ſpiritu roborata: ita vt, licet ſecundum naturæ inclinationem mallet communiter, vti alij, ſui iuris eſſe, & moraliter benè viuere: attamen ſecundum illam fortiſſimam, & intimam ad Deum tendentiam, inſtitutum cupiat proſequi. ex qua quidem repugnantia prouenit, vt nec ab amantiſſimo alioqui ſpirituali magiſtro, ſibi perſuaderi permittat hunc amoris defectum non tam ex ſimilibus cauſis, quam ex neceſſaria amoris depuratione prouenire. ſicuti ergò neceſſarium eſt circa primum, vt ſcilicet in Deum amor, qui valdè impurus adhuc eſt, & ita ad diuina, ſicut ad alia quæuis creata, cum ſenſibili, & humano agendi modo ferri conſueuit,

corri-

a S. *Bonau. 4. diſtinct. 21. D. 4.* *b* *Vt inf. Dec. 2. n. 9.*

corrigatur; ita etiam circa secundum hoc, oportet, vt in turbine te conterat, & multiplicet vulnera tua etiam sine causa, nec sinat conquiescere spiritum tuum, & impleat te amaritudinibus; licet tota vita, etiam vsque ad virilem, & maturam ætatem producta, nullum graue peccatum, scienter, & voluntariè commisisses.

Sed non tam in eo cardo rei versatur, vt quis sciat amorem illum, qui in principio aliquot annis perseuerat, & ingens esse videtur, in spiritualem amorem redigendum esse; aut quod etiam nullius quidem grauioris culpæ, sed ex humana fragilitate, subindè leuioris duntaxat negligentiæ defectus incurrisse, videat: quam, vt humili resignatione, sollicita custodia sensuum, & passionum, ac etiam filiali amore, reuerentia, & confidentia se, suaque in tempore, & æternitate Deo committat: eiusque directioni amplius, quam propriæ in bono operando, & proficiendo existimationi se credat. Cum ergò non sit, qui se abscondat à calore eius, & omnes qui per dona habituum supernaturalium, ad status perfectioris amoris deducuntur, in hac amoris deficientia concurrant; *a* quælibet pia anima in eiusmodi alteratione, bono sit animo, sciens quod appropinquet redemptio eius, quodque in proximo sit, quod à Deo curetur: nec quidquam ex eo dubij admittat, quod videat commilitonem aliquem non tam graui, vt ipsa, pressura, & anxietate in tentatione probari: cum vnus magis *b* minusuè intensè, pro naturæ, conditionis, & gratiæ diuinæ inæqualitate, de calice Domini bibat. Interea verò, cum à supradictis passionibus quodammodo respirare, & in intimo spiritus essentialem aliquam resignationem subodorari cœperit, ad ea quæ in fine priuationis, transeundum erit.

a Inf. Dec. 2. n. 4. *b Ibid. n. 7.*

ET

ET TERTIO
DE IIS QVÆ FIVNT IN FINE PRIVATIONIS
PER AMOREM CONSTANTEM VTRIVSQVE POTENTIÆ, VOLVNTATIS SCILICET, & intellectus.

PARAPHRASIS QVARTA.

CVM *expleuerit in me* a *voluntatem suam; & alia multa similia præsto sunt &c.* ac si diceret, plane dignum est, vt ego in omni afflictione mea, ad Deum ita me paratam, & morigeram præbeam, sicut omnes aliæ creaturæ ad nutum ipsi obediunt. vndè psalmista ait; vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum: ac si diceret, licet magna sit proprij amoris, & commodi cupiditas; quia tamen vt iumentum, ad metum ducentis vado, & redeo; hinc semper tuo beneplacito adsto. Quod vti hoc loco, perfectè fiat in potentijs superioribus, & spiritualibus, iam dicendum est,

I. Quod propria operatio, quamdiu mysticus in fine priuationis versatur, sit omnium Virium in diuinam Voluntatem colliquatio.

II. Quod potentiæ superiores essentiali resignatione diuinæ prouidentiæ subijciantur.

III. Quod dein totum compositum hominis colliquescat in vnum, cum diuina voluntate.

IV. Priuatio hæc rigida est essentialis imitatio Passionis Domini nostri Iesu Christi.

V. Virtutis actus deinceps essentiali modo exerceri.

VI. De spirituali profectu, duratione, & transitu à priuationis ad Vnionis statum.

ARTI-

a *Iob. 23. Vide Ioan. à Cruc. de obscur. noct. & Barbanf. de occult sem. 2. p. c. 10. 11. ad praxin vtiliter, & alij vt inf. decis. 2.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Quod propria operatio quamdiu mysticus in fine priuationis versatur, sit omnium virtum in diuinam voluntatem colliquatio.

DOmine in a voluntate tua præstitisti decori meo virtutem. ac si diceret; ô pia anima, licet in amore, hucusque acquisito, tanquam aurora consurrexeris, & vestimenta tua, spiritus scilicet, & animæ potentias amorosis, & resignationis actibus; ceu martyrum sanguine conspersas, rubro colore exornaueris; scire tamen debes, quod illa ad Deum dilectio, ac bona ad omnia actio, nondum habeat virtutem in semetipsa manentem, neque radicem, ex qua vt innata virtute, amor ille vitam suscipiat: quousque ipsa sola, ac nuda voluntas diuina, eiusque de te omnimoda dispositio tam viuaciter tibi placeat, & ad omnia pia exercitia te commoueat, vitaliterque afficiat; vti prius maximæ spiritus, & animæ consolationes, spiritualesque gustus facere solebant, quantumcunque illi magni, & sublimes fuerint. & hinc ait Psalmista: Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem, ac si diceret: quando eousque in spirituali progressu perueni, vt omnia de manu Domini, eiusque gratissima voluntate toto corde, & pleno animo susciperem, quantumcunque amara, & naturæ contraria essent, tum decori, amori, & rectæ intentioni meæ dedisti virtutem, ceu radicem, & dispositionem producendi fructus veræ, & realiter permanentis amicitiæ tuæ, quæ ad vsum, & actus exercitium mihi innasceretur. sicut granum frumenti, in se quidem pulchrum est, bonum, ac vtile; verumtamen vt radicem accipiat, & virtutem germinandi, prius moriatur oportet, & alteri conditioni, & vt ita dicam, voluntati subijciatur, à se deficiat, & propria natura subtilizata, in seipso animam vegetabilem, & vitam quandam consequatur. atque ideò [tandem *b* licet non absque graui labore, & difficultate totos se resignant, & omnia sufferunt patienter, donec Deo placeat mutare. Vident enim nihil posse se amplius. sic itaque docet eos Deus resignationem sui, subiectionemque; vt videlicet ita se sub Deo relinquant, exeantq; in omnibus. iamque illis prioribus gratia affluentibus fiunt similes, & quodammodo longè nobiliores, excellentioresque; cum hic gradus multò sit Christo conformior, cuius, omnis vita passionibus abundauit. Isti martyres spiritales pro ipsorum iudicio omnium pauperrimi, sed coram Deo locupletissimi sunt. sunt etiam, vt ipsis videtur, omnium à Deo remotissimi, sed reuerà proximi sunt. sic, & omnium se credunt coram Deo abiectissimos esse, cum sint electissimi. omnium denique se Deo infidelissimos sentiunt, cum tamen fidelissimi, ac strenuissimi sint ad illius promouendum honorem, contemptumque præpediendum, ob quæ,

a *Psal. 29.* b *Taul. serm. 1. in fest. SS. Mart.*

& patiuntur hæc omnia. Varijs quoque tentationibus, ob hanc spiritus paupertatem, se sentiunt impugnari, quæ licet ipsa quoque morte grauioribus ipsos doloribus excrucient, maximè quando pro ipsorum iudicio nonnihil ab his superantur, omninò tamen consensum præbere recusant.]

Et certè in hoc cardo rei versatur, nec quidquam magis principaliter in toto amoris deficientis, seu priuationis statu intendit benignissimus Deus, quam vt solus, purè, & integrè sit, qui in exercitio mystico, & vsu consortij diuinæ naturæ, secundùm omnes animæ vires spectetur, magisq; eius grätissima voluntas in omni momentanea actione consideretur, quam sensibilis deuotio. & hoc quidem non ex actibus resignationis tantum, aut humili in Dei beneplacitum subiectione; sed vt totus appetitus, & naturæ inclinatio rationis iudicio libenter, & quietè obediant, in habendo, non habendo in tempore, & æternitate. id quod hoc loco, & fine priuationis, integrè contingit in potentijs superioribus, intellectus scil. & voluntatis. sicut in medio fiebat, in animę varijs affectibus, & passionibus; quibus in tantum exagitata fuit, vt quasi callum, & duritiem ad omnem sensualitatem inordinatam contraxerit: & sancto odio suiipsius tam perfectè imbuta, vt in futuris mysticis vnionibus nil inordinatum, aut vt suum commodum possidere velit, & ægrè admodum possit. & quia valdè multum, & arduum est, relinquere non tantum quod quis habet; sed etiam quod est; ideò tantæ molis esse solet, antequam amoris depuratio perfectè cursum suum absoluat, & in diuinam voluntatem colliquescat. vndè etiam Saluator noster, cum perfectissimè voluntatem suam Patri æterno passionis suæ tempore subijceret, cum spiritus gustu, & desiderio tam acerbam passionem incœpit, & prolixiùs in agonia orauit: licet præ naturali horrore sanguineas guttas sudaret. & certè huic exemplari quilibet se debet conformare, qui vult summæ charitatis gradum attingere. sed hæc iam penitiùs declaranda erunt, & dicendum

Quod potentiæ superiores essentiali resignatione, diuinæ prouidentiæ subijciantur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Sicut tenebræ eius a *ita & lumen eius:* ac si diceret; ô pia anima, licet intellectui proprium sit, vt versetur circa lumen veritatis, illudque quàm maximè cupiat apprehendere, vtpote bonum sibi proportionatum; quo ita consequenter, voluntas bonum cognitum apprehendat, constringat, & oblectando ei inhæreat; nihilominus scire debes, quod modus ille cognoscendi Deum, qui per negationem fit, longè aliter procedat; quandoquidem Deus posuerit tenebras latibulum suum, in quo etiam melius ignoratione quæritur, inuenitur & laudatur,

a *Psal. 138.*

datur, quam scientia, & notitia. & hic ille est modus, per quem tot tenebras, ariditates, & tædia spiritus tandem inuenire oportet; vt scilicet sicut tenebræ eius, ita & sit lumen eius, ac ita omninò indifferens, & benè contenta sit pia anima ex intimis visceribus cordis, in cœcitate mentis, sicut prius in quauis, etiam summa spiritus illustratione; & ideò pariter ipsa voluntas humili resignatione tolerare debet, quod duce suo ordinario, scilicet intellectu, & lumine oculorum suorum careat. vnde quemadmodum ille, qui prius clarè videbat, dein aliquot annis cœcus si fiat, ductore vtatur oportet; ac alieno lumine, ac visu adiutus ambulet, & pertingat quo ipsi eundum est. ita planè oportet, vt & pia anima lumine intellectuali destituta faciat, iuxta illud: Domine in lumine tuo videbimus lumen. in lumine tuo, inquit; ac si diceret, in altiori aliqua veritate, & directione, ac diuina prudentia cognoscere debeo, quid mihi vtile sit, tutum ac rectum; quamuis susq; deque aspera calcanda sint, vt plana.

Et certè quoadusque anima in superioribus potentijs intellectus, & voluntatis, essentiali quadam, seu matura, & non coacta; sed naturali quodammodo resignatione, sese Deo in omni ariditate, & spiritus cœcitate subijciat; tam diu adhuc à propria suiipsius quæsitione, intentione, & inordinato amore expiari debet. vndè sicut qui excœcatus est, si memor visus oculorum suorũ impatienter cœcitatem suam ferat, & vti prius obambulare velit, nihil certiùs, quam quod hinc indè allidat, & præceps cadat; nec vllo modo, aut tutus in ambulando, aut quietus in corde possit esse, nisi in quantum pacifica tolerantia sustinuerit, quod cœcus sit, & modestè ductorem fidelem insequitur. pari ergò modo tandem aliquando mystico contingat oportet, vt scilicet sicut sunt tenebræ eius, ita & sit lumen eius. ac si diceret, ô Deus meus, qui es lumen oculorum meorum, ita benè contentus sum cum tenebris, & cœca interioritate mea, sicuti aliàs in lumine tuo, quando videbar in cœlum posuisse nidum meum. tu ergò castigasti me Domine, & eruditus sum, quasi iuuenculus indomitus; confusus sum, & erubui non ferens opprobrium adolescentiæ meæ; maximéque doleo, quod non dimissiori animo, & corde magis quieto, sustinuerim omne malum quod induxisti super me. quinimò summoperè in me confundor, quod tanta in me fuerit immortificatio, & impatientia, idque eo amplius, quod nonnihil animaduertere incipiam, quod tu, ô Lumen æternum, facias de tenebris lumen splendescere, & des intelligere meliùs esse in desolatione, & tribulatione murmuris, doctrinam timoris, & reuerentiæ tuæ addiscere, quam vanè altum sapere. eo etiam fortè sensu dictum est, in iudicium ego in hunc mundum veni, vt non videntes videant, & videntes cœci fiant, vtque ex decreto diuini consilij, nemo nouum hoc nomen, & interni profectus dulcissimum tui gustum

percipiat, cuius anima non prius omnem escam abominata fuerit, & quidquid te summum Bonum non purè sapit, in nauseam conuerterit: non quidem intenso cruciatu dolens, vti prius; sed magis lachrymosa distillatione conteſtans, quia ille est, qui electus ex millibus adhærere fecit animam suam post ipsum. & certè, nec omnia ista adhuc ad perfectam dispositionem modi operandi supernaturaliter sufficere, ex sequentibus constabit: vnde dicimus;

Quod dein totum compositum hominis colliquescat in vnum, cum diuina voluntate.

ARTICVLVS TERTIVS.

ADhuc vnum a modicum est, & ego commouebo cœlum, & terram & mare, & aridam. ac si diceret: ô pia anima, sicut ad depurationem amoris necessarium est, vt à summo statu contemplationis descenderes, vsque ad inferiora quæque, & præhabitis fruitionibus destituereris; ac in medio privationis, susque, deque agitareris varijs animi passionibus, quousque in te reuelarentur fundamenta orbis terrarum, & omnes abominationes cordis tui tibi clarè paterent. ita tandem iam in fine, cœlum intellectualis viuacitatis, & terra amicabilis voluntatis, pro vltimo quoque depurari debent: quousque simul mare, & arida, ac omnes potentiæ in vnum colliquescant, confluantque in pulchram imaginem, & Deo dignam habitationem; nihilque amplius adstet, quod supernaturalis amoris vnionem præpediat. cum ergò hoc loco expleuerit inte omnem voluntatem suam omnipotens, qui conturbauit te; Ipse quoq; emolliet cor tuum, & auferens cor lapideum, dabit cor carneum. nunquid enim in æternum proijciet Deus, aut non apponet, vt complacitior sit adhuc? aut in finem obliuiscetur misereri Deus, aut in ira sua continebit misericordias suas? haudquaquam profectò, hinc enim sponsa Christi dicit; anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est; ac si diceret: statim, vt locutus est, qui prius scilicet in tam pœnosa sui absentia, & durissimæ luctæ tolerantia sese absconderat, ita, vt in tenebris spiritus mei, & mystico progressu perijsse viderer; statim, inquam, vt locutus est, molliuit cor meum omnipotens, qui conturbauit me; & cognoui verè, quod nihil sit mundum in conspectu eius, quodque nihil coinquinatum possit intrare in regnum cœlorum, nec eius familiari consortio frui in terra; nisi prius transierit per ignem & aquam, vt argentum purgatum septuplum, & aurum in in camino tentationis. Quis igitur mihi *b* det vt veniat petitio mea, & quod exspecto tribuat mihi Deus, & qui cœpit ipse me conterat, solnat manum suam, & succidat me, & hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore non parcat, nec contradicam sermonibus sancti? sed in toto me, & in omnibus animæ viribus

a *Agg. 2.* b *Iob 6.*

viribus sit mihi pro ipsa beata vita, voluntas eius; in quam etiam toto composito meo cum spiritu, anima, & corpore resolui exopto; & tanquam aurum in igne liquefactum, in imaginem illius qui creauit me, colliquescere, & reformari toto corde desidero. & cum ipse solus sit, & nemo possit euertere cogitationem eius, & anima eius, quodcunque voluit, hoc faciat; ego quoque ad nutum voluntatis eius, quam viuacissimè in me sentio, in nidulo meo moriar, à duritia cordis mei, tanquam cera ad beneplacitum ignis diffluens; ac sicut palma multiplicabo dies, quæ omnes temporum iniurias, caloris scilicet, & frigoris, glaciei, niuis, pluuiæ, ventorum, & quarumlibet tempestatum, virentibus, & quasi ridentibus foliis, æquali integritate, & constantia sustinet.

Et iure meritò quidem, ô pia anima, tibi est vita in voluntate eius, cum ita Deus molliuerit cor tuum, vt tandem aliquando post tot querimonias, retractiones, & anxietates, nihil vsque adeò in nunc præsenti ita placeat, te foueat, & soletur, quam vt Deus in te expleat omnem voluntatem suam. sicut autem artifex, liquefactis metallis formam quamcunque voluerit, imprimit; sic anima in illo statu, ad omnem diuinæ voluntatis nutum, se facilè applicat: imò spontaneo quodam desiderio, ad omne eius arbitrium seipsam accommodat, & iuxta diuini beneplaciti modum, omnem voluntatem suam informat, vt obediat cum Christo vsq; ad mortem: integra harmonia totius compositi humani, benignè consentiente. quam autem perfectè pia anima in hoc statu Christum Dominum sequatur, iam consequenter dicemus,

Priuatio hæc rigida est essentialis imitatio passionis Domini nostri Iesu Christi.

ARTICVLVS QVARTVS.

RE*cogitate eum* a *qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem: vt ne fatigemini, animis vestris deficientes.* ac si diceret, ô pia anima, licet omnia quæcunque facis in verbo, & opere, omnia in nomine Domini nostri Christi facias, gratias agens Deo per ipsum; ita vt in omnibus actionibus semper habeas præfixam bonam, ac rectam intentionem, per hoc quod magis, & principalius Dei honorem, & laudem, quam proprium commodum, vel solatium intendas: nihilominus obserues velim, eiusmodi intentionem directè ad incipientes, quique non totis viribus, sed aliquo sui Deum respiciunt, pertinere. iam verò cum amoris deficientia diu perseueret, magisque indies accreuerit, ita vt tandem in ipsum mare doloris, anxietatis, & tristitiæ proiecta videaris; ne fortè tonitruo magnitudinis Eius suppressa, & in merito inanis, & in patiendo pusillanimis reddaris: oportet vt toto desiderio, tota mente, tota voluntate, totoque corde recogites, com-

a *Hebr.12.*

patiaris, & consentias dolores, & acerbissimam passionem eius, qui talem, ac tantam, à peccatis tuis, aduersum semetipsum sustinuit contradictionem aduersum semetipsum, inquit, ac si diceret, omnia quæcunque Saluator noster passus est, ita in seipsum attraxit, vt non aliqua parte sui pateretur; sed toto se, in seipsum trahens, & quasi in ipsam passionem conuerti desiderans. ita ergò etiam agas oportet, huncque patiendi modum assumas; quo non sicut prius meditatione, notitia, vel compassionis aliquo affectu, passionis Domini nostri Iesu Christi, aliquem gustum doloris accipiebas, sed toto tuo esse, habere, & sentire omnem desolationis tristitiam; non tam vt tuam; sed vt Christi in te patientis cruciatus accipias, stringas, possideasque, & vt tibi essentiales, & in te permanentes libenter, promptè & reuerenti tolerantia sustineas: tanquam quæ ipsi Saluatori suos dolores cupias lenire, & in te conuertere; quo ita nihil contristet, quidquid in tam pœnosa diuini amoris carentia, toto hoc priuationis statu, contingere solet. Vndè etiam ait, vt ne fatigemini animis vestris deficientes; ac si diceret, licet quidem spiritus promptus sit; quia tamen caro infirma est, præsertim in tam rigido, & diu perseuerante amoris diuini examine; hinc super omnia recogitare debes eum, qui talem sustinuit pro peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem. quo ita tui dolores, non soli, sed doloribus Christi conditi, & vniti, sacratiores fiant, si, vt illius cruciatus, gustentur, tolerentur, & ab ipso, & cum ipso circumferantur. qui modus cum non sit, secundum aliquam meditationem, vel aliquam partem tolerantiæ, sed secundum totum suum esse, habere, sentire, compati, intelligere, operari, & viuere; rectè essentialis, & perfectissimus modus imitandi passionem Christi Domini constituitur.

Hisce porrò, vera cordis interioritate, & susceptis, & in eis vnum cũ Christo factis, dicere licet. Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus; scilicet per suam acerbissimam passionem, & à patre æterno derelictionem: per quam sicut socij sumus compassionis, ita & erimus socij gloriæ, cuius Christus quidem in hac vita, ab instanti conceptionis comprehensor fuit: mysticus autem post tribulationem dierum istarum, ad vsum, & fruitionem futuræ vnionis; & consortij diuinæ naturæ, pro vt ratio, & conditio viatoris, ac dum peregrinamur à Domino, admittit, particeps erit. quæ quidem gratia, cum maximè ad vitam æternam benè afficientia sua deducat, alliciatq; meritò sacratissimam Saluatoris nostri meditationem vtilissimam, & ab ijs, quibus res pro anima est, cumprimis feruenter practicandam esse; dictum est supra. a quam verò perfecta in virtute hic fiat radicatio, ampliùs exsequentibus constabit.

Vir-

a 1 p. Dec. 4. n. 3.

Virtutis actus, deinceps essentiali modo exerceri.

ARTICVLVS QVINTVS.

CHristo confixus sum cruci, viuo autem iam non a *ego, viuit verò in me Christus.* ac si diceret, ô pia anima, non ampliùs sicuti prius in statibus incipientium, aut proficientium per explicitum propositum, & cum quadam difficultate actus mortificationis, & virtutis exercendi sunt. hic enim modus, cum modico augmento veri, & solidi amoris vestitus sit, frequenter laboriosus est, & à fideli praxi, atq; executione boni propositi sæpè deficit. cum autem in profundo iam præteritæ priuationis magna fuerit velut mare contritio tua, ita vt quodammodo insensibilis reddita sis, & ad patiendum pro consuetudine exercitatos habeas sensus; oportet vt deinceps, ac præsertim quando gratia *b* modi operandi supernaturaliter à Deo dignata fueris, omnes mortificationis, & virtutis actus essentiali modo, id est, ex habitu, prompte & facilè peragantur; & quasi naturaliter, ex communicatione passionis Christi Domini profluant. ideò enim dicitur, Christo confixus sum cruci; id est, tanquam vnum effectus Christo patienti, cum gaudio sustineo quidque in corpore doloris, & in anima inordinati affectus molestiam intulerit; Deo ita disponente, siue ad abstergenda peccata, & humanæ fragilitatis defectus, siue ad meritum; vt si compassi fuerimus, etiam socij gloriæ fiamus.

Atque tum demum, & post tot dilectionis purgationes, amor Spiritus Sancti vigorem suum diffundit in omnes animæ vires, & est origo omnium virtutum: vt scilicet facilè, & promptè sequaris instinctum rectæ rationis, ad quietam subordinationem passionum: & ex essentialiter recta animi affectione (vtpotè gratia sancta) exerceas [in virtute, *c* scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis, charitatem.] atque ita pia anima non tam in se, quam Christus in ipsa viuet. [Debet *d* ergò quisque filius Dei virtutum exercitijs insistere. cum verò virtutes ei in habitum versæ fuerint, ab earum exercitio liber erit. Tunc enim eas ablq; labore perficiet. Quum autem virtutes sine labore, & dolore operatur, iam earum exercitia transcendit. Attamen ab operibus virtutum, donec anima à corpore separetur, nullus absolui potest, nisi anima illius supra seipsam raperetur, & Deus in ipsa agentis, expleret vicem in hoc tempore.] de quo hoc, vt congruentiori loco, semel pro semper monere voluimus piam animam; quatenus scilicet formiter obseruet hunc modum, quem in virtutis, & mortificationis exercitio toto tempore vitæ obseruare habet:

a *Gal.2.* b *vt inf. Dec.2.§ 10.* c *2.pet.1.* d *Taul.serm.4.in natiu. Dom.circa med.*

habet: neuè arbitretur, ex eo quod in posterum non amplius virtutis exercitia directè vrgemus; illorum nullam quoque curam habendam esse. quod omninò à vero, & arcano diuini amoris studio ita alienum est, vt potiùs omne id quod virtutis perfectio requirit, tanquam fructus bonæ arboris, vltrò sit proferendum, quam laboriosè, aut cum tristitia extorquendum. ac tum verè in praxi, inferior homo non amplius animalis; sed rationalis, & instinctui spiritus sancti promptè obediens, dici potest. cum autem ordinariè, toto statu priuationis durante, videatur mysticus non proficere; sed deficere, consequenter dicendum venit, quousque perfectionis spiritualis lineam extenderit.

De spirituali profectu, duratione, & transitu à priuationis ad vnionis statum.

ARTICVLVS SEXTVS.

SApientia vbi inuenitur, a & quis est locus intelligentiæ? nescit homo pretium eius, nec inuenitur in terra suauiter viuentium. abyssus dicit non est in me: & mare loquitur, non est meum. Vndè ergò sapientia venit, & quis est locus intelligentiæ? abscondita est ab oculis omnium viuentium, volucres quoque cœli latet; perditio, & mors dixerunt, auribus nostris audiuimus famam eius. Ac si diceret, ô pia anima; ne reputes rem paruam esse, sapientiæ, seu sapidæ scientiæ, & intelligentiæ locum, ac vbi sapida scientia ordinatè possideatur, inuenire. ideò enim nescit homo pretium eius, nec ingenti pecuniæ vi, emi potest; nec etiam inuenitur in terra suauiter viuentium; & creaturarum solatium (licet graui peccato non obnoxium) cum intima cordis delectatione admittentium. hinc & abyssus, seu fundus, ad quem, vt ad primum principium dilectionis diuinæ, generali, & tali quali modo fit recursus, & inhæsio mordax, dicit, non est in me, & mare operationum internarum loquitur, non est in me; propter maximam inquietudinem intellectus varias impertinentias repræsentantis. vt vel ideò alia atque alia operatio, ad præsens propria inquirenda sit. Vndè ergò sapientia venit, & quis est locus intelligentiæ? vt scilicet, pia anima in abysso diuinæ sapientiæ magis magisque radicetur, & congruè, ac ordinatè in mari operationum multarum laboret. Verè tam ordinata sapientia abscondita est ab oculis omnium alioqui piè viuentium, volucres quoq; cœli latet; ita, vt etiam in sacra doctrina, acutissimo ingenio pollentes, rem magnam præstitisse videantur, si summa illa à mysticis viris tum doctrina, tum vitæ sanctimonia claris, scripto tradita; & vera, & homini possibilia credant. hinc ergò tandem aliquando perditio & mors, (qua viuus sermo Dei, & efficax, in toto hoc priuationis rigidæ statu pertingit vsque ad diuisionem animæ, & spiritus) dixerunt; auribus nostris audi-

a *Iob.28.*

audiuimus famam eius. ac si dicerent; operationes nostræ illius sunt virtutis, vt per hoc quod inordinatum amorem, & naturalem eius operandi modum disperdimus, & emori facimus; tandem deducamus ad talem interioritatis locum, & spiritualem profectum, vbi à longè aliquam, & spem, & opinionem de supremo illo diuini amoris modo, concipi possit. quod quidem tum fieri incipit, quando in spirituali profectu eo vsque processit, vt non quidem sensibiliter *a* maior fiat, puta, si in primo anno fuisset intensus vt decem, in secundo anno debeat esse vt viginti, & tertio vt quadraginta, & ita consequenter; hoc enim sicut non fieri potest, sic nec fieri expetit; sed vt absque sensibili molestia potentiæ superiores inferioribus dominentur, & libenter appetitus inferior, rationis iudicio obediat.

Sed obserues, ô pia anima, quam perseueranti studio sapientiæ, & locus intelligentiæ disquiratur; non enim semel, vel ab vno, vel à paucis inquiritur; sed secundò interrogat, & vndique indagat sollicitè, ac post terram, ipsum mare examinat; quin & cœlos penetrat, & tandem perditioni, & morti se credit. vt videlicet discas diuinæ amicitiæ ordinatam fruitionem, prout supernaturali modo operandi per gratiam specialem à Deo infunditur; multa præludia, & varios status, eosque ad plures annos perseuerantes, præcedere faciem Domini. hinc Dominus *b* transit, & spiritus grandis, & fortis, subuertens montes, & conterens petras ante Dominum; & tamen non in spiritu Dominus, quo in statibus meditationis, & adspirationis, spiritu feruoris excitati spirituales Tyrones, montes vitiorum, & petras mortificationum, deprauatæ naturæ adhuc durissimas, studio virtutis, & orationis conterunt. post spiritum autem erat commotio, sed neque in commotione est Dominus; nec in statu contemplationis, quo anima de mundo, & supra seipsam eleuatur, & loco proprio quasi dimouetur, per cœlestem conuersationem. post commotionem autem erat ignis, sed nec adhuc in ipso igne, & hoc statu priuationis, in quo, vt aurum in igne liquescit, depuratur, & in imaginem pulcherrimam formatur, est Dominus. post ignem autem erat sibilus auræ tenuis, & in eo erat Dominus; quando scilicet ex ipsa interioritate spiritus, diuinæ naturæ consortium spirat; ceu aër in temperatissima regione hominem iucundissimè exhilarans. quod priusquam per supernaturale donum intellectus fiat, si ab eo tempore quo mysticus omnium primo, se suaque omnia exercitio recollectionis tradidit, computandum sit; circa sextum, vel septimum annum huc pertingens, rem suam sat benè fecisse censendus esset. Verùm si ab illo tempore computemus, quo amor secundum affectum, & vt dici solet, secundum sen-

a Inf. decis. 2. a. 5. *b 3. Reg. 19.*

sibilem amorem deficere incipit (post status meditationis, adspirationis, & contemplationis) posset status hic priuationis ad quatuor vel quinque annos durare. nonnulli enim ex ijs præsertim, qui ad status supernaturales disponuntur, primis duobus circiter annis amoris sensibilis, seu affectualis sphæram, & capacitatem pertranseunt. Verùm prout hic status in medio rigorem suum exercet, vix per annum durare solet: & circa finem etiam quando omnes potentiæ, & totum compositum hominis in vnum cum diuina voluntate confluit, tantundem. quod autem status priuationis tam diu duret, præter ea quæ superius *a* dicta sunt, hoc ipsum prouenit ex peccato originali, naturam vsque ad ipsam animæ essentiam vitiante, quæ priusquam peractus virtutis, mortificationis, & amoris diuini in rectum ordinem redigatur, labuntur dies, anni, & tempora: præsertim apud illos, qui durioris sunt naturæ, & fortioribus passionibus exagitantur, in virtutis studio tepidius agentes: idque vel maximè in flexibili illa adolescentiæ ætate, quando Spiritus Domini suauis, etiam quasi vltrò, & blande naturam vitiatam solet in benedictionibus dulcedinis præuenire, & quasi sale condire, ne illecebris mundi victa putrescat. & certè posset quis in sua vocatione tam negligentem, & effusam vitam ducere, vt tanquam alter languidus, *b* ad probaticam piscinam vel triginta octo annis iaceret, alio semper prius descendente, & sanato; dissoluto tali religioso indies durio. rem, cameli pelle interioritatem, cano, caluoque capiti tandem imponente.

Quando ergò ô pia anima, per huius spiritualis perditionis, & mortis aures, vel à longè minimum quid de Deo, & interiori successu audiueris bona spe erecta, ad vlteriores status transire poteris, quamuis nondum quidpiam singulare experiaris; dummodo ordinariæ desolationis mutatio, non ex actu aliquo transeunte; sed constanter, & permanenter contingat, cum aliqua inclinatione ad aliquid in se meliùs; licet nondum scias, aut intelligas quid hoc aut sit, aut quo etiam tendat. est enim amoris diuini eiusmodi procedendi modus, qualis in igne sancto illo apud Machabæos *c* fuisse legitur. cum enim filij Israel ducerentur in Persidem, sacerdotes, qui tunc Dei cultores erant, acceptum de altari occultè absconderunt in valle, vbi erat puteus altus, & siccus; & in eo contutati sunt eum; ita vt omnibus esset ignotus locus. cum autem post multos annos requireretur ignis, non inuenerunt ignem, sed aquam crassam, quam quidem cum sacrificijs aspersissent. & tempus affuit, quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita vt omnes mirarentur.

a 1. p. decis. 5. a. 1. b Ioan. 5. c 2. Mach. 1.

rentur, simili inquam, prorsus modo in mystica, praxi contingit. vndè ignis ille diuini amoris qui prius in altari præsentiæ Dei ardebat, (iuxta, alios & perfectiores modos tota prima parte explicatos) vbi in hac priuatione tanquam in altissimo, & profundissimo puteo cordis absconditur; in aquam crassam lachrymarum, mille querularum, & dolorum conuerti videtur: at vbi per gratiam modi operandi supernaturaliter repertus fuerit, ac sol diuinæ præsentiæ, (quæ prius in tenebris posuerat latibulum suum) per dictam gratiam resplenduerit; in holocausto animæ, voluntati diuinæ toto suo composito, & in omnibus viribus subiecto; accenditur ignis magnus diuinæ dilectionis; ita, vt merito, tam ipse practicus, quam qui eius dolores alias nouerant, mirentur, quod Dominus sit verè pius, & misericors, dans nomen nouum, quod nemo nouit, nisi qui accipit, nec credit, qui non accipit, nec magis indignum hac gratia se credit, nisi qui illam obtinuit.

Cæterum antequam ad ea quæ statum vnionis concernunt, transeamus, hoc vt maximè congruo loco, singulariter pro praxi obseruandum venit, quod quandoquidem imposterum virtutes essentiali modo exerceantur, ac per dona intellectus, ac sapientiæ procedatur: posse duos, vel plures mysticos, si simul à priuationis ad vnionis statum transeant, dein etiam simul admirabili conformitate, omnes status modi supernaturalis penetrare, & vt plurimum consimiles mentis regiones situs, atque operationes experiri: ita tamen, vt quilibet, in proprio suo in Deo habere, & viuere, plus *a* aut minus arctè, vitaliter, & profundè hoc ipsum præstet. sicut cum duo vel plures simul montem ascendunt; pari quidem gressu, sursum vel deorsum mouentur; vno tamen altero pulchriora quæque penitiùs vidente, & intimiùs considerante, prout oculus scilicet intellectualis cuiusque limpidior, & amoris vis tenerior fuerit; spiritu Sancto distribuente singulis prout voluerit. hinc etiam profluit, vt sicut in statibus modi naturaliter operandi, nulla, vt plurimum, inter mysticos esse solet simul procedendi vniformitas, sed admirabilis diuersitas; dum scilicet vnus antrorsum, alter retrorsum, hic sursum, ille deorsum tendit: ita è contrario, post statum huius priuationis (præsertim cum ad medium, aut summum status vnionis peruentum fuerit) maximam vniformitatem, simul in arcano Dei amore procedendi, reperiri, ac summe iucundum esse, si duo vel plures vniformiter in mysticis constituti, ordinato progressu, status supernaturales (qui aliter in initio, aliter in medio, & aliter in summo, diuinum lumen amorem spirantem distribuunt) congradiantur, & ab inuicem, illuminati, in absconditis diuinis consilientur. qui ergò sapientia benè

Z 2 vsi sunt,

a Taul. instit. c. 26.

vsi sunt, & sicut aurum, & argentum in igne probatum septuplum, tanquam participes amicitiæ Dei, & gratia modi operandi supernaturaliter a perfusi, ad sequentem statum vnionis transire poterunt: Vbi ad oculum cognoscent, quod sedentibus in tenebris, & vmbra mortis; transactæ priuationis; lux magna doni supernaturalis scientiæ, orta sit eis. quodque in paucis vexati, in multis benè disponentur, pro vt latiùs constabit ex sequentibus.

(***)

a *Vt inf. decis. 2. a 10.*

PRAXIS
STATVS VNIONIS MYSTICÆ
ET PRIMO
DE IIS QVAE FIVNT IN INFIMO
PER ALLEVIATIONEM AB HABITA PRESSVRA.
PARAPHRASIS QVINTA.

QVæ est ista quæ progreditur, pulchra vt luna. b pulchram, vt lunam, appellat piam animam, ac si diceret, illa quæ prius scilic. in statu priuationis, tanquam aurora progrediebatur, magis ardorem amoris depurantis, quam lumen actiuitatis spiritus præsefe.tẽs; nunc scil in statu vnionis, pulchra vt Luna constituitur, quando serenat, & ab illa duntaxat parte, qua soli obijcitur, lumen recipit. quod vti fiat, secundum quod status vnionis non summa; sed minora modi supernaturaliter operandi continet, iam dicendum c est interea verò pro ordinata, & accurata operatione, ac maiori in charitate radicatione, ad exercitium actus, hoc loco mysticum remittimus d ad praxin formationis operationum, seu verborum mysticorum (sine qua quidem praxi actualem cum Deo vnionem, aut incipere, aut continuare stylo ordinario impossibile est) vt illius

b *Cant. 6.* c *Paraph. 5. 7. & 8.* d *Inf. Paraph. 6.*

illius vsu conformiter ad suum statum vnionis, prout ille incipit, proficit,& perficitur, ac secundum notabiliores vicissitudines (paraphrastice descriptas) cooperari addiscat: præsertim cum ad mediam regionem status vnionis pertigerit; hic autem consequenter ponitur.

I. *Breuis deductio eorum quæ eueniunt in praxi toto statu vnionis durante.*
II. *Propria operatio, quamdiu anima in infimo vnionis versatur, est transitus in libertatem spiritus per susurrium mysticum.*
III. *A fundo obscurè ponderoso oportet se expedire; sed non ab essentiali internæ quiete.*
IV. *Non amplius procedere potest mysticus vt primum operans.*
V. *Alleuiatio quæ fit versus spiritum licet augeatur, eius tamen fruitio adhuc improportionata est.*
VI. *Nisi appetitus fruendi alleuietur secundum spiritum, facilè contingit relapsus ad tædium fundi.*
VII. *Circa regionem spiritus aduertitur lumen mysticum.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Breuis deductio eorum quæ eueniunt in praxi toto statu vnionis durante.

Fili hominis putasne viuent ossa ista; & dixi, Domine Deus tu nosti. & dixit ad me, vaticinare de ossibus istis & dices eis, ossa arida audite verbum Domini: hæc dicit Dominus Deus ossibus his. ecce ego introducam in vos spiritum, & viuetis. & dabo super vos neruos, & succrescere faciam super uos carnes, & superextendam in vobis cutem, & dabo vobis spiritum, & viuetis. Ac si diceret, ô pia anima, sicut propter ossium nimiam nuditatem, ariditatem, & dissipationem, impossibile videtur, vt reuiuiscerè possint, & in ordinem priorem componi, neruis, & carnibus reuestiri, ac spiritum, integramq; vitam recipere; ita quoq; vsu venire solet apud animam piam in statu priuationis, vsq; ad medullas ossium, & paulò minus quam ex toto consumptam, ita vt ipsamet vlteriorem progressum sibi impossibilem imaginaretur. donec in hoc statu vnionis, paulatim spe interioris perceptionis erigatur, lumen, & amorem suscipiat, & à spiritu diuino in pedes erecta, stet fortior, ac cum Iobo nouissimis suis magis quam principio eius benedicatur; cum eo tamen, vt sicut luna, in initio dum crescit, videri non potest, eo quod luminis nihil recipiat, quousq; aliquantulum, & quidem ex obliquo soli opponatur; ita quoq; in initio status vnionis pia anima modicum accipiat. quamuis enim per gratiam mysticam modi supernaturalis, & inhabitantem spiritum diuinum renata sit, & luminis diuini capax; hoc ipsum tamen nondum apparet. nisi cum in initio

a Ezech. 37.

paulatim ab habitis tenebris quasi cæcutiens, vidit nonnihil luminis; in medio autem, & progressu tanquam luna crescens, in lumine proficit; in fine verò, cum ad plenum, ac summum vnionis pertigerit, toto se luminosa fit: cum eo tamen etiam, vt licet luminosa cum luna efficiatur, hoc nihilominus non fiat ita perfectè, quin tenebrarum aliquas reseruet maculas, & tempore suo iterum ordinatè decrescat, & accrescat.

Et ideò etiam pia anima toto statu vnionis durante, non omnino à relapsu ad solcitatem, & carentiam proprij spiritus, expediri potest. donum enim intellectus (quod in statu vnionis mysticus consequitur) iudicium tantum perficit per simplicem perceptionem veritatis, cum sit habitus principiorũ, & capax redditur, vt ad intima eorum penetret, quæ in spiritu videntur, & dicuntur, vtq; rationibus æternis, & conspiciendis, & consulendis inhęreat: non tamen ea efficacia, & amoris abundantia, quæ in vires inferiores tam copiosè redundet, vt interruptionem bene afficientiæ, & carentiam eius, seu spiritus proprij solcitatem non incurrat. & hoc ipsum etiam quando in summo status vnionis fuerit; sicut & à sua plenitudine luna deficit: quoadusq; in statu Transformationis, tota pellucida ex dono habitus supernaturalis sapientiæ, ad instar solis luceat in virtute sua, non habens maculam; aut luminis, aut dilectionis adæquatę, deficientiam. sicut ergò post aliquam interioritatem acquisitam per status meditationis, & aspirationis; in statu contemplationis pro prima eleuatione, & quæ naturali modo operandi contingebat, ante hanc priuationem rigorosam ad superiora conscenderat: in statu autem priuationis, vsque ad infima quæque descenderat. ita modo ab inordinato amore depurata, de nouo in hoc statu vnionis eleuari incipit; ita vt totus status vnionis sit, primus ascensus modi supernaturalis, in quo ab infimis per media ad summum tandem procedit. interea verò ô pia anima, quamdiu in infimo status vnionis versaris, & quoadusque in spiritu viuens educat *a* quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem, subdita esto Domino, & ora eum. iam verò dictis ijs, quę in communi fiunt, ad specialia descendẽdum erit,

Propria operatio, quam diu anima in infimo vnionis versatur, est transitus in libertatem spiritus per susurrium mysticum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

AD me dictum est verbum b absconditum, & quasi furtiuè susceptit auris mea venas susurrij eius. Ac si diceret, ô pia anima, vt cognoscere possis interiorem præsentem tuam constitutionem, recogites velim infirmum aliquem graui morbo annis aliquot laborantem, & tandem ita viribus destitutum, vt nullum vsum sui corporis amplius habeat; sed tantum in eo adhuc se viuere ita sentiat; vt tamen se sanandum vix credat. vndè si medicus illi spem conualescentiæ dederit, tum profectò quasi verbum

a Psal. 36. b Iob. 4.

verbum absconditum ei dicit, & quasi furtiuè suscipit auris illius venas susurrij eius; dum quasi à longè, & remotissimè adstantis medici vocem audire, nimis tamen quam procul à promissa sanitate disiungi videtur, de sanitate adhuc nihil, de infirmitate autem totum sentiens, nihilominus tamen spes sanitatis datæ, in auribus, & intima cogitatione infirmi susurrat, & cogitare de conualescentia facit, ac in spem, contra spem, se erigere cogit, ita vt licet impossibilis videatur; quod tamen dictum est verbum sanitatis susurrat, nec quiescit, quin memoriæ se ingerat, & ita absconditum se esse ostendat; vt tamen vocem aliquam edat, & sanitatis cupiditatem adferat.

Ita prorsus contingere solet piæ animæ, quæ ex statu priuationis, & amore diuinitùs depurato reuiuiscere incipit; recenti liquefactione adhuc mollis, delicata, & ad maiestatis diuinæ consortium longè adhuc impar. & ideò tanquam propria operatio, [susurrium occulti verbi Dei; est ipsa loquutio inspirationis internæ: qui enim susurrat occultè loquitur, & vocem non exprimit, sed imitatur. quum ergò se omnipotens Deus per rimas contemplationis indicat, nequaquam nobis loquitur; sed susurrat; quia etsi se plenè non intimat; quiddam tamen de se humanę menti manifestat.] licet ergò Benignissimus Deus nondum se plenè intimet; cum eo tamen quantumcunque modicum sit quod manifestat, essentiali pace, & humili consensu acceptet, & viscerosis desiderijs dulcia susurria, & collaudes frequentare incipiat cum dilecto; ita tamen, vt licet interea quasi prophetante interioritate fiat sonitus, & commotio susurrij diuini, accedantque ossa ad ossa, & vnumquodque ad iuncturam suam per meliorem indies ordinationem ac pacem, ascendantque super ossa nerui, & carnes, & cutis desuper; quo ita paulatim disponatur ad suscipiendam amoris vnitiui bene-afficientiam; spiritum tamen nondum habeat; neq; intellectus operationes tolerare possit; quousq; ad mediam regionē ascenderit, ea quæ de operationibus spiritus proprij tractata *b* sunt consequatur. hinc etiam aliquamdiu finita priuatione, circa fundum, (sicut à carcere liber quidem, tamen adhuc recenti memoria adstante) gyrat, & mala perpessa recogitat. sicut enim nemo repentè fit summus, sic neque ab infimis ad media ilicò; sed ordinato progressu mouetur, priusquam se exuat stola luctus, & vexationis, quæ sola dedit intellectum luminis mystici, ad spiritus libertatem, & decorem, quem præparauit Dominus his qui diligunt illum. quod etiam contingit apud illos, qui diuino lumine ilicò, perfusi, singulariter gratiæ mysticæ modi supernaturalis infusionem perceperunt: Viuacitas enim talis infusionis non diu durat. & ideò etiam primaria actio, circa quam vtiliter in initio vnionis versatur, est vt ab habita pressura sese expe-

a *S. Greg. lib. 5. moral. cap. 20.* b *Paraph. 7.*

expediat, & in spiritus libertatem transeat, discatque intimè, & subtiliter de Deo sentire. sentire, inquam; magis enim secundum motus voluntatis, quam intellectus hic procedit. si quæ tamen pia anima ex illis, quæ status priuationis mutationem, cum singulari gratiæ infusione, & gaudio senserit, in spiritus libertatem simul deducatur; nec amplius opus habeat à perpessa pressura sese expedire: relictis hisce quę hic in initio habentur, ad ea quæ in medio dicuntur transeat. qui enim amicabilioris naturæ sunt, & ingenij facilitate pollent, licet alioqui illiterati sint, facilè à perpessa priuatione sese expediunt; præsertim si mutationem sui status, cum notabili, & subita illustratione accipiant. iam verò consequenter particularia inferioris regionis status vnionis, accuratiùs tractabimus.

A fundo obscurè ponderoso oportet se expedire; sed non ab essentiali interna quiete.

ARTICVLVS TERTIVS.

BOnum est a *præstolari cum silentio salutare Dei.* Ac si diceret, ô pia anima, quæ adhuc nonnisi in centro, & fundo amoris erga Deum sanata, & benè ordinata es, ac quam facilè, & libenter in temetipsa sub collecto gustu habitus; cum intellectus operationes adhuc impares, & peregrinæ admodùm appareant: scias velim vtilissimum, & hoc loco maximè proprium esse, præstolari cum silentio salutare Dei; dummodo hoc ipsum ita silentiosè vt non otiosè, & taliter qualiter, aut in ponderoso fundo, obscurè fiat. quod tunc facillimè contingit, quando pia anima aut gustum, quem ex infusione intensioris gratiæ percipit, nimis diu retinere, & quasi violenter constringere satagit. tum enim potentias spiritus quodammodo suffocat, & extra actionem boni constituit, aut quando ita præstolari vult salutare Dei, vt nil interea agat, nudè exspectans, vt Deus ex seipso, & solus operetur (quod quidem huius *b* loci non est) & sic otio exposita, facilè tædium ex interna incarceratione, & quasuis obuias distractiones, noxias sue repræsentationes, ac stimulos incurrit.

Debet ergò pia anima gustum consortij diuinæ naturæ, quem vitaliter in ipsam voluntatem ex animæ essentia fluere percipit; silentiosè admodum in omnes vires (quantum fieri poterit) libenter, vt effluat, permittere, nec vllo modo pertinaciter velle retinere; sed cum intima illa dilectionis benè afficientia, quodammodo obscura, crassa, tepida effecta fuerit, nouo, & interioritati conformi silentio, iterum humili, & reuerentiali subtilitate, ad consortium diuinæ naturæ in voluntate radicatum sese conuertere, ac modestè, quod concessum fuerit, exsurgere, aspicere, coque oblectari, semperque oculum atten-

a *Lament. c. 3.* b *Sed inf. Dec. 6. n. 15.*

attentionis intrò renouare. cum autem eiusmodi gustus defecerit, hoc ipsum humiliter sustinere, & alium effluxum vitalem patienter ita quidem præstolari; vt tamen frequenter, & ordinaria praxi attentionem renouet, audiatque si quid intus Dominus susurret. & tum quidem ita à fundo obscurè ponderoso sese expediet; vt tamen essentialem, & realiter infusam quietem cordis non dimittat; sed illam renouando foueat. & hisce quidem diligenter obseruatis, nouo modo interiùs operandum esse, notabiliter ex sequentium praxi constabit.

Non amplius procedere potest mysticus vt primum operans.

ARTICVLVS QVARTVS.

NVnc filij Dei sumus a & nondum apparuit quod erimus. ac si diceret, ô pia anima, quamuis gratiam modi supernaturalis à Deo consecuta sis; hoc ipsum tamen nondum potes apertè experiri. sicut enim arbor prius firmam radicem figat oportet, antequam florere possit, & fructus proferre; ita quoque in ipsa animæ essentia, (quæ ex originali peccato vitiata, & tum intellectu, tum appetitu facilè à Deo, vt à prima veritate, & summo bono, ad aliud impertinens mouetur) magis magisque radicari, & deinde diuinæ naturæ consortium, per prius in voluntatem, dein intellectum effluere habet, antequam viuaci perceptione ad alias potentias, & totam hominis circumferentiam diffundi possit. & ideo nondum apparet gloria filiæ regis ab intus, & modus operandi vt primum non operans, seu Deo se vniens; id est, non sicut in aliud ad extra, & obiectum à se distinctum tendens, prout in statibus meditationis, adspirationis, & contemplationis fieri consueuit: sed vt in seipsa manens, & operans, & vnum ex vtroque, Deo scilicet, & se coniungens.

Cæterùm propter varia etiam accidentia sæpè non apparet, vitalis illa bene-afficientia, quę in voluntatem fluere habet; vt indè species, imago, seu similitudo quędam ad operationem mysticam necessaria, fabricetur. vt (verbi gratia) si quis cum his absconditis, vacare deberet intellectuali studio, vt puta lecturæ, aut officio concionis, intensè, & ordinariè se applicare: vel si annos adolescentiæ, & virilis ætatis in interiori homine hucusque produxisset, nondum vinculo matrimonij constrictus, aut iugo Christi subiectus, in propria libertate degeret; & modò ad sæculi honesta commoda, modò ad religionis statum inclinans: vtrobique autem dubijs, & anxietatibus vallatus. vel, si quis practici huius ordinis ignarus, tenues hosce operandi modos non inueniret, velletque vt primum operans, in aliud à se distinctum propria operatione tendere; cum magis intigilandum esset, vt sese in suo interiori

a 1. Ioan. 3.

vitali aliquo affici indueret, in eoque seipsum dilataret; licet modò prius incipiat supernaturali modo consortium diuinæ naturæ imbibere; vt dein paulatim superioribus potentijs, & toti circumferentiæ communicetur.

Sicut ergò caueri debet, ne quis in præsenti statu per discursum, aut vt in aliud extra se, & distinctum à se procedat: ita quoque paulatim obseruari debet, Deum per gratiam mysticam (pro vt ex essentia animæ ipsam voluntatem consortio diuinæ naturæ benè afficit,) imposterum esse, vt primum operans, & vitalē suæ diuinitatis gustum primò præbens, vt dein pia anima sua operatione cooperetur, speciesque ad exercitium actus *a* producat. & hic est modus essentialis, vel essentialiter operandi, de quo apud mysticos Scriptores tam frequens est mentio. secundùm quem, quando non tantum hoc loco; sed etiam toto ascensu status vnionis, vitali gustu in voluntate prius non afficitur, nec illam per operationes internas, conatusque excitare potuerit: tum toto suo esse, habere, & sentire, essentialem quandā submissionem ad Deum continuet, & humiliter ferat; quod licet pia anima admissa sit hæres amicitiæ Dei, ab illa tamen relabatur; aut præsertim hoc loco, illius vsum notabilem non habeat; benè contenta, quod paulatim ab habita pressura respiret, & in alleuiationem spiritus, ac nouam ad instar cœli cuiusdam regionem, sese eleuet. sicut enim hæres quanto tempore paruulus est, sub tutoribus, & actoribus est, cum sit Dominus omnium, vsq; ad præfinitum tempus à Patre, vsu, & dominio bonorum suorum ad libitum, adhuc carens: sic quoque in pia anima vitalis gustus, & consortium diuinæ naturæ, ex centro seu animæ essentia (in qua gratia, quæ est vita æterna, residet) ad circumferentiam modicè fluet. ita, vt vel maximè ideò nondum tam facilè, & frequenter species vitales elicere possit, cum ipse gustus, ex quo species etiam inaduertenter, per intellectum agentem fabricantur, adhuc valdè tenuis sit. quam subtilis ergò operatio hic sit necessaria, consequenter dicemus,

Alleuiatio quæ fit versus spiritum licet augeatur, eius tamen fruitio adhuc improportionata est.

ARTICVLVS QVINTVS.

VIdi cœlos, b *& ecce non erat lux in eis.* ac si diceret; ô pia anima, qui de nocte cœlum intuetur, quando nec luna, nec stellæ in custodijs suis dant lumen suum; is quidem maximam conspiciet amplitudinem, & spatiosissimam vacuitatem, vt luminis quidem receptaculum, & locum, non autem vt ipsum lumen: ita quoque interiora hoc loco aspicienda erunt, in eisque spiritus alleuiatio quidem aduertenda, & ad superiora erigenda; non tamen illa satisfactione, vt in voluntate notabilem aliquam fruitionem, & bene-affici subsequa-

a *vt inf. paraph. 6.* b *Ierem. 4.*

quatur. hoc enim adhuc fieri non potest, sicut nec debet. frequenter enim toto statu vnionis aliquid videtur prius, quã id quod videtur assequi liceat. sicut oculus subitò, & procul conspicit pulchram regionem; cui tamen ipse qui videt, nondum præsens est, vt in ea quiescere, & bonis eius frui, possit.

Sicut ergò primum, quod post perpessam pressuram, & illam priuationis rigiditatem contingit, est alleuiatio à nimia fundi, & interioritatis captiuitate: ita etiam primum, quod anima consequitur versus spiritum, & ad hoc, vt vnum cum Deo fieri, & nouo modo, seu absque discursu, & vsu phantasmatum, (prout rerum sensibilium, seu materialium sunt imagines) operari possit; est visus ad superiora se erigens; non tamen adhuc proportionatam fruitionẽ continens. & ideò pia anima debet humillima in Deum tendentia, superiora sua tanquam cœlum, cui lux nondum inest, intueri, nec maiorem fruitionem velle extorquere, quam illa sit, quæ ex notitia sequetur; quod scil. in alleuiatione erga spiritum quidem crescere, & ampliari se sentiat; nondũ tamen inibi realem permanentiam, & vitæ respiraculum obtineat; interea semper pro exercitio actus, diuini non tantum boni, quod per modũ fundi habetur; sed etiam diuini pulchri, cuius lumen versus spiritum videtur memoriam renouando. vt autem efficaciter hæc practicentur, in sequentibus, fundi inclusionem reijcimus, & ad spiritus alleuiationes deducimus,

Nisi appetitus fruendi alleuietur secundùm spiritum, facilè contingit relapsus ad tædium fundi.

ARTICVLVS SEXTVS.

QVæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus a *myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij.* ac si diceret: O pia anima, adhuc desertum quoddam est ita Deo vniri; vt tamen non integrè eiliceat vnum per amorem fieri. vnde etiam adhuc nigra per tot internas mortes, tanquam vniuersi pulueris pigmentarij massa, omnium primum accendi incipis, & sicut virgula fumi in altum ascendis; in tota quidem interioritatis tuæ massa nigredinem habens, & lumine spiritus adhuc carens: ita tamen, vt simul ignem habeas, & leuiorem ad Deum tendentiam. qui quidem ignis dum obscurè ardet, ipsam massam, & pondus obscuri, ac tædiosi fundi in tenuem, beneq; olentem fumum, diuinæque naturæ consortium, & vnitatem absumit, & in aërem, ac spiritualem dilectionem alleuiat; dein inuisibili subtilitate odoratum, seu occultissimam spiritus capacitatem perfundens.

Debet ergò, ô pia anima, appetitus fruitionis, non in massa illa inferiori, & nigra, ac nocturna obscuritate foueri, sed per appetitum ad primum, & summum bonum alleuiari: sicut fit, quando ignis massam optimi odoris, sua actiui-

a *Cant. 3.*

rate, & à pondere, per fumi subtilitatem, & à nigredine per ignis candorem liberat. secus enim id quod spirituale est, & ad spiritum erigi debet, facilè ad pondus fundi obscuri trahitur, ibidemque miserè incarceratur. in quam quidem fundi obscuritatem (ob incolatus sui inibi prolongationem) se inclinari, & frequenter dilapsam se inueniet pia anima, dummodo hunc defectum corrigere studuerit. mirabilis enim est amoris proprij quæsitio, quæ cum in spiritu magnum quid non inuenerit, ilicò, imò quasi ordinariè ad fundum, tanquã ad primum, & indelebile amoris diuini principium, (licet ex originali peccato vitiatum) se recipit, eiq; tam profundè immergit, vt indè ad superiora sese erigere, pro nimis tenui gustu ducat, malitq; crassis sensibilitatibus, & obscuris ponderibus se etiam cum tædio onerare, quam subtili appetitu spiritus ad superiora respicere, nouamque cœli regionem inhabitare: atque in ea substantijs separatis conformes actiones producere. & hinc prouenit quod non nulli post statum priuationis, dum sese deberent ab habita pressura absoluere, magis, magisque tenebris inuoluant, & tædiosis pressuris concludant aliquot annis: ac de toto ascensu spiritus, quem in hoc statu vnionis explicamus, modicum quid participent. & ideò sicut susurrium istud, in fundo semper aliquid quod amicitiam diuinam redoleat, proferre consueuit; sic vbi in ea tædiosa constrictio animaduertitur, ilicò in spiritu alleuiari, & ab habita limitatione in amplitudinem eleuari debet; vt ad operationes, & actiones conformes ad Nunc instans, pertingere valeat: quas tamen hoc loco nondum magnas, aut vitaliter intensas, siue secundùm centrum, siue secundum spiritum, affectare debet. quamuis enim hic ignis amoris diuini ardeat; & anima vnum cum Deo effecta sit, vti massa vniuersi pulueris pigmentarij cum igne, eius tamen ardoris natura est, vt magis fumum, quam calorem, & odorem potius, quam saporem excitet. hinc etiam sicut in fundo, ceu voluntatis centro, diuini Boni afficientia; sic in spiritu ipsæ actiones boni, ipsum bonum, & pulchrum renouantes, & fouentes residunt; & pro actus exercitio, postquam humili reuerentia pia anima se ei prostrauerit, quæ ex nunc se ei per diuinitatis suæ beneplacentiam, nouo modo manifestat, per spiritus subtiles intuitus penitiùs videt, quem tanta pietate colit. hinc etiam boni gustus perficitur, quod intellectus gustum, quem voluntas, seu amatiua virtus habet, inspiciat, dijudicet, cogitet, recogitetque, & similibus spiritus operationibus quodammodo masticet, digerat, & in sui nutrimentum conuertat.

quanta porrò adhæc consolatio in pia anima subsequatur, constabit ex sequentibus.

Circa

Circa regionem ſpiritus aduertitur lumen myſticum.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

PAululum cum pertranſiſſem eos, inueni a *quem diligit anima mea*; ac ſi diceret, ô pia anima, ad hoc vt dilectum inuenias, in eiuſque lumine lumen videas, vnicum eſt neceſſarium; vt ſcilicet inclinationes illas, ad principium amoris in fundo, ſeu cordis interioritate tendentes, pertranſeas, & ad ſpiritus regionem te erigas; cum hoc loco non amplius per modum fundi; ſed ſpiritus dilatationem, & eleuationem procedendum ſit. & ideò dicitur paululum cum pertranſiſſem eos, ſcilicet tractus, qui ad amorem cordis, præſertim craſſum aut triſtem, inclinant; ilicò inueni quem diligit anima mea, & didici ſphæram actiuitatis meæ, in qua vnum cum ſpiritu diuino effici debeo, non in fundi conſtrictione, ſed in ſpiritus regione, & noui cuiuſdam luminis intuitu, Deique ſubtili memoria conſiſtere.

Contingit enim hic myſtico, ſicut illi, qui ſereno cœlo nocte obambulat, attentè deſiderio alicuius boni abreptus; in tantum, vt ſe ambulare, & tempus impendere non obſeruet, quouſq; ad ſe reuerſus, ad lunæ præclarum lumen ſeſe progredi, & ſecurius pedem figere, ac nonnihil ea, quæ circa ſe ſunt, aſpicere animaduertat. pari, inquam, modo (interea quod viſterioſis deſiderijs ad meliora, licet nondum ſatis cognita, procedit) tandem ilicò omni dubio ſublato, in toto ſuo habere, & viuere experitur, ſe ob inhabitantem gratiam diuinam, nullis vnquam futuris temporibus, tam rigidè amplius Dei amicabili præſentia deſtituendam. quæ quidem certitudo, cum indicibili gaudio contingit illi, cui datum eſt donum, & nomen nouum quod nemo nouit, niſi qui accipit. Vndè etiam cum admirabili gaudio dicit cum pſalmiſta, Domine quantas oſtendiſti mihi tribulationes, multas, & malas, & conuerſus viuificaſti me, & de abyſſis terræ iterum reduxiſti me. nam quia anima mea agonizauit pro ſapientia, & venter meus conturbatus eſt quærendo illam, propterea bonam poſſidebo poſſeſſionem. Vbi ergò pia anima, in ſpiritus regione lumen myſticum animaduertit, tota, & læta, & admirabunda dicit; paululum cum pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea. Vndè etiam pro exercitio actus, & interna fruitione diuinum illud lumen ſpirituali iucunditate miratur, & mirando veneratur, eique & immorari, & bonitatem illius perſcrutari, cum eaque vnum fieri, & appetit, & ſe vnum cum eo fieri conſpicit, maximèque gaudet, prout ex ſequentibus conſtabit. ad quæ etiam ſeſe transferre poterit pia anima, quando maiorem inclinationem ad ſpiritum, & ſuperiora, quam ad fundum, ſeu inferiora in ſua interioritate animaduerterit; ſiue multum, ſiue modicum tempus expenderit,

a *Cant. 3.*

in ijs quæ post priuationem in initio ſtatus vnionis fieri dicta ſunt. cæterum priuſquam dicamus de ijs, quæ in medio & ſummo vnionis eueniunt, hic vt congruentiori loco de operationibus ſtatui vnionis proprijs dicendum erit.

PRAXIS
FORMATIONIS OPERATIONVM
SEV VERBORVM MYSTICORVM AD EXERCITIVM ACTVS, PRO STATV VNIONIS PER SPECIES EXpreſſas ad menſuram doni intellectus ſupernaturalis.

PARAPHRASIS SEXTA.

AVris a *verba diiudicat, & fauces comedentis ſaporem.* ac ſi diceret: ô pia anima, ſicut in corporalibus non quælibet potentia omnia obiecta; ſed quælibet potentia ſibi proprium obiectum percipit; ſic quoque, & longè amplius in ſpiritualibus contingit: ita vt intellectus ſolum videat; ſicut auris ſolummodo audit; & voluntas ſola directè diligat, ſicut ſolus guſtus ſuaue diiudicat. id quod in ſtatu vnionis (qui minora modi ſupernaturaliter operandi continet) quotidiano vſu magis, quam in cæteris omnibus ſtatibus obſeruari debebit. cum enim potentia intellectus, hoc loco vt plurimum, inadæquatè procedat; ita vt initio ſtatus vnionis, ab amatiua virtute vix tolerari poſſit: in medio autem amoris oculus conſtituatur; in ſummo verò, ad ſublimia præcedendo amorem quoque eo alliciat; oportet cuilibet potentiæ, & ſtatus regioni ſe ſe accommodare, & modo aure ſpirituali audire, modo autem, quod intellectus viderit, voluntatis ſuauiolentia guſtare. idque ſemper per ſpecies expreſſas, id eſt, per induſtriam cooperationis propriæ; quando exercitiũ actus pro Hic, & Nunc, inchoatur: quod in hoc ſtatu frequentiſſimum eſt. cum enim adhuc rarò in actu perfectæ intelligentiæ myſticus

a *Iob. 12.*

sticus subsistat; facillimè intellectus admirabili sua actiuitate, volubili inconstantia, ab optimo vnionis ad eius medium, & à medio ad infimum; aut etiam nimis quam sæpè, ad impertinens aliquod dilabitur: non quidem secundum statum, prout ille in regionem infimam, mediam, & supremam diuiditur. sed prout in exercitio actus, vnionis fruitio acquiri, perfici, & foueri solet. vt autem hæc omnia commodè, & ordinatè practicari valeant; semel pro semper singulari memoria recondendum est, aliud esse in statu aliquo perfecto seu modi supernaturaliter operandi esse constitutum; & aliud Hic & Nunc perfectè operari. nam postquam pia anima semel, v.g. statum vnionis, vel transformationis fuerit adepta, non solum in eo semper manet; sed continuò in tali statu progreditur: verùm in actus exercitio penè omni hora, aliter atq; aliter operari habet; & sæpissimè (imò quando per species expressas oratio mentalis aut incipienda, & continuanda est, ordinariè) per intellectum agentem procedendum, & tam diu susque deque inquirendum est, quousq; species aliqua vitaliter de Deo afficiens elici, continuari & foueri possit: & hoc sicut est facillimum in transformatione; ita satis difficile est in statu vnionis; eo quod in illo, per donum intellectus, ipsa voluntas nondum adæquatè (saltem vt plurimum) vitaliter in Deo afficiatur, nisi in quantum per operationes intellectus agentis excitata fuerit. Itaque præter ea quæ in toto statu vnionis, ab infimo, medio, & supremo contingere ostendimus de particularibus pro Hic, & Nunc omni hora, aut penè momento necessarijs, & statui vnionis operationibus proprijs prius, & antequam de ijs quæ in medio, & summo vnionis contingunt, dicendum fuit,

I. De Praxi ad exercitiũ actus status Vnionis pro vt per imperfectas operationes, disponit ad exprimendam speciem propriã, vt causam actualis amoris.

II. De Praxi ad exercitium actus, ad Hic & Nunc, pro vt per species expressas vitalis gustus consortij diuinæ naturæ, in actu transeunte, vel immanente incipit, perficitur, continuatur, excedit, remittit, interrumpitur, deficit, ac reincipit.

III. De Praxi ad exercitium actus pro vt per donum intellectus, ordinatè, & continuò perfectiùs aliter atq; aliter, mystica tum dimensiones, tum species formantur.

IV.

IV. Quemlibet statum supernaturalem non tantum diuidi in tres substantiales regiones sed etiam harum singulas subdiuidi in varias circulares operationes seu gradus quosdam.

V. Regulæ, axiomata, seu maximæ quædam generales mysticæ ad exercitium omnis actualis operationis modi supernaturalis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Praxis ad exercitium actus status vnionis, prout per imperfectas operationes disponit ad exprimendam speciem propriam, vt causam actualis amoris.

POst a *industriam sequetur sapientia.* ac si diceret, ô pia anima, omne quod recipitur, per modum recipientis recipitur; & ideò non directè, aut subitò ad gustum amoris diuini peruenitur, quando magis actiuè, quam passiue, & per species expressas intellectus agens procedit. tum enim semper prius oportet, vt intellectus hinc inde respiceat, & loco præambuli, seu proximæ dispositionis æterna spectacula aliquando sursum, aliquando deorsum, dextrorsum vel sinistrorsum, antrorsum, vel retrorsum, tanquam audiens vocem post tergum monentis, inspiceat: & hoc ipsum quidem non tanta puritate, & quiete, quanta desideraret; quæq; propria sit, vt inde amoris bene-afficientia exprimi possit; sed sæpè obliqua ad diuinorum radiorum tendentia. pro horum ergò clara notitia, sciendum est, quod obiectum intellectus nostri sit quod quid est, seu quidditas in materia existens, quodque nostra cognitio à sensibilibus ortum habeat. iam verò licet hoc loco sensus, & sensibilia, ad formandam aliquam propriam speciem, id est, Dei similitudinem, vt causam actualis amoris, insufficientia sint, & vt improportionata reijciantur; hoc tamen non ita absolutè fieri potest, quin aliud loco sensuum, & sensibilium substituatur. & hoc Paulus ad oculum facit, quando Ephesios ad arcana diuinitatis deducere cupiebat. tunc enim à dimensionibus, & circulis quibusdam diuinis, quique diuinæ sapientiæ particulæ quædam sunt, & vestigia, incipit dicens: vt in charitate radicati; & fundati possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum. atque ita circa Dei totalitatem integrè considerandam, quatuor inter se distincta proponuntur. primò quidem ipsa diuinitas, quæ latè se extendens, tribus personis sanctissimæ Trinitatis vna, & eadem est æqualiter. Secundo verò persona Patris, quæ in longitudine dierum æternitatis, siue in Nunc æterno Filium sibi æqualem generat: Tertio autem persona Filij, quæ in diuinæ naturæ sublimitate est splendor, & figura substantiæ patris: Quarto tandem persona Spiritus sancti, in quodam profundo amoris, ab vtriusq; bono

a *Eccles. 10. c.*

bono, operatione & amore procedens. vel etiam intellectus loco *a* sensuum alia substituit, & dicit iuxta Sacræ scripturæ loquendi modum, quod Deus sit magnus, paruus, summè bonus, maximè speciosus, & plura similia.

Intellectus itaque in infimo sui, id est, in imaginatione, horum aliquo benè munitus, ne scilicet ab aliqua alia inutili, aut minus congrua imagine distrahatur; protinus ad priorem aliquam speciem (quæ aliud non est, quam quædam diuinitatis similitudo) exprimendam se erigit, aut deprimit, extendit, aut restringit, antrorsum vel retrorsum, se recipit; & hoc ipsum tam diu, quoadusq; tandem puram aliquam, ac simplicem speciem, siue talem diuinitatis radium, lumen, ac pulchrum consequatur, ex quo, in voluntate vitalis aliquis gustus, amor, seu bene-afficientia possit haberi: atq; tum demum, & non citiùs, intellectus agens pro Hic, & Nunc speciem realem, ac propriam illius vitalis gustus format; intellectus verò patiens ilicò ex sua fœcunditate, etiam mystico (præsertim illitterato) non aduertente; eundem vitalem Dei gustum illustrat, diiudicat, totamque illius felicitatem pronuntiat, ac vnum perfectum verbum mysticum dicit, id est, operationem diuini amoris exprimit. atq; ita verè in praxi mystica, post industriam scilicet conformiter operandi, prius sequitur sapientia, id est, sapida scientia, ceu spiraculum vitæ; quo fit in animam spiritualiter viuentem, vt ea mediante, dein in exercitio actus, fruitionem vniriuam quam modo per vnum actum incepit, ilicò continuet. *b* Et hæc quidem omnia non tantum sunt præstanda, quando ab opere aliquo externo, puta agricultura, studio, aut concione; sed & quando à pia aliqua precatione, verbi gratia, horarum canonicarum, missæ sacrificio, aliaue vocali oratione, mentale exercitium arcani amoris est auspicandum. hæc enim licet pientissima sint, adiunctum tamen habent actualem vsum sensuum; vt scilicet ea quæ legenda sunt videat, & quæ audienda sunt audiat; & rationis discursum, vt scilicet vnum post alterum pertinenter audiat, legat, cantet; & eorum significationes intelligat, ac etiam in voluntate amorem diuinum excitet: quæ omnia mystici cum omnibus alijs pijs catholicis, suo tempore communia habent. cum autem ad purè mysticas actiones se conferunt, hæc cum alijs deserunt, transcenduntq;, vt in spiritus purissimis actionibus Dei amorem viciniùs attingant.

Cum primis autem hoc loco pro quotidiana praxi annotandum est. frequenter etiam in vno die piam animam, licet tanquam apis argumentosa omnem diligentiam adhibeat, attamen nec ad vitalem gustum, multoque minus ad amoris fruitionem pertingere; sed horas, & dies in continua inquisitione modo sursum, modo deorsum, sinistrorsum vel dextrorsum, antrorsum, vel retrorsum, ad conformem aliquam

a *vt latius hic n. 2.* b *vt hic n. 2.*

Dei similitudinem exprimendam, impendere: non sine tristi, & arida tolerantia. quæ vt leuiùs feratur, & non tam propriæ negligentiæ, ac internæ infidelitati, adscribatur, recogitandum est primò; quod licet post priuationem infundatur gratia *a* modi operandi supernaturaliter, ita vt ius, & propriam dispositionem habeat ad vitale consortium diuinæ naturæ: hoc ipsum tamen nondum apparere, sed successu temporis, quando in charitate magis, & magis radicem fixerit, & in medio scilicet, aut summo status vnionis constituta: ac tandem dono sapientiæ supernaturalis à Deo dignata fuerit. Secundo aliud esse aliquid habere, aliud habitum retinere, fouere, & in eo oblectari. aliquando enim, imò frequenter in initio, & medio vnionis pia anima inueniet aliquem vitalem in Deo gustum; sed minimè illum poterit (etiam per quamcunq; adhibitam diligentiam) fouere, & per intellectus operationes ad fruendum dirigere: nec tamen interea negligenter agit, aut tempus minus vtiliter expendit; sed hisce strenuis conatibus diligenter contestatur, quia ipse altissimus sit, quem diligit anima eius; vndè etiam meritorijs actibus multiplicatis, continuò in charitate magis radicatur, & ad vlteriores spiritus progressus disponitur. interea verò hic consequenter dicemus, quomodo actus exercitium perfectè incipiat, & perficiatur.

Praxis ad exercitium actus, ad Hic & Nunc, prout per species expressas vitalis gustus consortij diuinæ naturæ, in actu transeunte, vel immanente incipit, perficitur, continuatur, excedit, remittit; interrumpitur, deficit, ac reincipit.

ARTICVLVS SECVNDVS.

SPecie *b* tua, & pulchritudine tua intende, prosperè, procede, & regna. ac si diceret, ô pia anima, non qualibet specie assumpta; sed tua, id est, tibi proportionata, & pro Hic, & Nunc congrua in interiori tuo procedere debes. vt autem hoc ipsum absq; ambiguitate præstare valeas, sciendum est primò, speciē mysticam (de qua tantum hic loquimur) nil aliud esse, quam similitudinem de Deo, Eiusq; diuinitate ab intellectu formatam. cum enim in hac vita, absq; singulari gratia (quæ vel tribus contigisse vix conceditur) ipsam diuinam essentiam (licet in Ecstasin, vel raptum spiritus eleuetur) nullus videre possit; hinc intellectuali lumine cogimur Dei aliquam similitudinem exprimere, vt iam hic supra *c* dictum est. Secundò, quod cum dicitur Hic, *d* & Nunc, hoc innuere; quod, quando, per species expressas, id est, per illas quas à nobis ipsis formamus, oportet operari; quod tunc ab infimis, quæque loco sensuum sint, incipiamus. Vndè ipsum Hic respicit aliquam intellectus extensionem, dimensionem, situm, vel vbi, secundum quod

a *vt inf. Dec. 2. n. 10.* b *Psal. 44.* c *art præced.* d *vt latiùs inf. Dec 6. n. 1.*

quod mysticus, vel supra, vel infra, antrorsum, vel retrorsum, dextrorsum, vel sinistrorsum se dirigit; vt quod intendit summum pulchrum diligendum, pro primo actu, & ingressu inueniat, inspiciatque. ipsum Nunc autem aliud non est, quam illud momentum in quo pulchrum vitali gustu, id est ex aliqua voluntatis bene-afficientia, complacentia, seu dilectionis suauitate, licet non sensibiliter intensa, obtinet. sæpè enim diu multumque pia anima laborat, priusquam etiam omni adhibita industria, aliquam amoris perceptionem in voluntate consequatur.

Itaque specie propria Hic, & Nunc habita cum vitali gustu, dicitur intende prospere, procede, & regna. ac si diceret, iam, seu hoc momento disposita es, vt vnitiuo amore perfruaris: eo ipso enim quo de diuino Bono voluntas quidpiam gustat; ipse intellectus gustus illius speciem aliquam, seu similitudinem format, illuminatq; incipiendo; dum autem diiudicat ilicò etiam perficit, ac subtiliorem gustum exprimit per ipsam speciem; ac rursus dum expressum boni gustum amplius illustrat, diiudicatque, ad gustum magis subtilem penetrat. hoc autem tot iteratis vicibus præstando, ipsam vnionem, & fruitionem per actualem visum continuat, renouat, fouet, & diuino nutrimento alit supra omnem affirmationem, vel negationem. licet enim toties quoties per species expressas exercitium mysticum inchoatur, in initio aliquid (licet plus minus, directè, aut sollicitè) de diuino bono, aut pulchro affirmetur, aut negetur; in progressu tamen, & quando per continuas actiones ad puram, atque ab omnibus inquirendi modis absolutam fruitionem pertingit, non amplius quidpiam affirmat, aut negat; sed ipsum actuale consortium diuinæ naturæ per actiones mentis digerit, & vt suum possidet: subindè etiam ad amoris excessum, intellectus operationes supprimentem, tanquam ad Ecstasin inchoatam, & modi-nesciam à Deo susceptionem penetrans; vt dein primo instanti quo intellectus restitutus fuerit, pulcherrimam diuini Boni speciem, ceu agalma, ad super-excellentes operationes exercendas, eliciat. vt latiùs dictum est *a* infra. ex his verò dictis apertè videtur primò, quod habita specie propria in Nunc præsenti, ipsa vnio facillimè, & iucundè foueatur, ac continuetur; scilicet solummodò videndo ipsum pulchrum, quod suo bono ita benè afficit, vt ex eiusmodi bene afficientia, intellectus nouum pulchrum conspiciat, ad intimiùs ipsum bonum consequendum. & eo sensu dicitur, Domine ostende nobis patrem, & sufficit nobis, id est, sicut pater æternus est principium operationis ad intra in sanctissima Trinitate, ita vt illa posita, aliæ facillimè subsequantur; ita quoque pia anima habito semel vitali gustu diuinæ naturæ, vt id à quo species ab intellectu formatur, dein facillimè ex fœcunditate, & naturali vtriusque potentiæ in-

a paraph. 9. a. 3.

tellectus scilicet, & voluntatis inactione, fruitiuum amoris exercitium instituet, continuabitque. & hoc ipsum tantò attentiùs, quantò vitalis gustus fuerit magis intensus, & ad distractionis aliquam impertinentiam minus inclinatus, vel etiam ipsam actualem vnionem interrumpens. Secundò quod mystica fruitio, in quocunque modo, aut statu perfectionis exerceatur, non per inhæsionem; sed per nouam, & perfectiorem intellectus, & voluntatis successiuam operationem, continuare debeat. intellectus enim, & voluntas, nisi nouis subordinatis actibus, quodammodo excitentur, non mouent, sed flaccescunt, remittunt, interrumpunt, deficiunt, & facillimè ad alia dilabuntur.

Et quidem circa remissionem, interruptionem, & deficientiam actualis exercitij vnitiuæ fruitionis, in praxi quatuor contingere solent. Primum est, quod interea dum diuinum Bonum, intellectus suo pulchro illustrat, diiudicat, & bonum ipsum fouet, fouendoque perficit, subindè aliud ad amoris continuationem non pertinens occurrat, interrumpat, seu distrahat; ac tum quidem si distractio animum, vel appetitum non simul abripiat; facilè mysticus præsens amoris exercitium prosequetur: neque plus impedietur, quam oculus ab eo quod intensè aspicit, licet musca aliqua interuolet. Secundum est, quod aliquando id, quod in actuali vnione supremum habuit, pro Hic, & Nunc perfectissimo quidem, seu maximè intenso actu remittat; ita tamen vt supremi actus sui, diuinæque sapientiæ quandam particulam, & vestigium, ceu reliquias in imaginatione loco phantasmatis nil fœdi habentis relinquat, & in aliquam diuinam dimensionem, scilicet latitudinis, longitudinis, sublimitatis, vel profundi resoluatur: ita vt intellectus agens speciem contemplationi iterum propriam facilè elicere, & vnionis exercitium reassumere, continuare, ac fouere valeat. Tertium est, quod ex abundantia virium superiorum quandoque tam fortiter vitalis gustus in vires inferiores defluat, vt per septimanas, & menses aliquot facilè iucundeque actualem vnionem resumat, continuet, foueatque; & tum est immanens vnio, cum ex abundantia tali, pia anima non tam facilè ad propriam soleitatem, seu carentiam amoris dilabatur. quia verò eiusmodi impressio paulatim à vigore deficit, necessariò etiam oportet interruptionem amicabilis vnionis subsequi, & de nouo ad aliam se disponere, vt iam supra *a* dictum est.

Quartum est quod non in actu immanente; sed transeunte (interea dum intellectus diuinum Bonum suo lumine perficit) paulatim ita deficiat, vt nulla amplius industria pro eo Nunc quidpiam amoris elicere possit: eo quod mensura donationis consortii diuinæ naturæ, quod est gratiæ, vel

a hic a. 1.

vel orationis mentalis hora, quod est statuti, vel regulæ; vel distractio appetitum fortiter alio mouens, quod est fragilitatis humanæ; vel somnus, quod est naturæ; vel aliud obedientiæ opus, quod est meriti; finem imponat fruitioni præsenti. ac tum ex quacunque causa prouenerit, iterum vnionis exercitium ab intellectu agente (si à Deo specie infusa, aut voluntatis commotione non præueniatur) & per species expressas reincipiendum est, & tam diu reiterandum, quoadsque de nouo vitalis gustus excitetur, qui sufficiens sit, vt simili modo amoris opus inchoari, perfici, foueriqúe possit; licet subindè dies, & septimanæ absque vitalis gustus expressione transeant. cum autem nulla actio in suo summo diu duret, & intellectus humanus in sua operatione admirabili volubilitate omnibus mobilibus mobilior sit; sub vna orationis mentalis horula, hæc omnia quæ de vnius pro Hic & Nunc mysticæ operationis initio, perfectione, continuatione, excessu, remissione, interruptione, deficientia, & reinceptione dicta sunt; vel centenis vicibus contingere, palpare etiam poterit, qui interiora sua dijudicare nouit. quomodo autem supremæ vnionis exercitium, per donum sapientiæ species infusas, vel præuias voluntatis commotiones instituendum sit (cum hoc ordinariè non huius, sed transformationis status sit) & toto statu vnionis, mysticus sæpè interruptiones, & ad propriam soleitatem dilapsus patiatur; sicque magis in actu transeunte fruitiones contingat (licet ad septimanas, aut menses perseuerent) mysticum ad perfectiores operationes remittimus; *a* si quandoque præsertim in summo vnionis se illius praxis capacem iudicauerit. quia verò operationes exercitij actus, & penè momentaneæ, ab ipso interno vitali gustu, dependent; consequenter dicendum est, de ordinato modo maioris radicationis in charitate, secundum diuersas & perfectiores dimensiones; in quibus exercitium actualis vnionis, circumuolutiones suas peragit.

Praxis ad exercitium actus prout per donum intellectus, ordinatè, & continuè perfectiùs aliter atque aliter mystica, tum dimensiones, tum species formantur.

ARTICVLVS TERTIVS.

VT *in charitate radicati,* b *& fundati, possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum.* ac si diceret: ô pia anima, in mystico exercitio (præsertim, quando post priuationem, per donum intellectus, infunditur gratia modi operandi supernaturaliter, id est, sine discursu, & phantasmatum vsu) charitatem seu gratiam sanctificantem, per quam ius & hæreditatem vitæ æternæ consequimur; pia, certa, & catholica fiducia præsupponi-

a *inf. paraph. 9.* b *Ephes. 3.*

mus; ac indies per multiplices virtutum, & diuini amoris actus, tanquam lineam quandam vitæ extendimus, ac etiam tam diu, in suaui consortio diuinæ naturæ radicamus; quoadusque in statu vnionis dono intellectus, in statu autem transformationis dono sapientiæ adornetur; vt deinde pura ac substantijs separatis conformi intelligentia, & in summo Bono complacentia, operari liceat. quia verò intellectus noster, non potest plura simul perfectè, & adæquato actu intelligere, quadripartita distinctio à Paulo suggeritur; qua etiam diuini pulchri, & boni notabiles differentias, ceu operationes diuinas ad intra; id est Patris, & Filij, & Spiritus sancti, nobis repræsentat, secundùm quod in infima parte intellectus, id est, in imaginatione; ipsius diuini pulchri, & boni interpretes quidam sunt, & particulæ; à quibus ilicò intellectus in quantum sibi permissum fuerit, abstrahit, speciem aliquam purjorem, & à phantasmatibus magis absolutam fabricans. vt dein ipsum pulchrum subtili intelligentia consequi possit, & voluntati ad amoris bene-afficientiam porrigere, atque cum Deo actualem vnionem instituere, fouere, ac continuare.

Cum autem charitas per varios virtutum, & diuini amoris actus magis ac magis radicetur; & operatio vitalis amoris diuini in voluntate percipi non possit, nisi quãdo per operationes intellectus voluntas sufficienter excitata fuerit; hinc profluit; quod primò quidẽ dimensiones sc. latitudinis; longitudinis, sublimitatis, & profundi, & indè ab intellectu extractæ species, aliter atque aliter formandæ sint: scilicet secundùm quod vitalis gustus diuini boni, pro Hic & Nunc excitari potest. iam verò circa hunc vitalem gustum excitandum pro actuali exercitio, duo obstare diligenter obseruandum est. primum, quando aliquid in inferiori homine adhæret, quod sua blanditie sensualem partem, licet plus minus, captiuat; ita vt intellectus in sua operatione purum, & sibi proportionatum silentium à coadstante delectabili, aut pulchro, eorumque visu, tumultu, ac sono abstrahere; ad diuinas autem pulchritudines attentionem sufficientem elicere non possit. & hoc in praxi ita familiarè est toto statu vnionis, (præsertim antequam ad eius medium, aut summum pertigerit) vt frequenter mysticus exindè affligatur; & carentiam vnionis, solummodo humili patientia supplere habeat. Secundum verò, quod charitas non augeatur ex quolibet actu charitatis; sed plures actus, & moralem quandam durationem requirat. & ideò, si quis interea quod charitas nondum satis aucta est, eius gustu affici voluerit, is quoque desiderio suo necessariò frustrabitur; non quidem ratione meriti, & boni conatus; sed ratione vitalis gustus, qui non semper; sed cum (vt omnia alia) tempus suum acceperit, obtinebitur. hinc etiam dictum est infra [a] mysticum in toto statu v-

[a] infra Dec 3. p. 5.

tu vnionis non posse nec debere cauere relapsum ad propriam soleitatem, qui tunc contingit quando nil amicabilitatis de Deo actualiter habetur; sed quodammodo vt in se solitariè habitat; quod amanti pœnosum est valdè: quia non habet in quo requiescat eius pes amoris, & affectus. laborioſum porrò hunc, & imperfectum modum inquirendi, non semper esse necessarium; sed tum tantum, quando per species expressas proceditur, & pia anima non habet, à quo cum gustu, aut pulchro diuino incipiat; satis videtur ex ijs quæ hic *a* supra, & *b* infra (vbi vix vnquam defectum, aut carentiam actualis amoris patitur) dicta sunt.

Et licet circa primum, scil. alicuius delectabilis, aut pulchri, operationes intellectum impedientis, nullus ordo; sed confusa quædam libertas diuagandi, & alliciendi reperiatur: ita vt sæpè dum minus præuidet, ampliùs in varios aspectus & appetitus distrahatur. hoc tamen in secundo, scilicet in charitatis maiori radicatione locum non habet: illa enim quam maximè ordinata, & diuino quodam progressu intenditur. pro qua notitia sciendum est primò, quod intellectus humanus non possit simul vti pluribus speciebus perfectis, & consequenter nec omnia, quæ in Deo vno, & trino habentur simul apprehendere; vtque vel ideò quatuor dimensionibus Diuinitatem, & tres personas diuinas exponamus. Secundò sciendum est, quod ad esse tantum sequatur operari, ita vt tam diu intellectus specie pro Hic, & Nunc propria, & ad vnionis mysticæ initium faciendum congrua debeat carere, quoadusque per varios aspectus eorum quæ sursum vel deorsum, dextrorsum, vel sinistrorsum, antrorsum, vel retrorsum videntur; vitalem aliquam ipsius boni complacentiam in voluntate excitarit: tum enim ipso facto tanquam suaue gustans, illius vitalis gustus conditionem, naturam, & bonum suo lumine colluſtrat, perficit, & intensiorem semper vitalem gustum exprimit, vnionisque fruitionem fouet, & de diuino alimento prouidet.

Iam verò cum eiusmodi alimentum, sit spiraculum quoddam consortij diuinæ naturæ, quo mysticus in exercitio actus bibit de fonte aquæ salientis in vitam æternam; considerandum erit, quam ordinatè charitas non per quemlibet virtutis, vel amoris actum, sed per plures intellectus circumuolutionis, & amoris digestiones magis radicetur, & in linea perfectioris operationis ampliùs extendatur. pro quo notandum est, quatuor hasce dimensiones tanquam regiones, situs, & amplitudines imaginationis ad consortium diuinæ naturæ consequendum, vt ex eo species mysticæ pro Nunc instanti propriæ eliciantur, aliter atque aliter resultare. Et primò quidem latitudo, quæ diuinæ essentiæ comparatur, modicam viuacitatem, sensum, aut gustum diuinum præbet. cum enim essentia diuina non o-

pere-

a art. 2. / *b paraph. 9.*

peretur ad intra, sed operari ad personas sanctissimæ Trinitatis referatur; eo tempore quo intra dimensionem, seu sphæram latitudinis pia anima versatur, non habet directè suam actionem dispositã ad formandas operationes fruitiuas, seu pronuntiationes verborum mysticorum Dei bene-afficientiam cõtinuantes; sed magis inescationem, & perfusionem consortij diuinæ naturæ; ita vt gyret, agat, & operetur circa susceptionem & participationem summi Boni: oportet enim primò vitaliter habere, antequam liceat vitaliter operari; sicut etiam ad esse sequitur operari. vndè per impossibile posito, quod diuina essentia, absque actione ad intra diuinarum personarum maneret, eius felicitas inculta relinqueretur, nec per operationes ad intra perficeretur. omnes ergò actiones internæ, species, operationes, seu verba mystica, quæ tempore latitudinis formantur, sunt tantum modi indagationis, quo ita operatur, vt nondum habens bonum, prius illud acquirat; ac dein ad pulchras operationes sese erigat. sicut ille qui debilis est, prius cibum, & alimentum accipit ad vires resumendas, postmodum ad fortes quasque operationes se extendit. & hoc ipsum contingit toties, quoties post aliarum dimensionum, scilicet longitudinis, sublimitatis, & profundi, orbiculari modo ad conditionem latitudinis reditur: siue hoc ipsum fiat in ascensu, siue descensu; & horum supremis, medijs, vel infimis regionibus. atque ita mysticus ad exercitium, & vsum fruitiuum, ad nouum orbicularem motum magis in charitate radicandum, per innumerabiles, & vt ita dicam paruas, seu momentaneas operationes, aut verba mystica, acquirit per gratiam, quod Deus habet per naturam, iuxta illud Ioannis: *a* Pater sancte, sanctifica eos in veritate, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. & eo tempore (sicut Christus Dominus habet subsistentiam diuinæ personæ) ita mysticus habet vsum, & fruitionem consortij diuinæ naturæ.

Iam verò priusquam alia de dimensionibus dicamus, singulariter aduertendum est primò, quod maxima latitudinis remissio, & ad naturalem dispositionem redactio, vt plurimum in infima regione sentiatur: cum in illa etiam ipsæ actiones dimensionum soleant remissiùs agere, & hominem ad nuditatem propriam, suique, (vt ita dicam) paruitatem redigere, vt consequenter propriæ egestatis intuitu, humilitatis altiora fundamenta iaciat, & gratiæ diuinę continuationem reuerentiori cultu imploret: dum ad naturæ corruptæ radicem reuertitur, & se saltem mala perpetrare posse, agnoscere, & perferre habet.

Secundò habetur quædam longitudo, qua scil. Pater æternus in longitudine dierum, & Nunc æterno omnem latitudinem diuinæ suæ essentiæ intellectu suo comprehendit; eamque illustrat, eleuat, & perficit, & Filium sibi æqua-

a *Ioan. cap. 17.*

æqualem generat; ita & mysticus ipsam communionem consortij diuinæ naturæ adeptam intellectu agente, lineali longitudine erigat in altum, & quasi luminosam faciat, quamdiu intra longitudinis huius sphæram innumeris operationibus, seu verbis mysticis gyrat.

Tertio habetur quædam sublimitas, qua in Diuinis Filius Dei ab intellectu Patris in Nunc æterno generatus, est figura, & gloria Patris. hinc etiam mysticus in sublimitate, in intellectu patiente format verbum mentis, dicendo totam rationem, & naturam summi boni proportionaliter adepti; in sphæra, seu dimensione sublimitatis magis eleuata, quam fuerit regio, vel situs longitudinis; idque innumeris etiam operationibus, seu verbis mysticis, interea dum sublimitatis circulus persistit.

Quarto tandem habetur quoddam profundum, quo in Diuinis Spiritus Sanctus sub ratione boni, seu amoris ab vtroque Patre scilicet, & Filio procedit. & ideò etiam mysticus post sublimitatis sphæram, pondere amoris, ab vtraque dimensione, scilicet longitudinis, & sublimitatis collecto impetu suæ actiuitatis, ad centrum, & profundum diuinitatis subsidit, & totam inferiorum potentiarum capacitatem, quasi dimissa felicitate complet; circularem motum, ac perlustrationem diuini esse, & operari per innumeras operationes, seu verba mystica absoluit; & vnum quodammodo verbum intermedium dicit, vt iterum simile dicat: quousque repetitis vicibus, vnum quodammodo integrum verbum vnius status, vel descensus omnia de Deo affirmando; vel ascensus omnia de Deo eminenti negatione transcendendo, absoluat; & hoc ipsum in singulis dimensionibus, indies pro Hic, & Nunc per innumerabilia, & etiam ipsi practico inobseruabilia prolata verba, seu operationes mysticas: eo semper spiritualis perfectionis augmento, vt quantò amplius ad summa status vnionis, aut transformationis conscenderit, tantò quoque subtiliùs, & Angelis magis conformibus modis, species mysticas eliciat, & puriùs Deo vniatur. id quod ad oculum videre est, quando scilicet ab vna dimensionis sphærula, puta latitudinis ad longitudinis, aut à longitudinis ad sublimitatis, aut à sublimitatis ad profundi circumferentiam per continuas operationes mouetur; & circulum harum dimensionum, absoluit, & renouat: quousque vnum integrum status *a* ascensum, vel descensum pertranseat. simul iucundè discernens in longitudine differentiam actiuitatis latitudinis, & in sublimitate, longitudinis, & in profundo sublimitatis; nouis semper interea, & præclarioribus modis, circa diuinum Pulchrum, & Bonum circumuolutiones spiritualiter agens.

Quod si verò hæc à simpliciori aliquo, priusquam in industrijs mysticis

a Vt infr. paraph. 8. art. 7.

diu versatus fuerit, non satis perfectè intelligantur, perfectioris dilectionis ordinem à Domino præscriptum consideret, cum ait, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. cor autem maximè in amoris diuini progressu à Deo accipiendo, tam docile est, & extensibile, sicut immensa latitudo maris; & ex tota anima tua, quæ ratione secundum longitudinem quandam motu obliquo erigitur; & ex tota mente tua, qua spiritus super omnia motu recto sublimatur; & ex omnibus viribus tuis, quæ in profundo delectantur, & motu circulari in punctum maioris radicationis in charitate declinant; vt exinde de nouo alius similis amoris circulus, per innumerabiles momentaneas pro Hic & Nunc operationes, circumuolutiones suas peragat; similibus dimensionibus ipsam imaginationem ab inferioribus rebus, & impertinentijs blandè abducens: quo ita ratio per intellectum agentem speciem propriam eliciat, vt ab intellectu patiente perficiatur, & in amoris productionem pertingat. Si verò adhuc planioribus verbis explicari volueris, audi Beatam Catharinam Genuensem [si quæris, inquit, quid videam, aut sentiam, Respondeo; aliquid primo supra[a] intellectum, dein aliud eo māius, & rursùs isto quidpiam grandiùs, semperque posteriùs magnitudine, & numero ita excedit prius, vt concludam non posse, vel minimam scintillam referri; siquidem tam magnum, & excellens est, vt quidquid in medium afferrem, nil omnino esset.] vt autem tot momentaneæ, & pro Hic & Nunc transeuntes, ac inobseruabiles operationes, & ordinate procedere, Deo perfectiùs coniungere, atque vt singula collecta in thesauro quodam congregato iuuare ad oculum constet illi, qui in praxi sedulus fuerit, hinc consequenter dicitur.

Quemlibet statum supernaturalem non tantum diuidi in tres substantiales regiones, sed etiam harum singulas subdiuidi in varias circulares operationes seu gradus quosdam.

ARTICVLVS QVARTVS.

Ascensiones in a corde suo disposuit in valle lachrymarum. Ac si diceret, ô pia anima durum profectò erat Caino, quando à facie Domini proiectus, vagus & profugus super terram egrediebatur, & ingrediebatur. quapropter vt hunc dolorem suum aliquantulum leniret; habitaculum suum constituit ad orientalem plagam contra paradisum omnis boni locum: vt eiusdem viciniùs memor, & vel à longè suauissimum eiusdem odorem percipiendo, leuiùs ferret omne malum quod iustissimè patiebatur. & certè eiusmodi factum non tantum prudens; sed & mysticum est apud illos, qui sic amissionem status innocentiæ pro-

a *Cap. 23. vitæ suæ.* b *Psal. 83.*

prolongant; vt tamen de modo Deum purè amandi acquirendo, supra omnia solliciti sint. & ideò considerantes hanc vallem lachrymarum, & vitæ præsentis miserrimam conditionem, quæ tantoperè Deum amantem animam in quæque remotissima à Deo protrusit; ex innata & per mystica excitia confortata dilectione, ascensiones quasdam in corde suo disponunt, vt iterum in hac vita Deum vicinè apprehendere, eique adstare possint.

Quo in genere recogitanda est illa Scala, in qua Iacob vidit ascendentes, & descendentes Angelos: verè enim tanquam terrestres quidam Angeli sunt, qui præter Deum alium non admittunt amatorem, solidiores mystici, in modo supernaturaliter operandi constituti. cum autem distantia cœli à terra (vel ipsis oculis testibus) ingens sit, & spatium totius nostræ vitæ, in qua lineam diuini amoris ab infimis vsque ad summos dilectionis modos erigimus, significet; cumprimis obseruandum erit quam ordinato, & moderato progressu hoc fiat. Quapropter sciendum est quod sicut in cœlesti Hierarchia tres sunt ordines, & horum singuli in tres alios subdiuiduntur: sic in summè ordinato mystico modo, tres esse substantiales regiones in vno statu modi supernaturaliter operandi, scilicet supremam, mediam, & infimam, & contrà, nec non in singulis harum varios esse progressus secundum quos quæque dictarum regionum incipit, proficit, ac perficitur; & dum hoc fit in quotidianis operationibus, varios circulares motus seu gradus quosdam post multos dies considerari.

Et hæc vt clariora fiant, sciendum est momentaneas, & ipsi mystico inobseruabiles operationes, per quas fruitio diuini amoris acquiritur, continuatur, renouatur, & fouetur; secundum notabiliores saltem vicissitudines, & progressus optimè posse notari, & discerni clarissimè: quod videlicet aliter sua interiora inueniat in infimo alicuius status, regionis, aut gradus, in quibus remissè, & secundum quandam latitudinem nil singulare continentem viuit; & aliter quando directè per operationes vitaliter benè afficientes secundum longitudinem in altum, seu secundum quandam lineam suæ interioritatis ad superiora erigitur; & aliter quando in alto sic constituitur, vt admodum iucundè in toto suo esse, viuere, & operari in Domino delectetur; & aliter quando paulatim hisce extensionibus remittentibus, quasi circulari motu perfecto, denuo ad inferiora, tanquam ad profundum aliquod declinat, & omnia illa superiora deserit, in quodam nunc collecto subsistens: quoadusque iterum similibus motibus perfectiùs diuinitatem perlustrando, magis intimè circumuolutiones suas incipiat, promoueat, & absoluat.

Ad huius porrò ordinati progressus notitiam hoc loco similiter pia anima scire debet, primo, ipsam lineam maioris radicationis in amore diuino, non augeri per additionem gradus ad gradum; sed per maiorem radicationem in ipso amore diuino, dictamque lineam non quolibet actu amoris augeri; sed post multiplicationem actuum singularium, qui alioquin nobis sunt inobseruabiles. Secundo ex parte nostra, & sese in amore diuino exercentium, dari gradus quosdam, seu notabiles quosdam progressus interiores, qui à nobis possint cognosci, ac discerni. vndè & nos in practica descriptione in quolibet articulo notabilem aliquam perceptionem, & mutationem tractamus, quæ quidem antequam in praxi per varias operationes digeratur; vnum gradum incipiendo à quadam latitudine, per longitudinem & sublimitatem vsque ad profundum aliquod pertranseundo, absoluet: & antequam talem gradum perficiat, vnum, duos, tresue aut plures paucioresque menses effluxisse, vel manibus palpabit, qui interiora sua diiudicare didicerit.

Et horum quidem graduum, regionum ac statuum ignorantia vnica & verissima causa est; quod plerique mystici, etiam in statu modi supernaturaliter operandi constituti; nullum suæ vel alterius interioritatis ordinem, auxilia, modosque ad Hic & Nunc sese integrè accommodandi, scire possint; quodque in quadam interna cæcitate obambulent, ac sæpè mirentur, vndè similes vicissitudines proueniant, nec non tristi quadam resignatione hæc Deo committant, & suo loco stare permittunt, vix aliud discernentes quam quod aliquando benè, aliquando optimè, aliquando verè misere operationes mysticæ, succedant. hinc ergo semel pro semper monere voluimus, vt diligentissima habeatur consideratio ordinatæ vicissitudinis, quæ à nobis per tales gradus exercetur: nullum enim dubium est si hoc fiat, quin ad oculum videat, quam omnia ordinatè etiam in interioribus fiant: hoc autem scire tantum confert solatij, & quietis spiritualis, vt nulli non practico satis persuaderi possit. dato enim quod in oratione mentali res nonsuccedat pro voto; si hoc ipsum solummodo sciatur ex ordinato interno progressu fieri, tantum dabit solatij ipsum non habere, quam alioqui, cum pro voto omnia succedunt.

Hæc tamen quæ de ordinata graduum circulatione dicimus, vix locum habent in statu priuationis; ibidem enim facilè omnia turbantur, & susque deque feruntur; ita vt tum optimus ordo, sit nullus ordo: dum omnia vitiosa, & Deo dissimilia excutiuntur, ex parte saltem nostra, nullo ordine seruato. quod etiam non vsque adeò mirandum est,

mediata

cum ſtatus Priuationis ſit tantum immediata diſpoſitio ad ſtatus, & modos ſupernaturaliter operandi. quapropter pia anima tanquam alter Angelus in hac lachrymarum valle aſcenſiones in corde ſuo diſponat, & in quadam ſcala mentali per orbiculares motus alicuius talis gradus aſcendat, & deſcendat, diuinam bonitatem infinitam, finitis quidem, ſed multiplicatis actionibus, perluſtrando, & amando; ſecundum illa & ſimilia quæ inferiùs latiùs deducimus, per omnes paraphraſes earumque articulos. quod priuſquàm fiat, cum varia accidentia fragilitatis humanæ, ſicut etiam extra ordinariæ quædam perceptiones mentales, ſubindè nonnulla interijciant, vt in ordinata operationum conſecutione quandoque debeat myſticus noñ conſueto modo procedere; hinc conſequenter ſubijciuntur

Regulæ, axiomata ſeu maximæ quædam generales myſticæ; ad exercitium omnis actualis operationis, modi ſupernaturalis.

ARTICVLVS QVINTVS.

VBI *ſpiritus Domini, ibi a libertas.* ac ſi diceret, ô pia anima, ſicut plures libros faciendi nullus eſt finis, ita etiam multoque minus, per leges, inſtitutiones, regulas, aut myſticas doctrinas, ineffabiles, & multifarij modi, quibus Deus cum ſibi chara anima, aliter atque aliter agit, complecti poterunt; quamuis largo tractatu explicentur. hinc pro actuali exercitio orationis mentalis, puncta quædam notabiliora, & praxi ſumme vtilia, tanquam maximas quaſdam generales, axiomata, aut regulas hoc loco, vbi de operationibus pro Hic; & Nunc congruis agitur, extrahere voluimus.

Et quidem primo ſciendum eſt, maximam eſſe dependentiam ſpiritus noſtri à ſpiritu diuino, iuxta illud pſalmiſtæ, quo ibo à ſpiritu tuo, *b* aut quo à facie tua fugiam. ſi aſcendero in cœlum tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades. ſi ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis marit etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua: &c. ac ſi diceret, vbicunque fuero, tu ô Deus ibi es, & prior ibi habitas. cum enim Deus creauerit hominem non tantum ad imaginem, ſed etiam ſimilitudinem ſuam ad imaginem quidem per intellectum, & voluntatem; ad ſimilitudinem autem per tres operationes, intellectus ſcilicet agentis, patientis, ac amoris ab vtroque cauſati; non poteſt non pia anima, etiam neceſſitate quadam naturali, ad Deum, vt ad ſuum principium, & finem ſuæ beatitudinis inclinari. præſertim cum in profectu ſpirituali, per dona ſupernaturalis ſcientiæ, & maximè ſapientiæ, ſanatum animum conſecuta fuerit. tum enim tanquam ex radice, ab ipſa animæ eſſentia (in qua gratiâ Dei habitat) per prius in voluntatem conſortium diuinæ naturæ; (vti proprius anhelitus, & ſpiracu-

a 2. Cor. 3. b Pſal. 138.

lum vitæ) dein participatiuè ad omnes potentias, & omnem circumferentiam totius compositi humani, diffluet; amicitiæ Dei singulari ratione, facta particeps.

Secundo, licet hæc dependentia spiritus nostri, & diuini maxima sit; non tamen videri Dei essentiam in hac vita; etiam in Ecstasi, aut raptu. nam vel Adamum in sopore, vel Moysen in ostensione omnis Boni, vel Paulum in raptu Dei essentiam vidisse; in sacra doctrina difficulter admittitur: quantò minus in alijs visionibus, & illustrationibus hisce inferioribus, ita vt hinc necessariò sequatur, loco claræ visionis essentiæ diuinæ, substituendas esse species, seu similitudines quasdam diuinas, quæ Diuini pulchri, & boni sint quædam simulacra, nil fœdi habentia.

Tertio; species has mysticas ad tres principales differentias redigi; scilicet expressas, resultantes, & infusas. expressæ sunt, quæ ab intellectu agente formantur, quando non passiuè, sed actiuè, se habet ad diuina, ita vt pia anima sit principale operans, vt in actus exercitio, à dissimilitudinibus primo absolui, dein charismatibus cœlestibus perfundi valeat.

Quarto, hæc duo etiam in statu vnionis, & modo operandi supernaturaliter ad mensuram doni intellectus, sæpè difficilia esse. Primo quidem, quia intellectus tam citò non potest se expedire ab vsu phantasmatum, & imaginum, puta diuini parui, magni; aut dimensionis alicuius scilicet latitudinis, longitudinis, sublimitatis, profundi, vel vbi, scilicet ita Hic, vt non sic alibi; vel situs, sursum, deorsum, antrorsum retrorsum, sinistrorsum, dextrorsum, & similium. quæ necessariò deseri debent, priusquam pura contemplatio initium sumat. Secundo verò, quia nondum in quotidiano exercitio adæquatè potest procedere: plus enim intelligit, quam actu possideat, & æquè perfectè diligat. per donum namque intellectus ordinariè à longè prius videt, quod intra aliquot septimanas, aut menses tandem vt intimè vnum secum, possidet. Sicut autem hæc duo circa species expressas in statu vnionis sunt difficilia, sic in statu transformationis sunt facillima. ibidem enim vitalis gustus consortij diuinæ naturæ, per donum sapientiæ continuò præexistens, ab intellectu in instanti infatigabiliter, & admodum iucundè inspicitur, abripitur, & ab amoris præstantia facilè adimpletur; ita vt omnes imagines deserat, nec plus intelligat, quam diligat, & è contra; nisi quando ab amoris impetu intellectus operationes supprimuntur.

Quinto, resultantes species sunt, quando in actuali vnione cousque intellectus pertingit, vt mentis actiones deserens; vi, & impetu amoris extra proprium statum operandi dimoueatur, dein postquam in optimo modo huius vitæ à Deo accipiendi aliquantulum hæserit, in primo instanti quoad mentis actiones iterum reuersus

uersus fuerit, exceſſiui iam habiti diuini boni ſimilitudine in ſe coexiſtente, verbum pronuntiat; vt in ſecundo inſtanti illicò intellectus agens iam dicti verbi pulcherrimam ſpeciem fabricet. ſicut autem toties, quoties, pia anima ad amoris exceſſum dimota, cum ad ſolitas mentis actiones dimiſſa fuerit, infallibiliter præſtantiſſimum agalma, & ſubtiliſſimam de Deo ſimilitudinem formatⅈ ita quoque toto ſuo eſſe, viuere, & compoſito experitur, nullas in Deo bene-afficientias per ſpecies à nobis expreſſas, haſce vel à longè accedere.

Sextò, infuſæ ſunt, quæ à Dei infuſione dependent. & à nemine alio imprimi poſſunt. ideò etiam cum ſint excellentioris ordinis, piam animam viciniùs, & intenſiùs Deo coniungunt, & aliquando per ſaltum promouent; ac citiùs in progreſſu ſpirituali proficere faciunt, quam plures aliæ operationes à nobis excitatæ. & quia à Dei gratuita benignitate immittuntur, cum ſuum præſtiterint, tanquam vmbra, cum declinat, auferuntur: vndè etiam ſtatum non mutant; ſed cum diſparuerint earum effectus, impreſſiones, vitaleſque guſtus; ad ordinarios operandi modos redeundum erit. hæ porrò infuſæ, & â Deo impreſſæ ſpecies ſubindè conceduntur, vel vt mala huius vitæ fortiùs ferantur, vel vt virtutum maiorem perfectionem cauſent, vel etiam, vt amicitiæ diuinæ maiora ſigna ſuſcipiantur.

Septimò, non tantum ſpeciebus reſultantibus, & infuſis; ſed etiam à nobis per mentis actiones expreſſis, cum à phantaſmatibus, & diſſimilitudinibus depuratæ, & diuino odore vitaliter imbutæ fuerint, vtimur loco luminis gloria; ita vt ſicut ſancti in cœlis, per lumen gloriæ ipſam Dei eſſentiam vident: ſic etiam nos per ſimiles ſpecies Deum, ſecundum conceptum abſolutum, ſaltem in abſtracto, & prout per ſe eſt ſummum pulchrum, & Bonum; ſimplici, & ſubſtantijs ſeparatis conformi intelligentia iucundè videamus.

Octauò, omnia quæ multifariè apud myſticos leguntur, ad duo principalia redigi. primò vel ad ſtatum, id eſt, prout pia anima vniformiter diu, multoq; tempore, vt plurimum operatur, verbi gratia, ad menſuram doni intellectus, vel ſapientiæ. cum enim Deus via affirmationis, eminenter ſit omnia in omnibus; & via negationis, ſit eminenter nil omnium eorum quæ ſunt: priuſquam per vnum (verbi gratia) aſcenſum, omnia de Deo tranſcendentia ſpiritus neget; aut per vnum deſcenſum, omnia de Deo vitali bene-afficientia, affirmet; ac ſingularibus ſeu (vt ita dicam) paruis, & minutis mentis actionibus, digerat; neceſſe eſt vt perfluant dies, anni, & tempora. vndè hiſce poſitis, quodammodo in myſticis actionibus ſtare dicitur. Secundo referri vel ad inſtantaneas operationes, prout ſcilic. pia anima in exercitio actus, pro Hic, & Nunc diuinis vnitur; & hoc ſæpè admodum eſt laborioſum, quod in ſtatu aliquo

aliquo non est: semel enim adepto vno statu supernaturali, (verbi gratia vnionis) habitualiter, & ad infimas, medias, ac supremas spiritus regiones, conformiter ordinariè se habet: in actus autem exercitio, cum spiritus in instanti operetur, & liberum arbitrium volubili inconstantia feratur; nisi attentio per delectabile præsens, & possessum ligetur, ad quæuis obuia & alio distrahentia, diuagatur.

Nono, Exercitium actualis vnionis incipi non posse, nisi obtenta aliqua ex supradictis speciebus; aut extraordinaria voluntatis, à Deo commotione præuiè facta.

Decimo, in omni operatione, quæ post interruptionem, verbi gratia, somni, distractionis, aut operis alicuius indifferentis, primo incipitur; quatuor præcipuè consideranda esse. primum est auersio ab omnibus, quæ cogitauit, amauit, odiuit, aut quidquid demum Deus non est, vel ad ipsum proximè, & in Nunc instanti non perducit. vt autem talis auersio fiat, oportet omnium istorum tam validè obliuiſci, ac si nihil in toto mundo esset præter Deum, & se. Secundum est formatio alicuius speciei, seu similitudinis diuinæ per intellectum agentem: cum enim ipsam diuinam essentiam, in hac vita clarè videre non possimus, Deus se fingit ad imaginem menti contemplandam. Tertium est quando intellectus patiens, summi Boni pulchrum videns, attentione ligatur, & rationes ipsius Boni intimiùs aspicit. Quartum est, quando ab vtroque intellectu in voluntate complacentia, non de alio aliquo, sed de summo Bono exprimitur, expressa renouatur, fouetur; vt frui concedatur. Et secundum hæc omnis actio mystica in initio operationis, primò purgatur, secundò illuminatur, tertiò perficitur; idque facilè, & ex naturali fœcunditate intellectus agentis & patientis.

Vndecimo, Intellectus agens dum auersione ab ijs quæ Deus non sunt, & conuersione ad ea, quæ Dei sunt, se se purgare nititur; sæpè hoc ipsum præstare nequit. idque vel quod aliquid in creatura delectabile, attentionem aliò trahat; vel quod speciem pro Hic, & nunc elicere non valeat. quod esto laboriosum, & molestum sit; attamen bonis actibus, quibus contestatur quod Deus sit solus quem diligit anima eius, vtiliter ad patientiæ meritum, & subsecuturæ fruitionis præmium, sese disponit.

Duodecimo, Has operationes intellectus, earumque purgationem, illuminationem, & perfectionem; fruitioni arcani amoris non aduersari; sed ad contemplationis quietem pertinere, otium falsum cauere, diuinum Pulchrum, & Bonum minutis quibusdam actibus gustare, ac digerere. cum enim fruitio ad vim appetitiuam pertineat, appetitus autem circa infinitum Bonum, & Pulchrum versetur, insatiabili quadam esurie, mentis inescatio peragitur, & renouatur, per spiritus instantaneas operationes; attamen continuationem fruitionis non interrumpêtes:

sicuti

ſicuti nec viſus à ſuo intuitu impeditur; licet oculus in momento, & primo inſtanti clauſus ſit, in ſecundo inſtanti verò, iterum apertus.

Decimotertio, quatuor eſſe notabiliores viciſſitudines, ſeu phæras quaſdam cœleſtes, in quibus ſpiritus inſtantaneas ſuas operationes, peragit prima eſt, per modum fundi, ſeu centri, intra ſe, in quo ſub ratione collecti, circa æternum Bonum, & Pulchrum verſatur; idque ex primo principio concreatę dilectionis, & inclinationis ad Deum. ita vt vel maximè hinc fluat admirabilis illa ad fundum, non tantum inclinatio, ſed etiam facillimè inhæſio otioſa, operationes actuales, ſine quibus nil boni agitur, ſuffocans. atque ideò circa hunc fundum ſic verſari quiſque debet, ne ſpiritus operationes, in fundo ſiléti ratione procedentes, ante tempus ſuis functionibus deſtituat; ſed ex fundo ſpiraculum vitæ, & primæ ad Deum dilectionis guſtum capiens, ſpititualibus operationibus perficiat, ſubtilizet, & ſub vno intelligentiæ radio, conformiter ad ſubſtantias ſeparatas eleuet. quemadmodum etiam ſol, ſic radios in globo, & centro ſuo continet, vt ſimul etiam vſquequaque eos diffundat. Secunda eſt, per modum ſpiritus ad extra, & ſupra; ita vt ſuum vbi, & ſitus, ſeu extenſio, in cœli altitudine reſidere videantur; & tum omnia tranſcendens, frequenter leuabit ſe ſuper ſe. Tertia eſt adæquata diſpoſitio, ita vt nulla ſit differentia inter ſuperiores, & inferiores potentias, ſphæras, vbi, ſituſque, ſed in toto compoſito adæquatè diuina benè afficientia, perfundatur. Quarta eſt, quando remiſsè incedit, & nil ſingulare de diuina amicitia, neque in fundo, neque in ſpiritu, neque in toto compoſito percipit; ſed tota harmonia conſentiente, & quieta, eſt quod eſt; totali quidem inclinatione ſeſe Deo porrigens: in non autem vitali habere, etiam Deum reuerenter adorans, inquirens, ac circumſpiciens, ſi illum, qui vndique eſt, ſub vitali vnione, & communione inueniat, foueat, poſſideatque.

Decimoquarto, ſimili inquiſitione facilè, ac etiam in minimis quandoque charitatis, aut pietatis operibus, piam animam inuenire, quo mediante de nouo amoris exercitium reincipiat. in modo namque operandi ſupernaturaliter, maximè per donum ſapientiæ, diuinus radius, pijs mentibus ſemper benignè collucet; ita vt omnia quæ ſunt, lumine diuinæ bonitatis refulgeant, tanquam atomi, qui nubiloſo ſole non videntur, at in radijs ſolis non tantum videntur; ſed etiam tam ſplendidi ſunt, vt licet alioquin præ ſui tenuitate ne quidem videãtur; tunc lucida pulchritudine mirè oblectent. hinc cum admiratione videre eſt, quod ſacra doctrina, & prærogatiua ſanctitatis à Deo dignati præſtantiores homines, poſt altiſſima quęque tam ſcholaſtica, quam myſtica; in elementis fidei, & pietatis, verbi gratia, in oratione dominica, aut ſalutatione Angelica, indicibilem deuotionem exhalent. & tum vel beſtia

agri glorificabit Dominum, ac vt creatura Dei, infinitæ eius potentiæ memoriam subministrabit.

Decimoquinto, quando operatio aliqua à suo summo, seu intenso actu deficit, non semper ilicò à prorsus noua operatione reincipiendum esse, sed ordinariè reliquias cogitationis diem festum agere, & vestigia quædam suæ eminentiæ in inferioribus potentijs relinquere: quæ etiam suo modo afficiant, & perfici velint. ne autem quis inaniter reliquijs hisce inhæreat, quantum in se fuerit, horum obliuisci, & de nouo incipere conetur, ac si nil istorum habuisset; quantumuis hoc ipsum ingratum esse videatur. interea verò si adhuc vitaliter, & non inaniter; sed cum suaui mentis gustu reliquiæ sublimium afficiant, ab illis reincipienda erit actualis vnio, quoadusque non ampliùs vitaliter moueant.

Decimosexto, sicut in hac vita non est finis largitionis gratiæ diuinæ, maioris radicationis in charitate, renouationis sapientiæ supernaturalis, aut similium donorum, quibus Deo chara anima adornatur; sic etiam nullus finis est, magis perficiendi mysticos status, regiones, dimensiones, vbi, situs, ac instantaneas operationes, nec aliarum nouarum pulchritudinum à nemine ex toto explicatarum. in his enim omnibus, tanquam in spiritu Domini summa est libertas, vt meritò spiritus spiret vbi vult, & vocem eius audias, & nescias, vnde veniat, aut quo vadat: id quod tamen sic non dicitur, tanquam si mysticorum scripta vtilia, imò & necessaria non sint; sed vt pia anima, sic omnibus, quæ ad nostram doctrinam scripta sunt, vtatur; vt simul animaduertat, postquam similibus probè instructa fuerit, infinitum campum inexplicabilium diuinorum secretorum, adhuc supereſſe, vt in eo continuò spiritus rectus in imis visceribus renouetur, & semitam prudentiæ, & eloquij mystici addiscat. hisce porrò ad exercitium actus, necessariò interfertis, ad status vnionis mediam regionem (in qua proprius spiritus, diuinis illustrationibus perfunditur) declarandam, consequenter procedemus.

(***)

a Isa 43.

ET

ET SECVNDO
DE IIS QVÆ FIVNT IN MEDIO VNIONIS,
PER ELEVATIONEM ET ACTIVITATEM PROPRII SPIRITVS.

PARAPHRASIS SEPTIMA.

ET (*ossa*) *spiritum non habebant: &* a *dixit ad me, vaticinare ad spiritum, vaticinare sibi hominis, & dices ad spiritum: hæc dicit Dominus Deus. à quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reuiuiscant.* ac si diceret, sicut res ardua est spiritum remittere, etiam in formatum corpus, vt iterum vitali motu, viuat, sentiatque, vt vel ideò etiam bis ad spiritum vaticinare iubeatur; quoniam solius Dei est potentiæ spiritum corpori vnire, & vitali operationi de nouo restituere. pari modo virtutis diuinæ esse videtur, vt spiritus antea in statu priuationis totus arefactus, de nouo secundum vitalem Dei gustum reuiuiscat; & sibi proprijs operationibus moueatur, eleuetur, ac illustretur; conformiter ad ea quæ in medio status vnionis contingunt, prout ex sequentibus constabit, &

I. *Quod propria operatio quamdiu in medio statu Vnionis versatur, sit ructus mysticî exercitatio.*
II. *Dum mysticus lumine diuino perfunditur, animum concipit noui, & supernaturalis modi operandi.*
III. *Quantò amplius mysticus ascendit, tantò facilius aduertit actiuitatem proprij spiritus.*
IV. *Instantanea operatio spiritus actuatur ex vario luminoso visu.*
V. *Fruitio vitaliter afficiens semper magis eleuatur vsque ad spiritum Diuinum.*

a *Ezech. 37.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Quod propria operatio quamdiu in medio status vnionis versatur, sit ructus mystici exercitatio.

ERuctauit a cor meum verbum. ac si diceret; ô pia anima, ex ipsa essentia tua, quæ locus est gratiæ, & vitæ æternæ, per prius in voluntatem diuinæ quædam bene-afficientiæ scaturiunt, & per suam eructationem intellectui obijciuntur, vt dein per operationes intellectuales, quasi in spiritualem subtilitatem euaporent. b Vndè etiam [ructus est occultus quidam flatus, qui ex feruore alimenti erumpentibus bullis exhalat] huiusmodi porrò verbum vtique bonum est; cum sit primi Boni, seu ipsius diuinæ naturæ communio; & ipsam voluntatem, seu partem affectiuam adhuc ponderosam, & à molestijs toleratis, quasi madentem, exsiccet, alleuietque per eructationem ergò cordis hic accipienda est vita æterna, prout mediante gratia modi operandi supernaturaliter, se se manifestare incipit: non quidem per modum fundi, ita vt intuitus, & reflexio, aut habitatio, vel initium communionis diuinæ ex corde sumatur, vt in initio status vnionis fiebat; sed multò intimiùs, & per modum cuiusdam esse, habere, & sentire, in occultissimo suæ interioritatis ante formales intellectus, & voluntatis operationes; ac vt in intimo voluntatis suum in Deo benè-affici, esse, & existere nouit, ac sentit. & hic est modus nouus, quà supernaturalis dicitur, & essentialis: eo quod eius fomentum, & radix, id est, gratia in ipsa animæ essentia habitans, potentiam voluntatis per prius seu donum sapientiæ bene-afficiat; vt deindè proexercitio actus ad perfectionem doni intellectus supernaturalis, vitalis species diuini amoris fabricari possit, ad fruitionem actualem incipiendam, continuandam, ac perficiendam.

Eo ergò tempore quo mysticus in medio status vnionis versatur, continuò ex ipsa sua intimitate quædam verba eructat, non quidem adhuc perfecta, & articulatè cognita; sed imperfecta, quæ tamen complacentiam de Deo ad gratam notitiam porrigant: cum eo etiam, vt quantò magis ad superiora eleuatur, tantò capacior reddatur ad visus, & dictiones particulares suæ vitalis in Deo benè afficientiæ; circa finem eleuationis, & actiuitatis proprij spiritus, clarè videns totum suum inferiorem hominem sub se, spiritum autem diuinum supra se situari, spiritu proprio locum medium tenente. hinc etiam quantò magis ad proprij spiritus actiuitatem, & subtilitatem communiones diuinæ naturæ per prius, id est, per gratiam ex ipsa animæ essentia in voluntatem diffluentes, eleuantur; tantò & facilius, & penitiùs soleitas spiritus, & sentitur, & sub-

a *Psal. 44.* b *Basil. & Hieron.*

& subtiliùs ingrâtam facit machinam inferioris hominis: quæ tamen proprij spiritus soleitas, & ad actus transeuntes diuinæ bene-afficientiæ carentia, humillima submissione ad ordinationem diuinam æquè indifferenti, & contenta voluntate, ac ipsa amicabilis Dei vnio, degustari, ac tolerari debet, non tantum dum medium status vnionis percurritur; sed etiam dum in summo spiritus diuinis vnionibus dignatur. ea enim natura est fruitionis totius status vnionis, vt tam diu calorem, & lumen recipiat, quamdiu primo, & summo Bono, in Nunc præsenti, & instanti per vnionis vinculum adiungitur: ilicò proprijs ponderibus, tanquam proprijs malis perfusa, quando illa disparuerint: sicuti luna ipso facto, quo soli non opponitur, corporis proprij tenebras, & quasdam passiones recipit: ita vt vel ideò etiam pia anima, nondum eo quo gliscit animus particulari ordine, amorem intra se prosequi valeat. prout magis articulatè constabit ex sequentibus;

Dum mysticus lumine diuino perfunditur, animum concipit noui, & supernaturalis modi operandi.

ARTICVLVS SECVNDVS.

IN *hoc cognoscimus, quia in eo manemus, & ipse in nobis; quoniam ipse de spiritu suo a dedit nobis.* Ac si diceret; ô pia anima, licet eo tempore quo in initio status vnionis versabaris, per susceptionem gratiæ supernaturalis in Deo maneres; hoc ipsum tamen adhuc non poteras agnoscere, cum vsus illius gratiæ nondum cõcederetur. prius enim cum sit quod animale est, non quod spirituale; oportuit primò ab odore, & reliquijs perpessæ angustiæ expediri. iam verò cum naturæ diuinæ communionem in teipsa animaduertas; verè cognoscis, quod ipse in te, & tu in ipso sis; quoniam de spiritu suo tibi dedisse, in teipsa sentis, ac gaudes, animumq; concipis, ad nouam & realem illam diuinam familiaritatem quam toto tempore priuationis durante, tot amoris passionibus inclamasti, ac esuriendo, ac sitiendo gemitibus inenarrabilibus desideraſti; iuxtà illud, die *b* noctuque æstu vrebar & gelu, fugiebatque somnus ob oculis meis.

Recordaberis ergò, ô pia anima cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus per desertum illud interni horroris, & vastæ solitudinis, vt affligeret te, atque tentaret, & nota fierent, quæ in tuo animo versabantur; vtrum scil. custodires mandata illius, an non. vtque recogites in corde tuo, quia sicut erudit filium suum homo, sic Dominus Deus tuus erudiuit te, vt ambules in vijs eius, & timeas eum. Dominus enim Deus tuus introducet te in terram bonam, terram riuorum, aquarumque, & fontium: in cuius campis, & montibus erumpunt fluuiorum abyssi. ita vt imposterũ per spiritum S. suum, de quo ipse dedit tibi, in ipso sic ma-

a 1. Ioan. 4. b Gen 31. Deut. c. 8.

neas, vt etiam simul cognoscas, quæ à Deo donata sunt tibi; siue sursum, siue deorsum, siue dextrorsum, siue sinistrorsum, siue antrorsum, siue retrorsum impetus spiritus direxerit: eo tamē moderamine, vt paulatim in lumine diuino, & calore spiritus (quem gratia diuina in ipsa animæ essentia residens per prius in voluntatem sufflaminat) perficiaris, & ad superiora ascendas; ac etiam, vt ad solitatem proprij spiritus, seu ad illam diuinæ vnionis carentiam; (quæ subindè tam nudam, ac solitariam animam constituit, ac si de Deo, eiusque amicissima vnione nil vnquam percepisset) frequens toto statu vnionis fiat relapsus: & his quidem conditionibus concomitantibus, postquam te afflixit, & probauit, ad extremum misertus est tui. ne scilicet diceres in corde tuo, fortitudo mea, & robur manus meæ, hæc omnia mihi præstiterunt; sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse vires tibi præbuerit, quodque modus ille supernaturaliter operandi, à sola gratia Dei dependeat, omnibusque illa à Deo non dignatis, inaccessibilis sit; quocunque licet ingenij acumine, aut scientiæ genere, sint instructi.

Et certè quando pia anima nouam, & vitalem speciem vnitiui amoris receperit, hinc quidem præ gaudio in lachrymas resoluitur; & lætatur pro diebus quibus Deus illam humiliauit, & annis, quibus vidit mala: illinc autem sibiipsi indignatur, quod tempore priuationis non magis patienti corde, & corpore sustinuerit omne malum, quod sibi Dominus sua absentia, & passionum inordinatarum rictibus intulerat; dignumque censet, vt nemo ad tam vicinam cum Deo vnionem admittatur, qui non prius transiens per ignem, & aquam huiuscemodi purgationum, ad purum excoctus fuerit. Iam verò loco præambuli, & perfectę dispositionis omnibus gratijs in Dei laudem repositis, ad actus exercitium, ilicò ipsum benè in Deo affici iucunda cogitatione assume, illustra, & renouanda foue, refoue, & pro actuali vnione retine. quam verò moderato progressu diuinum lumen accrescat, magis elucet ex sequentibus.

Quantò amplius mysticus ascendit, tantò, facilius aduertit actiuitatem proprij spiritus.

ARTICVLVS TERTIVS.

OS meum a *aperui, & attraxi spiritum.* Ac si diceret, ô pia anima, sicut ille quem coarctat spiritus veteri sui, non in cubiculo inclusus; sed foras ad liberum aërem se confert, & ibidem os suum aperit; vt aërem, & halitum attrahat, imo ipsa altiora loca conscendit, vt plenis buccis respiret, & arctitudinem intrinsecam, ad spatiosissimam cœli amplitudinem prouocet; quo ita ceu à maximo pondere, alleuiari possit: ita quoque agas oportet cum gustu diuino, quem quasi in fundo, seu corde vtcunque arcto, & ponderoso absconditum gerebas. non enim in hoc fundo

a *Psal. 118.*

fundo tali quali inhæsione concludi debes, cum non amplius per modum fundi; sed per modum spiritus, & eleuationis procedendum sit. & ideò etiam gustum spiritus, quem Deus tibi dedit, non tam in fundo, & corde, quam in secretissimo spiritus; & prout spiritualissimè voluntatem inibi latibulum suum posuisse animaduertes, & secundum tenuem illam diuinæ naturæ perceptionem, pro vt modo in spiritu contingit, absque crassa illa, seu inclusa fundi operatione, sicut in statu privationis, aut etiam in alijs *a* præcedentibus fieri solebat, accipi debebit.

Aperi ergò os tuum, ô pia anima, & capacitatem spiritus ad superiora erige; vt ibi spiritum, & vitam haurias, idque tantò amplius, quantò magis te in spirituali regione ascendere animaduertis. cum enim quotidie gratia vitæ æternæ in animæ essentia residens, per prius in voluntatem, seu vitalem Dei gustum diffundatur; necessariò ipse intellectus, ex abundantiori beneafficientia voluntatis, actiuatur ampliùs: ita vt species mysticas ad actualis amoris vnionem, eiusque continuationem facillimè possit exprimere, & ad superiora spiritu, vita, & habitatione eleuari, liberoque, & ab inferiori pondere soluto spiritu magis, magisque in superioribus dilatari. non tamen ita fixè; quin ad soleitatem proprij spiritus, seu nil actualis amicabilitatis habere; licet non ad crassam fundi captiuitatem, subindè dilabatur. quam variè autem, & actuosè spiritus, & illustretur, & instantaneè operetur, iam consequenter dicendum erit;

Instantanea operatio spiritus actuatur ex vario luminoso visu.

ARTICVLVS QVARTVS.

VIdi a cœlum nouum, & terram nouam. primum enim cœlum, & prima terra abijt, & mare iam non est. Ac si diceret, ô pia anima, eo ipso quo libero, & soluto spiritu ad superiora ascendisti, vt ibi tanquam in sphæra propria cœlestes illas regiones, ac mentales situs perlustrares; nouum quoddam cœlum spiritualis solatij, & fruitionis inueniisti: & terram nouam, seu realem in spiritu bene-afficientiam, longè distantem à prima terra, & fundo crasso, quo in corde tædioso concluса, per noctes quærebas dilectum. rectè ergò dicitur primum abijsse cœlum, quando scilicet in initio vnionis versabaris, & modicum luminis, quod sat difficulter etiam suscipiebas, ac pŏderosam terram fundi tui adhuc sustinebas. quæ quidem terra etiam abijt, cum ex nunc incipias videre inferiorem hominem nonnihil sub regione spiritus constitutum, & quasi aliud à te, (secundum quod in spiritu viuere te sentis) distinctũ; quodque vt improportionatum inferiùs, & tanquam tertium aliquod relinqui debeat. vndè etiam dicitur, mare iam non

a 1. *Partis.* b *Apoc.* 21.

non est; quia nimirum inquietudo illa contristans, tanquam impossibile foret ab illa derelictione liberari, aut te tua non rectè agere, aut diuina vnione te indignam esse, iam non est; imò contrarium bene-affici, & secundum spiritum Deo viuaciter vniri, omnem priorem miseriam sustulit.

Tu ergò, ô pia anima, vide cœlum nouum, in eo quod vario luminoso visu, nunc sursum, nunc deorsum, finistrorsum, vel dextrorsum, antrorsum, vel retrorsum, actiuitate proprij spiritus feraris; & terram nouam essentialis illius complacentiæ videas, quam etiam quieta voluntatis commotione, in diuinæ vnionis communionem diffundi aduertis. cum autem admiratio, quæ hoc loco ex magna actiuitate spiritus prouenire solet, cogitando videlicet vndè tanta tamque varia pulchritudo resplendeat, varijs dubijs inquietet; scias velim ô pia anima, varios luminosos visus, qui hic erumpere consueuerunt, consortij diuinæ naturæ quosdam interpretes esse; ac quasdam particulas; quæ intellectui, id quod summè spirituale, & indicibile in ipsis est, inferiori quodam modo vestigia sua imprimunt, & ad operationes faciliùs exprimendas, continuandasque se dimittunt, ac loco phantasiæ, sacras quasdam imagines, infimasque diuini pulchri similitudines adferunt; quod ad actus exercitium commodissimum est. cum enim nostra operatio intellectualis à sensu, & à magis sibi notis incipiat, & hoc loco pia anima non tam passiuè, quam actiuè ascensiones cordis sui semper eleuet, habet hos varios luminosos visus, seu specula perpulchra loco sensuum, vt ex illis fœcunditas intellectus, commodè species proportionatas elicere, & bonum cognitum ampliùs extendere possit, viuatque erigente, & supra inferiora dominante aspectu. quam porrò hæc omnia per maiorem semper radicationem in charitate depurentur, & magis superioribus coniungantur, modò consequenter dicetur,

Fruitio vitaliter afficiens semper magis eleuatur vsque ad spiritum diuinum.

ARTICVLVS QVINTVS.

MEmoriam a *abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt.* Ac si diceret; ô pia anima, sicut ructus ex imis visceribus stomachi, commotione quadam ad superiora ascendit, & per os in ventum, & aërem diffunditur. ita quoque vitale illud in vnione diuina bene-affici, ex intimo voluntatis, ad superiores regiones spiritus, & mentales situs continuò ascendit, spiritus proprij actiuitatem magis subtilizat, & ad spiritum diuinum approximare facit; idque per memoriam abundantiæ suauitatis diuinæ, quæ

a *Psal. 144.*

quæ propter continuum incrementum spiritus in salutare Dei exultare facit. & cum memoria rei præteritæ, rem faciat esse præsentem, pia anima monetur, vt quando actualis vnio diuina non adest, & anima ad solcitatem propriam labitur; ita vt tristè affici in seipsa sentiat (ob actualis vnionis carentiam) non ideò turbari debere; quandoquidem status vnionis ea sit conditio, vt frequenter actualis vnio interrumpatur, & anima solitariè, ac si nil vnquam horum experta fuisset, seipsam sustinere debeat. & ideò memoriam abundantiæ suauitatis eructabunt, id est, nondum tibi ex toto, ô pia anima, propria est illa diuini spiritus affluentia; sed cum abest; quasi desiderio memoriæ renouatur, & reactiuatur in abundantiam suauitatis, & noui actus vnitiui.

Tam diu ergò pia anima hic eructat, & eructando eleuatur, quoad vsque spiritui diuino magis vicina fiat, quod tunc erit, quando tria quædam in se distincta aduertit: primò quidem, quod inferiorem hominem videat infra sub se stare. secundò verò in spirituali parte, seu in viuacitate affectiua, & intellectiua in superioribus regionibus iam se versari. tertiò autem proximè supra se adhuc superesse spiritum diuinum, seu amicabilissimam illam regionem, quæ diuinitatis odore plenè referta, vberiori, & subtiliori coniunctione, futura proponere videtur. & tum ad ea quæ sequenti paraphrasi, de vnione spiritus diuini in summo deducuntur; transeundum erit.

ET TERTIO

DE IIS QVÆ FIVNT IN SVMMO PER VNIONEM DIVINI.

PARAPHRASIS OCTAVA.

HÆc *dicit Dominus, cum dedero a spiritum meum in vobis, & vixeritis: & requiescere vos faciam super humum vestram: scietis quia ego Dominus locutus sum, & feci.* ac si diceret: quamuis maxima sit felicitas, à Deo spiritum, & vitam recipere, & bonis diuinis proprio spiritui congruis perfrui; cum tamen ipse Deus dederit spiritum suum in vobis, & ex eo vixeritis, vt plus de vita Dei, quam

a *Exech 37.*

de propria vita habeatis, & spiritu Dei adhærendo vnus cum eo vester fiat spiritus vitali vsu, & bene-afficientia: tum certè scietis vos viuere, hancque gratiam, & actum cum Deo vnionem à sola supernaturali locutione, & spiritu diuino factam, & datam, clarè scietis, sentietisque, prout in sequentibus dicetur. Et *Primò*

Propria operatio quam diu mysticus in summo vnionis versatur, est spiritus proprij, cum spiritu diuino arcta coniunctio.

II. *In summo spiritus proprij, infimum spiritus diuini attingitur vitali afficientia.*

III. *Non tantum fundus; sed etiam spiritus propriùs subtus stare debet ob arctam cum Deo vnionem.*

IV. *Tam diu in spiritu diuino eleuatur quousque ad summum eius pertigerit,*

V. *In summo tandem subsequitur subtilissima disparentia spiritus diuini, vt dispositio ad statum Transformationis.*

VI. *Gratia Transformationis ad mensuram doni sapientiæ supernaturalis infunditur in instanti.*

VII. *De spirituali profectu, duratione, & transitu ab vnionis ad Transformationis statum.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Propria operatio quam diu mysticus in summo vnionis versatur, est spiritus proprij cum spiritu diuino arcta coniunctio.

VT *sint* a *vnum sicut & nos vnum sumus. Ego in eis, & tu in me.* ac si diceret; ô pia anima, eousque tandem diuinus amor procedit, vt vnum cum Deo per summi boni communicationem effici possis, & hoc ipsum non tali quali generali modo; sed actuali & particulari, scilicet per verba mystica, seu operationes vnionem cum diuino spiritu causantes, & continuantes. ita vt in Patre & Filio, & Spiritu sancto sit conuersatio tua; non amplius ita remotè, vti in medio huius ascensus, seu regione proprij spiritus; in qua ipsum diuinum Bonum, & Pulchrum magis ad mensuram cognitionis, & fruitionem indè consequentem, quam vicinam possessionem, porrigebatur: iam verò ad summam regionem conscendens, non ampliùs vt supra; sed vt iuxta, & quidem in sublimitate spiritus intimè, præstantique modo, ipsi Bono, & Pulchro cohabitabis in sublimi regione; quam quidem in medio ascensus, & proprij spiritus, vt altè supra te aspiciebas, continuò ad eius vicinitatem anhelando.

Cæte-

a *Ioan. 17.*

Cæterum hæc felicissima vnio, quæ est cum Patre, & Filio, & Spiritu sancto, non ita citò suam perfectionem consequitur; sed paulatim magis ac magis, ceu spongia præstantissimum, & maximè odoriferum balsamum imbibit. vndè primò spiritus proprius in summo infimum spiritus diuini attingit; dein ex continuo ascensu in spiritum diuinum, tam spiritum proprium, quam inferiorem suum hominem subtus stare intuetur; vtrumque autem tantò amplius infra manere; quantò magis in spiritu diuino mysticus eleuatus, ab his se elongari, & expediri conspicit: in summo tandem suæ capacitati proportionato, arctissimam cum Deo vnionem consecuturus: subinde tamen ad proprij spiritus soleitatem relabens. quousque finaliter, in silenti spiritus serenitate, disponatur ad suscipiendam gratiam transformationis, seu doni sapientiæ, ad vlteriora supremæ vnionis arcana degustanda. interea verò dum hæc fiunt, diligenter legenda, & practicanda erunt, quæ superiùs de trinaria operatione, & verbi, ex verbo mystico pronuntiatione dicta [a] sunt. ex nunc enim ibidem expositas operationes pro actuali exercitio meliùs quam vnquam aliàs intelligere conceditur. quæ autem circa notabiliores regiones contingant, interea dum circa summum vnionis versatur, iam articulatè in sequentibus dicemus,

In summo spiritus proprij, infimum spiritus diuini attingitur, vitali afficientia.

ARTICVLVS SECVNDVS.

QVi b *adhæret Domino, vnus spiritus est.* ac si diceret: ô pia anima, non tali quali modo agendi, & procedendi, quo scilicet vult piger, & non vult, ad felicissimam cum Deo vnionem pertingitur; sed qui adhæret Domino vnus spiritus est, per constantem scilicet, & puram in Deum tendentiam, prout in initio, & medio status vnionis fieri dictum est: quo ita continua vicissitudine internarum operationum meliùs perfectiusque, ceu diaphanum ad luminis transparentiam suscipiendam disponatur. & quia supremum infimi, & infimum supremi; hinc in summo illo spiritus proprij ipsam spiritus diuini regionem duntaxat ingredi incipit, & eiusdem vitali afficientia, tanquam vestimento indui: ita vt in semetipso spiritus proprius sentiat vicinitatem consortij diuinæ naturæ. in tantum, vt inter sese, & Deum nihil distare videatur; quin pro sua capacitate, & Nunc præsenti vnione, id quod Deus habet per naturam; hoc ipse habeat per arctam fruitionis communicationem, & diuino benè affici: ex quo etiam sequitur, quòd diutiùs, faciliùs, & frequentiùs sua interiora diuinitùs perfusa, & à relapsu

a *sup paraph. 6. 1. Corinth. 6.*

ad soleitatem proprij spiritus liberiora, sentiat.

Itaque propter arctam illam quam incipit cum spiritu diuino vnionem: id quod tam diu optauerat in omni actione, Deo adhæret vitali coniunctione, & quæ indè sequitur fruitione; in spirituali gaudio & pace. iuxta illud Apostoli: *a* Regnum Dei est iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto. subindè tamē relabens ad soleitatem propriam, & carentiam diuinæ vnionis, ac si de illa nil vnquam habuisset. quantò enim altiùs ad diuina pertingimus, tantò ad propria relapsi, illa nostra lutea magis auersamur, & subtiliùs illarum vilitatem agnoscentes, vel à longè solum odorem illarum abhorremus. iam verò pro actus exercitio, non tantum ipse relapsus ad soleitatem propriam, & actualis vnionis carentiam; sed etiam ipsum in Deo benè affici, pro primo, & vt perfecta fiat dispositio, transcendenda sunt, & ipsum diuinum Bonum, & Pulchrum, prout omni habere, & frui præstat, aspiciendum est: vt dein perfectioribus operationibus circumuolutiones mentales agendo, pura intelligentia, & complacentia vnum cum eo fiat. Vitalem porrò hanc afficientiam omnia quam intimè penetrare, & perficere, consequenter dicemus,

Non tantum fundus; sed etiam spiritus proprius subtus stare debet, ob arctam cum Deo vnionem.

ARTICVLVS TERTIVS.

AVdiuerat vocem magnam de cœlo dicentem, b *ascendite huc: & ascenderunt in cœlum in nube.* ac si diceret, ô pia anima, immensa vnionis eleuatio, quæ se vitaliter percipere facit, quod diuina magnificentia sit super ea quæ sunt, & quæ non sunt; ob intimam vicinitatem in-dies auctam, quasi magna voce clamare auditur, tanquam in aure vicinè audientis: ascende huc, in cœlum nimirum, cum toto eo quod in spiritu optimum habes, & sentis: ita vt non tantum inferior homo ad instar tenebrosæ nubis subtus stare debeat; sed etiam ipsa proprij spiritus regio iam inferior videatur.

Sit ergò aspectus ille qui videt fundum, & proprium spiritum infra se, & cœlum, seu regionem spiritus diuini vt intra se, tanquam præambulum, & imperfecta operatio, seu verbum ab omni imagine nondum depuratum; dein pro initio ad exercitium actus, pura intelligentia præclari, summique Boni vitaliter afficientis: in qua dein gustando, & videndo quam diu fieri potuerit, iteratis, & ex ipsa hac vnionis præstantia succedentibus operationibus, fruitio continuanda erit; quousque ex integro fiat relapsus ad soleitatem proprij spiritus. quod quidē tantò ratiùs fit, quantò altiùs in regione spiritus diuini ascenditur; sicut etiam non ampliùs est tanta difficultas in deserendis omnibus intermedijs, & imperfectis operationibus, priùs-

b *Rom. 14.* b *Apoc. 11.*

priusquã ad puram intelligentiam summi Boni in actus exercitio admittatur; & adæquatè seu ita purè diligat, sicut intelligit, & contrà, ita scilicet purè intelligat, sicut diligit. sic porrò pia anima constituta, qualiter ad Nunc præsens, fructuosè se habere debeat, consequenter dicemus.

Tam diu in spiritu diuino eleuatur quousque ad summum eius pertigerit.

ARTICVLVS QVARTVS.

QVi diligit a *me, diligetur à Patre meo; & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* ac si diceret, ô pia anima, ea est amoris vnitiui præstantia, vt tandem ad summum sibi proportionatum pertingat, & in ea quantum fieri potest, Deus seipsum manifestet, per tam cœlestem ascensum; indies magis ac magis diuinæ naturæ consortium distribuendo, idque distinctis operationibus ad intra, quibus fruitio mystica continuatur.

Formatio itaque præambuli, seu imperfectæ quidem operationis in se; perfectæ tamen dispositionis ad puram operationem; sit; quod pia anima de centrali regione, vel vbi, nihil ampliùs sciat; spiritus proprij autem mentalem situm, vt sub se videat; spiritus autem diuini regionem, vt sibi intimè diffusam, possideat: dein pro actus exercitio pura intelligentia, summi Boni præstantem bene-afficientiam, vt intimè sibi vnitam comprehendat. quo facto ipsa spiritus fœcunditas bonum illustrans, vitalem illius bene-afficientiam subtiliorem, & penitiùs amandam perficiet: & ex magis intensa fruitione, magis continuò illuminabit. hæc enim duo in sua vicissitudine non tantum amoris continuationem; sed etiam subtiliorem, & substantijs separatis magis conformem, reddunt. & eo sensu dicitur, qui diligit me, diligetur à Patre meo, id est, sicut diuini boni, & naturæ operandi principium est Pater, qui bonitatem suæ naturæ per intellectum suum comprehendit, & intelligendo similitudinem sui perfectam, id est, Filium suum generat, ac ex vtroq; Spiritus Sanctus, vt pondus perfectum diuini amoris procedit: sic quoq; per hoc quod intellectus, per donum intellectus, habitualiter præexistentem in voluntate diuinæ naturę communionem actu intelligit & intelligendo illius similitudinem format, pariter ex vtriusque actione intimior fruitio amoris producitur: vt de nouo per continuationem, productus amor ab intellectus actionibus digeratur, subtilioremq; amorem producat: atq: ita consequenter; & quidem ita, vt à parte rei, & spiritus fœcunda operatione, longè meliùs, & citiùs hæc omnia fiant, quam ipsemet practicus intelligat: hæc tamen, & similia paulatim desinere, & quantumcunq; spiritualia sint, tanquam vmbra quæ declinat disparere; constabit ex sequentibus,

a *Ioan.14.*

In summo tandem subsequitur subtilissima disparentia spiritus diuini, vt dispositio ad statum Transformationis.

ARTICVLVS QVINTVS.

IN a *die illa dicit Dominus, occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis.* ac si diceret, ô pia anima, quod circa vesperam sole occidente lumen deficiat, noxque succedat, mirandum non est; quod autem in ipso die, & in die luminis, id est, quãdo serena est aura, tenebræ inducantur, hoc valdè mirandum est, & insolitum quid præsagire consueuit. ita iuremeritò tibi euenire poterit, cum in summo spiritus diuini, in quo ingens lumen, & splendor maximus super caput tuum fulgebat, constanter deficere adnotaueris. constanter, inquam, quod enim ordinariè fiat relapsus ad soleitatem proprij spiritus, succedatque carentia amorosæ vnionis, pro actus exercitio: aut etiam amoris intensio, vel remissio, seu etiam accretio, vel decretio luminis diuini contingat; hoc toto vnionis ascensu perquam familiare est: quod autem absque vlteriori incremento, paulatim magis, ac magis deficiat, & in subtilem interioritatis vacuitatem abeat, hoc constantem defectum inducit, & ascensum ad suum summum pertigisse declarat: cum eo tamen, vt nullatenus ad crassam inferioritatem, in qua alias in initio priuationis, scilicet magna præuidebatur anxietas, desolatio, & totius hominis in infimis, & supremis viribus conturbatio, prolapsus contingat; sed solummodò disparentia omnis præhabiti splendoris, & luminis à spiritu diuino. cuius quidem disparentiæ, & vacuitatis hæc potissimum causa videtur esse; vt pia anima continuò subtiliùs euacuetur, & tota interioritas tanquam aër serenus inhabitetur, vt ilicò orto sole doni sapientiæ, illud ipsum in instanti, vt purissimum diaphanum suscipere valeat, ad initium status Transformationis modi descendentis.

Sit ergò, ô pia anima, eiusmodi vacuitas, & in tuo summo (quod etiam cœli altitudines superexcedere videtur) actualis amicabilis vnionis disparentia, & non habere, tanquam præambulum, ac dispositio ad perfectam operationem. Vndè pro exercitio actus, post notitiam illam, qua scitur omnia præterita diffluere indies, & tandem ex toto deficere. Primus aspectus sit, subtilissimam vacuitatem videns quidem; at secundus sit, reflexio ad summum bonum, & pulchrum, prout omni vacuo subtiliùs est: atque hinc ex intellectus fœcunditate excitata specie, seu similitudine summi boni, & pulchri, initium dabitur actualis operationis ad vniuam fruitionem excitandam, & continuandam; cum eo tamen, vt ipsa fruitio, seu amoris bene-afficientia, non sit intensa, nec abundans, ita vt in vires inferiores possit aliquid influere amicabiliter. est enim huius disparentiæ ea con-

a *Amos.8.*

conditio, vt continuò cum admiratione tam subtilis vacuitatis, animum suspensum teneat, & tam diu, ac per menses fortè aliquot, quid tandem subsecuturum sit; circumuolutiones suas agat; dein pro actus exercitio per reflexionem ad summum bonum, vnionis fruitionem subtilissimè tantum, idque silentiosè admodum in spiritu duntaxat inchoet, & perficiat; quousque admirabili lumine Transformationis perfundatur, vt iam consequenter dicemus,

Gratia Transformationis ad mensuram doni sapientiæ supernaturalis infunditur in instanti.

ARTICVLVS SEXTVS.

FACTVS *a est repentè de cœlo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum; vbi erant sedentes.* ac si diceret, ô pia anima, priusquam Discipuli Domini, & qui cum illis erant replerentur Spiritu Sancto, iussi sunt sedere in ciuitate, & exspectare, *b* donec induerentur virtute ex alto. quod quidem tempus scilicet ab ascensione Domini, vsq; ad Pentecosten congruè denotat illud tempus, in quo pia anima, postquam summum status vnionis conscendit; subtilissimam illam spiritus diuini disparentiam, vtpotè immediatam dispositionem ad statum Transformationis, experitur. vt dein, sicut materia vltimatè disposita, in momento cum Paulo, quę subitò circumfulsit lux de cœlo, suscipiat vsum doni sapientiæ, vitaliter afficiens.

Et ideò dicitur, factus est repentè de cœlo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis. quia nimirum, post talem tamque reuerentialem exspectationem, imò illa adhuc purissimè, & intensissimè durante, subitò illabitur viuacissima primi, & summi illius suauitas totam replens domum, seu compositum hominis, secundum superiores, & inferiores vires; ita vt etiam ipsum corpus, caro, & sanguis eius exultent in Deo salutari suo, vtque nec capillus capitis suo modo non collætetur: idque perseueranti bene-afficientia, absq; vllo timore deficientiæ, aut interruptionis, quæ carentiam fruitionis inducere possit; saltem ad multos annos, atq; hinc de cætero tanquam de ventre, & imis visceribus spiritus, fluent aquæ viuæ, salientes in gaudium vicinum vitæ æternæ, seu visionis patriæ. quod quidem est felicissimè experiri nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, & super omnipotentem delicijs affluit, atque ad Deum ipsum eleuat faciem suam, prout latiùs dicetur *c* infra: & pia anima magis indicibili modo experietur in seipsa. & hæc priusquam explicemus, iam consequenter dicendum est de ijs, quæ in perfectionis progressu, & de mora, quæ in praxi trahitur, priusquam dono supernaturalis sapientiæ à Deo dignetur,

De

a *Act.2.* b *Luc.24.* c *Par.10.*

De spirituali profectu, duratione, & transitu ab vnionis ad Transformationis statum.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

QVasi luna a *plena in diebus suis lucet.* ac si diceret, ô pia anima, sicut luna quo magis crescendo lumen recipit, eo amplius sui perfectionem, & pulchritudinem consequitur; donec tandem integrè completa sit. ita quoq; in spirituali progressu status vnionis contingit. in initio enim vnionis à vasta mole illa sublunari, seu tenebrarum fundo, ac priuationis odore, & reliquijs sese expediuit; in spiritu autem proprio, ac medio vnionis ascendentis, continuò accrescentiam luminis à consortio diuinæ naturæ suscepit, vt semiplena: hic tandem mediante spirituali profectu, in summo spiritus diuini, tanquam luna plena, alba, & serena lucet, totamque animæ circumferentiam benigno splendore afficit.

Et hæc priusquam integrè, & illa particulari ad-uel decrescentia fiant, secundum ordinatas, particulares operationes, seu verba mystica in continuatione fruitionis vnitiui amoris, idque ab infima, & spiritus proprij, ac vsque ad summam spiritus diuini regionem; apud diuersos quatuor, quinque, aut sex annos circiter labi, obseruatum est. ita vt septimo anno diem requietionis, & felicissimæ Transformationis consequatur. iuxtà illud, septimo anno sabbatum erit terræ. verum toto tempore exercitationis mysticæ computato, si pia anima circa duodecimum annum, ad statum Transformationis pertingeret, censeri posset, satis fideliter gratiæ mysticæ cooperata esse. & sic nil habet probabilitatis, & à praxi omnino alienum est, dicere; statum perfectorum ordinariè incipere, vel toto *b* vel maiori vitæ tempore. & ideò Taulerus propria experientia, apud plures alios, etiam iuuenes statum perfectorum cõperisse, iam vel olim testatus est. plures tamen annos interlabi, priusquam ab infimo (massæ ab originali iniustitia corruptæ) per medium, ad summum alicuius status ascendatur; aut contrà summo, per medium ad infimum descendatur; ex eo prouenit, quod charitas magis radicetur, non ex quolibet actu charitatis, seu amoris mystici, sed ex actibus multiplicatis, per moralem aliquam durationem temporis. Vndè etiam ea, quæ vnico articulo describuntur, priusquam ad alia, quæ subsequenti articulo dicuntur, practicè pertingat, fortè menses aliquot absumentur. articulata enim illa, & maior radicatio in charitate, minutissima quæq; auida cupiditate inescat; ita vt accurata praxis industria, prout tam diu durat, & semper occultissima inuenit, multò facilius, & ad praxin commodius familiari colloquio, quàm calamo suggeratur. hinc etiam quæ in tota praxi ponuntur, non nisi notabiliores dispositiones, & operationes respiciunt. circa quas pia anima

a *Eccl.50.* b *vt Suar. de Rel. t.2. tract.4 l.2.c.11.*

ma tam diu suas circumuolutiones agit, quousque de vna notabili mutatione in vno articulo descripta, ad aliam sequentis articuli possit transire.

Ad transitum verò, quod attinet, ad statum Transformationis, ille non conceditur, nisi quando pia anima in subtili illa deficientia (quæ tamen est absque vlla molestia anxietatis, aut turbationis) continua humili reuerentia, ad primum Ens, & Bonum accrescit, quousque compleantur dies assumptionis eius, & gratia doni sapientiæ cum splendore diuino in momento repleatur. vt dictum est supra. a & hoc dono tandem adepto cum pia anima optimè dispositа sit ad scrutandum etiam profunda Dei; hinc ipsas operationes pro Hic & Nunc per totum statum Transformationis practicandas, consequenter apponimus: postmodum ipsum statum, pro vt in summo, medio & infimo se habet, explicaturi.

a *hic a. 6.*

PRAXIS
FORMATIONIS OPERATIONVM
SEV VERBORVM MYSTICORVM AD EXERCITIVM ACTVS, STATVS TRANSFORMATIONIS MODI DESCENDENTIS.
PER DONVM SAPIENTIAE, SVPRA AFFIRMATIONEM, VEL NEGATIONEM.

PARAPHRASIS NONA.

DA mihi Domine sedium tuarum a *assistricem sapientiam, vt mecum sit, & mecum laboret.* ac si diceret, ô pia anima, quæ ad Dei imaginem per duas potentias, scilicet Intellectus, & voluntatis, & ad similitudinem, per tres operationes internas, scilicet intellectus agentis, & patientis, & amoris ab vtroque expressi, creata es; noli existimare tibi sufficere, quod supernaturale donum sapientiæ tandem aliquando à Domino obtinueris. & ideò postquam dixerat, da

a *Sap. 9.*

mihi Domine, ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, ſuperaddit, vt mecum ſit, & mecum laboret. non enim ad perfectam diuini amoris vnionem conſequendam, ſatis eſt, ipſum Bonum habere; ſed magis oportet ipſum Bonum interno opere, & prorſus iucundo labore quodammodo maſticare, maſticando autem intimiorem guſtũ boni, & illuſtriorem claritatem pulchri exprimere, at pro Hic, & Nunc actibus mentalibus renouare, fouere, & vt diuinum alimentum ſibi retinere. Secus enim habere, & non vti, modicum prodeſt. eo etiam ſenſu dicitur, vnctionem habetis à Sancto, & noſtis omnia. ac ſi diceret, gratia Dei, quæ per Spiritum Sanctum (ad menſuram doni ſupernaturalis ſapientiæ) diffuſa eſt in cordibus noſtris, præſtantiſſimum eſt vnguentum, quo animus ſanatus, facillimè, iucundeque omnia nouit, quæ ad arcanum amoris exercitium requiruntur. nam præexiſtente in ipſa animæ eſſentia, gratia Dei ſummè intenſa, & per prius ab eſſentia in ipſam voluntatem habitualiter, per donum ſapientiæ eminenter diffluente, cum guſtu vitali ſuauitatis diuinæ; ipſe intellectus hoc ipſum non tantum ordinariè cognoſcit, illuſtrat, diiudicat, ſed etiam operationibus ſuis digerendo, amorem adauget: quoaduſque ab actiuitate ſua, amoris vehementia ſuppreſſus, eminentioribus diuinis perceptionibus locum præbeat. quæ vti in actus exercitio ordinatè contingant, per operationes particulares (& gradus [a] quoſdam) toto ſtatui Transformationis inſeruientes, breuiter iam hic dicendum erit. beruiter, inquam, quo enim penitiùs ad ſumma diuina pertingimus, eo minus dicuntur. ideò Deo debetur laus, & ſilentium. laus quidem, nam pia anima in his conſtituta ad Beatorum imitationem, nil niſi quod Dei laudem, & reuerentiam contineat, agit. ſilentium verò, quia gratia ſanati animi in diuinis participationibus felicitas, tam Deo vicinè, & beatè adſtat, vt nec verbis, nec ſignis, prout illam in intimo ſpiritus intensè percipit, edicere valeat. ſic ergò ponitur,

I. *Praxis operationis ad exercitium actus, ſecundum quod à præexiſtente vitali guſtu diuina natura, perfectè incipit, perficitur, continuatur & remittit.*

II. Præ-

[a] *vt latiùs habetur infra par. 6. a. 4.*

II. *Praxis ad ad exercitium actus formationis Verbi mystici remissione, aut interruptione, etiam quacunque interueniente.*

III. *Praxis ad exercitium actus pro vt ad mentis excessum penetrat, & ab illo remittendo diuinum lumen ad formationem Agalmatis resultat.*

IV. *Praxis ad exercitium actus, pro vt per species infusas, praeuias voluntatis commotiones, aut superexcellenti aliqua perceptione mentali, incipit, perficitur, excedit, & ad formationem Agalmatis remittit.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Praxis operationis ad exercitium actus, secundum quod à praeexistente vitali gustu diuinae naturae, perfectè incipit, perficitur, continuatur, & remittit.

GVstate, a *& videte quoniam suauis est Dominus.* ac si diceret, ô pia anima, prius gustandum est voluntatis suauitate, quam intellectus ad operandum possit videre; quid enim nisi vacuum videat intellectus, si id, quod videt, non prius diuina beneolentia affectum sit. & ideò in statu Transformationis descendentis, per donum sapientiae sanatus animus, habitualiter continuò gratiam (quae est vita aeterna in ipsa animae essentia, residens) per prius in voluntatem vitali gustu effluere percipit, quo ita dein intellectus sua operatione, id quod vitaliter accepit, illustret, penetret, diiudicet, & ad purioris dilectionis perfectionem deducat: id quod faciendo mysticam fruitionem in exercitio actus, absque imperfectis operationibus, incipit per intellectum agentem, atque ilicò perficit per intellectum patientem. & hoc ipsum ordinariè facilè, iucundè, ac etiam inaduertenter, ex intellectus naturali fœcunditate, & operandi ordine. sicut integrè sanus post grauissimum morbum, suam sanitatem habendo, possidendo, & gaudendo naturaliter intelligit diiudicatque, & hoc non tantum à literato, sed etiam multoque magis à rudi, & simpliciori aliquo, cum huius intellectus tot speciebus scientificis multiplicatus non sit, & consequenter ad aliud aliquid impertinens dilabendum, tam actuatus non reperiatur: Vndè etiam ob idem donum sapientiae, quod habitualiter cum pia anima perseuerat, & collaborat; vix vnquam ad solcitatem, aut carentiam consortij diuinae naturae prolabitur toto statu Transformationis descendentis; licet ad decem annos duraret. ipsam autem fruitionem continuat, dum summi Boni pulchrum inspiciendo renouat, & quicquid ex Bono sibi extractum habuerit, quodammodo digerit; idque tam diu renouatis profundioribus actionibus, quoadusque in Nunc praesenti, à vitali extensione remittat fruitio. quae si dein vlteriùs foueri non possit, pro eo tem-

a *Psal.33.*

tempore remittit : non tamen ita, vt mysticus ad soleitatem, & tædiosam carentiam consortij diuinæ naturæ cadat ; sed quod intensiores actus fruitionis non semper æquè intendi possint. Vndè etiam, licet actualiter fruitio non possit per operationis actus intendi; remanet tamen diuina bene-afficientia in ordinario gustu, circa quem reintuendum, & fouendum intellectus detinetur, vt dein iterum cum libuerit, aut per occupationes alias permissum fuerit, actus exercitium renouetur, intendatur, ac continuetur, perficiendo hisce infinitis seu inobseruabilibus operationibus circularem aliquam notabilem mutationem, seu gradum quendam. vt dictum est *a* supra. In hac porrò operationum remissione, ac renouatione incredibilis adstat iucunditas, perfectioribus, & nouis inactionibus diuinis, arcani amoris exercitium, reintendentibus. cum itaque non vno actu omnia, & singula de diuino infinito Bono, & Pulchro haberi possint, hinc admirabili varietate, alia atque alia diuinorum participatio, incessanter succedens, æternæ beatitudinis imitatur insatiabilitatem. & hic est modus ordinarius status Transformationis descendentis supra omnem affirmationem, vel negationem. nam de Deo aliquid affirmare, vel negare, est prius quædam via ad Deum tendendi, & ab eius bono, & pulchro aliquid eliciendi: at hoc loco per donum sapientiæ, vitali gustu per prius ipsa voluntas, maxima amicabilitate consortij diuinæ naturæ perfusa est, & absque vlla acquisitionis mora ipsum habitum, possessum, & bene-afficiens diuinum bonum, intellectus in primo instanti operationis apprehendit, diiudicat, & circumuolutionibus suis digerit, fouet, ac continuò renouat. quod dum mystici faciunt tanquam stellæ *b* quæ dederunt lumen in custodijs suis, & lætatæ sunt: & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas, cœlesti rore perfundantur. interea verò si in actus exercitio ad amoris excessum intellectus operationes supprimentem, dimoueatur, similia euenient, quæ habentur *c* infra; hic autem consequenter exponimus,

Praxin ad exercitium actus formationis verbi mystici remissione, aut interruptione, etiam quacunq; interueniente.

ARTICVLVS SECVNDVS.

DIxi *d nunc cœpi.* ac si diceret, ô pia anima, cum omnis actio humana sit singularis, & in Nunc præsenti tantũ duret, non poterit vtiq; fruitionis mysticæ initium dari, nisi ex summo bono in Nunc præsenti realiter coniuncto. & ideò amantissimi Domini, si quandoque ex conditione, aut fragilitate huius vitæ interruptionem, aut remissionem aliquam in arcano amore passi fuerint; ipso instanti, quo hoc ipsum animaduerterint, sua interiora perlustrando dijudicant: scilicet statum proprium

a *par. 6. n. 4.* b *Baruch. 3. c. 2. & 3.* c *d. 2.* d *Psal. 76.*

prium, regionis mentalis amplitudinem, situs spiritualis conditionem, speciei differentiam; moxque ab inferiorum specierum, seu similitudinum imperfectionibus se expediunt, atque ad puræ intelligentiæ operationes, seu verba pronuntianda sese recipiunt; sublimiusque, ac puriùs ad fruitionis continuationem renouant, idque facillimè, & admodum iucundè. gratia enim sanatus animus, & per donum sapientiæ pro consuetudine exercitatos habens sensus, si interruptionem, aut remissionem aliquam, à puris, & perfectis operationibus senserit; ipso facto per indeficientem primæ veritatis radium, pijs mentibus semper collucentem, tanquam verus adorator, adorans Deum in spiritu & veritate, ac ad consortium diuinæ naturæ vitali gustu in hoc statu Transformationis semper præexistens, sese recipit, ab eoque bene-afficientiam acceptã operationibus intellectus perficit, renouandoque fruitur, ac diuino alimento rursus viuit; tanquam speculum, leui quidem halitu à solita claritate obscuratum, modica verò absterſione iterum suæ pulchritudini restitutum. & certè si ob conditionem huius vitæ, puta necessarij somni, aut fragilitatem, scilicet distractionis, vel leuis imperfectionis interruptionem actualem amicitiæ Dei causantis, tanta est restitutionis, & resumptionis ad fruitionem facilitas; quantò maior, & expeditior concedenda erit in actibus meritorijs, puta sacri studij ad conciones, Theologiæ, aut regiminis ad bonum publicum, aliarumque piarum actionum?

Sicut autem hæc pro actus exercitio ad Hic, & Nunc accipienda sunt; ita quoque in ipsius status Transformationis modi descendentis, à supremis per media vsque ad infima, pulchro ordinatoque descensu, & ècontra Transformationis modi ascendentis, ab infimis per media vsq; ad superiora ascensu; considerandæ erunt. ita vt pia anima in omni regione, vbi, situque mentali, semper sese conformiter habeat, ad id quod in præsenti de diuinis consortijs præexstiterit. in supremis quidem eminenter, in medijs sapienter, in infimis autem sub collecti boni ratione procedens. quo ita diuina quadam vita incessanter viuat: nec non in ipso etiam somno *a* subinde cor eius vigilet, atque à phantasmatum simulachris liberata mens, multa, magis sapienter, quam in vigilijs contempletur. Iam verò adhuc præstantiores operationes explicemus consequenter.

Praxis ad exercitium actus prout ad mentis excessum penetrat, & ab illo remittendo diuinum lumen ad formationem Agalmatis resultat.

ARTICVLVS TERTIVS.

GVttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad b *potandũ, labijsq;, & dentibus illius ad ruminandum.* ac si diceret: ô pia anima, sicut præstans & copiosum vinum, per guttur ad interiora dilabitur, & dein sua

a *vt dict. infr. Decis. 4. n. 1.* b *Cant. 7.*

actiuitate, & calore caput petit, vsumque rationis de ſtatu ſuo dimouet, ita vt intellectus functione ſua deſtituatur: ſic quoque ſapidiſſimum illud diuinæ naturæ conſortium, ad perfectionem doni ſapientiæ eleuatum, cum per calores actualis fruitionis, mediantibus operationibus intellectus ſummè intenditur; tandem amoris vi, & præſtantia, actualem operationem intellectus ſupprimet, ac myſticum à ſtatu ſuo dimouebit, ad mentis vſque exceſſum. fit enim frequenter hoc loco dum in exercitio actus fruitio continuatur, vt paulatim omnium eorum quæ ſunt, & non ſunt, quæque circa, & in ſe fiunt, obliuiſcatur, ac tam fortiter ſuperioribus intenſionibus, ſupra omnem affirmationem, vel negationem coniungatur, vt omnis actualis, & explicita intellectus operatio interea ceſſare habeat. non quod omni lumine (quod ſubſtantiam ſpiritualem decet, & hic ſupernaturaliter collucet) deſtituatur, nullumque intellectuale lumen coadſtans habeat (quandoquidem ſemper inter limites actualis lucis remaneat) ſed quod intellectus nullam operationem, ſeu verbum formare poſſit, quam diu amoris huius intenſa actio perſeuerauerit; cum magis paſſiuè ſuſtineat, & in optimo modo à Deo in hac vita *a* recipiendi viuat, quam actiuè quidpiam agat. ita tamen, vt hic amoris exceſſus (ſtatui Transformationis proprius) ordinariè fiat ſuaui mentis exceſſu. ſuaui inquam, primò, quia cum hic ex habituali dono ſapientiæ operetur, ordinariè nonniſi per accidens ad ecſtaſin *b* perfectam eleuabitur. Secundò, quia licet nulli rei quæ eſt, aut quæ non eſt intendat; ſenſus tamen non fortiter, & violenter conſtringuntur, aut ſupprimuntur; ſed ita quietantur, vt in nullo eiuſmodi excedentes amoris actiones, interrumpere valeant. Tertiò, quia intellectus licet à gloria maieſtatis oppreſſus, & ſupra omnes mentis actiones conſtitutus ſit; cum tamen non fortiter per ſenſus ligetur, tantò faciliùs, & citiùs ad ſibi proprias operationes reſtituitur, quantò minus actio in ſuo ſummo diu durat. atque huiuſmodi amoris exceſſus rectè à myſticis, modineſcius appellatur. iuxta illud: *c* in deficiendo ex me ſpiritum meum, & tu cognouiſti ſemitas meas.

Atque tum vinum illud optimum exceſſiui amoris, dignum piæ animæ ad potandum, & per mentis operationes, ceu labijs, & dentibus ſpiritualibus ad ruminandum præbetur: ipſo enim inſtanti, quo remiſerit amoris vehementia, quæ intellectus actuales operationes de ſtatu ſuo dimouerat, coadſtans illud, & actuales operationes intellectus excedens lumen, vt nouum & eminentiſſimum intelligendi principium & ſpecies reſultat; Deo intellectus agentis vices ſupplente, quo ita intellectus patiens, illicò verbum Agalmatis (id eſt pulcherrimum, & abſque præuio hoc amoris exceſſu, præ nimia diuina claritate, intellectui ad formandum impoſſibile pronuntiare poſſit. quæ quidem tam

a vt inf. Deciſ. 6. toto. *b hic vt n. 3.* *c Pſal. 141.*

tam eminens mentis operatio, post hunc amoris excessum semper, & aliàs nunquam ab intellectu tam perfectè, iucundè, & absque industria, aut sollicitudine aliqua ordinatissimè formatur. vndè sicut oculus splendorem solis fixo intuitu contemplans, paulatim præ nimia eius claritate opprimitur, & ab omni visibili actualiter videndo, nimio lumine præpeditur; ita vt dein à solis intuitu remittens, ipsius tamen solis splendorem eminentem secum deferat: ita quoque oculus mentis, nimio fulgore diuino illustratus, cum ad operationes sibi proprias reuersus fuerit; pro primo admirabilis illius luminis impressionem tam fortem sibi retinet, vt indè, & non aliundè, intelligendi principium assumere possit. atque hunc operandi modum meritò optimum huius vitæ constituimus; quandoquidem omnes operationes, quæ ad quendam excessum deducunt; post suum excessum, longè intimiorem in Deo bene-afficientiam imprimant, quam ea, quæ à nobis ante talem aliquem excessum formantur.

Iam verò ad praxin singulariter obseruandum venit, quod interea, dum tam sublimi modo fruitio incipit, & continuatur, posse piam animam de nouo, per intensiores actus amoris, paulatim iterum ab operationibus mentis extra statum suum dimoueri, & amoris passione (vt optimo modo agatur) Deo sese exhibere; vtque dein passiuo modo finito, iterum perfectè operetur, & intellectus operationibus, amoris perceptio digeratur, atque ad fruitionis exercitium continuandum incessanter renouetur. quod si verò pro eo tempore, ad dictum amoris excessum non readmitteretur, ad ordinarios, & doni supernaturalis sapientiæ perfectissimos operandi modos sese recipit, atque diuino alimento nutrit; hac amoris prorsus diuina vicissitudine, prælibamina vitæ æternæ viciniùs semper attingens. & cum hæc & similia ordinarios modos mensuræ doni sapientiæ supernaturalis respiciant: consequenter hic dicendum est de extraordinarijs supernaturalibus modis, secundùm quod per species infusas, aut voluntatis præuias commotiones eueniunt;

Praxis ad exercitium actus, prout per species infusas, præuias voluntatis commotiones, aut superexcellenti aliqua perceptione mentali incipit, perficitur, excedit, & ad formationem Agalmatis remittit.

ARTICVLVS QVARTVS.

SPiritus vbi vult spirat, a *& vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quo vadat.* ac si diceret: ô pia anima, vt sublimiori aliquo modo, quam per dona intellectus, vel sapientiæ fieri consueuit, Deo iungaris, hoc certè in tua non est potestate; sed spiritus diuini, qui vbi, & quando vult, spirat, sublimiores quasdam species infundendo, vel ex inopinato voluntatem ita vitali gustu

a *Ioan. 3.*

gustu perfundendo, vt nunquam per operationes præuias intellectus, tam intensum amorem exprimere potuisses. sunt enim præuiæ voluntatis commotiones, seu absque actuali intellectu ad talem amorem producendum directo actu perceptiones, illius conditionis, vt immediatè à Deo suaui gustu (interea dum mysticus aliud quoddam bonum, vel etiam indifferens opus peragit, & quandoque minus de tali felicitate cogitat) excitentur. pari etiam modo species à Deo infusæ, tam sunt sublimes ex sua natura, & conditione; vt cum sensibus nihil affinitatis habeant, à nullo intellectu exprimi possint; sed à sola Dei inspiratione dependeant, diuinumque admirabile lumen, absque operationibus intellectus, ad talem operationem proportionatis, conferant.

Itaque alterutro horum posito, aut alia superexcellenti aliqua mentis perceptione, exercitium actus ilicò absque imperfectis operationibus, seu verbis præambulis, superexcellenti quoq; modo incipitur, dein absque vlla interruptione, aut impedimento perficitur; dum animum diuinum, illius qui omnibus præstat, singularem spectatorem efficit: cum eo tamen, vt semel habita specie infusa, aut præuia voluntatis cõmotione, proprijs deinde actibus intellectus, & voluntatis fruitionem instituat, renouet, continuetque; ac etiam per quam facilè amoris præstantia, actuales operationes intellectus supprimat, de statu suo dimoueat, & ad suauem mentis excessum eleuet, eoque cessante infallibiliter ad formationem Agalmatis remittat; aliaque, vt iam supra dictum est, præstet.

Sicut autem in his speciebus infusis, & voluntatis præuijs commotionibus, spiritus, vbi vult, spirat; ita vt à Deo solo immittantur; ita quoque huius, vel illius vocem audis; sed nescis, vnde veniat, aut quo vadat. nullis enim regulis, aut humanis viribus subijciuntur, statum etiam non mutant; sed actualiter subtiliùs, & intensiùs illustrant, diuinique amoris calorem communicant: vnde etiam non ita frequenter, præsertim hoc loco, vbi per habitum doni sapientiæ proceditur, contingunt. si enim aliquis sæpiùs à Deo species infusas suscipiat, aut præuijs voluntatis commotionibus speciali modo excitetur; præsertim ad formalem ecstasin, vel raptum; potiùs ad statum sanctorum a viatorum, & præstantiores Spiritus sancti inactiones, quã ad statum Transformationis referendus esset. hisce autem statui Transformationis actionibus proprijs, circa diuinum præstantissimum Bonum, & Pulchrum circumuolutiones suas continuo (licet ad octo vel decem annos) peragit; à summa, per mediam, vsque ad infimam mentis regionem, Vbi, & Situm, descendendo; prout ex sequentibus latiùs videbitur.

a *infra Dec. 9.*

PRA-

PRAXIS
STATVS TRANSFORMATIONIS
MODI DESCENDENTIS,
ET PRIMO
DE IIS QVÆ FIVNT IN SVMMO PER DONVM SAPIENTIÆ SVPERNATVRALIS.

PARAPHRASIS DECIMA.

QVÆ *est ista* a *quæ progreditur electa vt Sol.* ac si diceret: sicut lux Solis superat in claritate lucem Lunæ; ita status Transformationis excedit statum Vnionis, prout à præcedentibus, & subsequentibus statibus, proprium sibi vendicat. Deinceps ergò, pia anima, tanquam sol in virtute sua lucet per donum supernaturalis sapientiæ; & à Domini spiritu de claritate in claritatem transformatur, secundùm cœlestes quasdam regiones nouo semper modo succedentes; in illis iuxta praxin supra *b* positam, pro actus exercitio, circumuolutiones suas incredibili varietate, & iucunditate, indesinenter peragendo; prout ex sequentibus constabit. quæ etiam tantò breuiùs explicare oportuit, quantò, quæ summa sunt, minus dicuntur. Sit ergò

I. Breuis deductio eorum quæ eueniunt in praxi toto statu Transformationis modi descendentis durante.

II. Propria operatio quam diu mysticus in summo huius Transformationis versatur, est Sabbatismi felicissima fruitio.

III. Eius velle & posse adæquatè procedunt.

IV. Nulla soleitatis interruptione molestatur amplius.

V. Magis ac magis splendoribus spiritus diuini illustratur.

VI. Ex integro, & perfecta sua totalitate, vt in vmbra Dei habitat mysticus.

a *Cant. 6.* b *paraph. 9.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Breuis deductio eorum quæ eueniunt in praxi; toto statu Transformationis modi descendentis durante.

REquiem tibi dabit Dominus Deus tuus semper, a & implebit splendoribus animā tuam, & ossa tua liberabit: & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ. ac si diceret: ô pia anima, licet in statu vnionis supremas illas spiritus fruitiones experta sis; nondum tamen in temetipsa habebas absolutam illam requiem, & appetitus satietatem, quam adhuc superesse cognoscebas, dum ad soleitatem tuiipsius, vnionis cessationem, & carentiam subinde, imò frequenter reincidebas; id quod mysticæ felicitati multum aduersabatur. quamuis enim essentiali resignatione omnia de manu Domini susciperentur; hoc tamen non impediebat actualem vnionis cessationem; iam verò Deus dabit tibi requiem, & continuum gaudium, ob præstantem vsum diuinæ amicitiæ: & hoc ipsum quidem cum splendoribus maximis in anima tua; & in ipsis ossibus tuis, seu in illis spiritus latibulis, in quibus aliquando tenebræ intellectuales, & amatiuæ virtutis duræ fiebant remissiones. vndè etiam eris sicut hortus irriguus; qui quoquo tempore sufficientem habet in se humiditatem, imò superabundantem aquam suauitatis Diuinæ; sicut fons cuius aquæ non deficiunt, ita vt nulla amplius sit interruptio iam adeptæ fruitionis, & pro eodem sint in vitali vsu, & actuali exercitio, tuum in familiaritate diuina velle, & posse, vtque non plus velis, quam possis; nec minus possis quam velis. quæ quidem felicitas maior est, quàm vt eam oculus subtilissimi intellectus videat, aut auris percipiat, aut in cor hominis ascendit; nisi in illud cui datum fuerit nomen nouum, quod nemo nouit, nisi qui accipit.

Obseruandum est tamen piæ animæ, quod in dicta pace, & gaudio Spiritus sancti non semper, ac continuò sit adæquata intensio amoris; in hac enim vita impossibile est, in exercitio actus omni momento, æquè intensam in omnibus, & per omnia retinere fruitionem; sicut habetur in summo Hic, & Nunc operationis, quando homo ad omnia exteriora inutilis est, & nec seipsum, nec ea quæ circa se sunt aduertit, sicut etiam pro eo Nunc aduertere non debet. sæpè etiam alijs pijs actionibus vacandum est, & orandum vocaliter, in choro laudes Dei canendæ, in altari sacra mysteria peragenda sunt: sæpè insuper functiones impositorum officiorum ad publicum bonum, & regimen, animum trahunt; quæ omnia certè cogitationem, intellectualem prudentiam, ac curam quàm maximè requirunt: ita vt mysticus ab vsu sensuum, & phantasiæ non tantum non liber sit; sed etiam oculum attentionis hisce impendere habeat. licet ergò non defi-

a *Isai. 58.*

deficiant aquæ fontis Trãsformationis, præcipuè modi descendentis, & in toto suo esse, habere, operari, & frui, sit irriguus, abundansq́; : vt etiam ad mediam, & infimam regionẽ descendendo, toto suo habere, & viúere dicat, bonum est nos hic esse, & interea dum eiusmodi pia exercitia peragit, simul in diuinitate, sicut piscis in aqua, natet; attamen ab vsu phantasiæ, & rationis aliquali saltem discursu, liber esse non potest. ideò etiam Deus aliundè compensat bonum contemplationis, ad suam gloriam, (vtcunq;, & saltem quantum ad sublimem operandi modum) interruptum. & hisce in genere dictis, consequenter ad specialia procedemus.

Propria operatio quamdiu mysticus in summo huius Transformationis versatur, est sabbatismi felicissima fruitio.

ARTICVLVS SECVNDVS.

RElinquitur a *sabbatismus populo Dei*: ac si diceret: ô pia anima, quam fœlix, & diu optata est illa requies, in qua tandem aliquando integrè, perfecteque datur, quod alioquin, aut per partes, aut interrumpentibus spiritus soleitatibus, & intersectis diuinis carentijs, habebatur. iam verò populo Dei, cuius conuersatio in cœlis est, ibique plus amat, quam in terra, vbi animat, relinquitur sabbatismus, & cessatio ab operibus duris, in eo quod dono sapidæ scientiæ, & vitali vsu diuinæ naturæ consors factus, per eiusdem diuinæ naturæ bene-afficientiam viuat, gaudeat, & delicietur. felix hic sabbatismus, in quo nulla distractionum molestia, nulla passionum inordinatio, nulla cœlestium gaudiorum interruptio adstat; felix maximè hic sabbatismus, in quo pia anima magis passiuè, quam actiuè se habet. vnde etiam tam fortes attractus, & sursum actiones toto eo tempore, quo in summo hoc versatur (licet ad annum, aut alterum, perseueraret) experitur, vt si Deo Optimo Maximo placeret, pondus corporis alleuiare; nec momento vnico in terra consistere sibi videretur possibile: quin ilicò cum spiritu vsque adeò eleuato, ipsum quoque corpus summa cœlorum, ac super quæuis imaginaria spatia, altitudinesqúe coascenderet; vt ei qui super omnes est, etiam adstare liceret: prout clarius colligitur ex sequentibus,

Eius Velle & Posse adæquatè procedunt.

ARTICVLVS TERTIVS.

CVm eleuarent Cherubim alas suas, b *vt exaltarentur de terra, non resistebant rotæ, sed & ipsæ iuxta erant: stantibus illis stabant: & cum eleuatis eleuabantur, spiritus enim vitæ erat in rotis.* ac si diceret: ô pia anima, quam diu inter se differunt velle, & posse; iuxta illud Apostoli: Velle adiacet mihi, perficere autem non inuenió;

a *Heb. 4.* b *Ezech 10.*

perfecta eleuatio à terrena conuersatione esse non poterit: quia inferiores potentiæ superioribus non integrè subijcerentur, nec promptè rationis imperio obedirent, & ideò tanta est harmonia veræ, ac realis Transformationis in spiritu transformato; vt sicut Cherubim quando eleuabant alas, superiorum scilicet potentiarum, vt inquam, omnia quæ sunt, & quæ non sunt, transcenderent, rotæ inferioris quoque hominis, cum omnibus viribus non resisterent: sed ipsæ quoque iuxta essent; vtique tanquam connaturales, & ad totum compositum integraliter pertinentes. cum stantibus verò stant, ne scilicet plus velint, quam possint, & cum eleuatis eleuantur, vt non minus possint, quam velint. hoc autem non ex se, aut naturali virtute; sed supernaturali prorsus, & diuina; ideò enim spiritus vitæ erat in rotis; vt scilicet per gratiam, omnem inordinationem animi sanantem, expeditæ, alleuiatæ, & coadunitæ maneant, potentijs superioribus ad eum, qui super omnia est, tendentibus. vndè quocunque tempore, modo, aut loco taliter affectam piam animam quis interroget, [quid in cœlo aut in terra optet, non aliud ex ea audiet, quam id volo, *a* quod hoc momento in me comperio.]

Iam verò tam arctus superiorum, & inferiorum virium consensus, ac connaturale quasi consortium diuinæ naturæ, & quidquid demum hic benè, ac pulchrè in Deo afficit, pro præambulo duntaxat, & dispositione accipiendum erit. pro exercitio verò actus hæc omnia amicè deferens, ad diuinos radios in spiritu longè subtilius relucentes, sese reflectat; quousque omnia quæ etiam intimè circumstant, supergrediens, ad intelligentiam substantijs separatis conformem pertingat; ac dein si pro eo instanti operationum successus non interrumpatur, voluntas perfectiùs pondere sui amoris, extra proprium statum se dimouens, proijciensque iungatur Deo, prout in se est, & amoris præstantia, intellectus explicitas operationes excedit, atque amoris potiùs, quam intellectus ecstasi, abducatur in Diuinitatis abyssum; dein ab eo liber, pulcherrimum lumen seu species Diuinæ naturæ, in spiritu resultet, ad optimam dein, & & adæquatam operationem intellectus, & voluntatis, ilicò formandam, & pro fruitione perfectissima continuandam. atque hinc iucundè admodum profluit, quod pia anima in omnibus actionibus suis, plus Deum, eiusq; felicitatem, & vitæ æternę communionem, quam se, suaque sentiat, magisque in cœlis quam in terris conuersetur. & quidem ex vna parte his, & similibus vitæ æternæ consortijs in-dies alitur, ex alia parte autem, tam angelica, huius vitæ exilio prorsus indigna iudicat; Dei tamen in se benignitatem summa reuerentia, collaudans. Quanta porrò securitate hæc felicitas possideatur, consequenter etiam dicemus.

Nulla

a In vita B. Catharin. Genuen. c. 31.

Nulla ſoleitatis interruptione moleſtatur amplius.

ARTICVLVS QVARTVS.

NOn a *abſcondam vltra faciem meam ab eis, eo quod effuderim ſpiritum meum.* ac ſi diceret, ô pia anima, pax, & gaudium in Spiritu Sancto, quibus tam abundanter perfuſa es, æternæ gloriæ ſecuritatem tibi repræſentant; in eo quod in omni tuo habere,& viuere videatur hanc feliciſſimam Transformationis abundantiam, nullis vnquam temporibus defuturam. cuius quidem ſecuritatis infallibilitas in cœlo perfecti gaudij ratio eſt. ſi enim, vel vnquam finienda foret, in Nunc æterno nõ poſſent Sancti Dei tã purè gaudere quin ſimultaneè etiam ob deficientiam quãdoque futuram, contriſtarentur. quia ergò gratia Dei effudit in te ſpiritum ſuum, non abſcondit Deus faciem ſuam amplius; vt ſcilicet interruptiones ſoleitatis proprij ſpiritus, ſeu diuinæ fruitionis carentiam ſubeas, eiusque moleſtia afficiaris; pro vt hucuſque in omnibus ſtatibus contingebat: in quibus etiam non tam habebatur quod deerat, quam quod appeteretur, id quod non ex toto; ſed tantum ex parte frui erat. illius enim quod quis abſolutè nondum habet poſſidet, & ad libitum non vtitur, non datur plena, & articulata fruitio; ſed optatiua; & ad aliud tendens, appetenſque fertur, & fruitur, non autem, vt habens, poſſidens, & vtens deliciatur.

Licet ergò fluminis impetus lætificet ciuitatem Dei, & in pia anima ſapientia, ſapidaue ſcientia attingat vndique propter ſuam mundiciam, ita vt omnia ſint bona valdè; in exercitio tamen actus, & quando mentali negotio vacandum erit, oportet vt omne ſuum in Deo vitaliter habere, & viuere pro minimo, imperfecto, & præambulo accipiat, vt ſuper omnem ſuam felicitatem, maiorem amplitudinem ſubtiliori viſu conſpiciat in eoque aſpectu omnia quæ ſunt, & quæ non ſunt, deſerat, vſque ad conceptum Dei abſolutum, ſeu entis perfecti; vt deindè ad amoris exceſſum, tranſeat: quot hoc loco abſque ſingulari conatu, & ex ſolo intenſioris amoris progreſſu, ſæpè contingit. cæterum hæc nõ tantum poſſideri ſecurè, ſed etiam indies augeri, conſequenter, explicamus.

Magis ac magis ſplendoribus ſpiritus diuini illuſtratur.

ARTICVLVS QVINTVS.

NOs b *omnes reuelata facie, gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu.* ac ſi diceret, ô pia anima, profundiſſima illa radicatio in charitate, quæ iam non vti prius in ſtatu priuationis velut in carbone, rutilabat, & in ſtatu vnionis tanquam in flamma lucebat; ſed tanquam ignis in propria ſphæra eminen-

a *Ezech. 39.* b *2. Cor. 3.*

minenter splendet; quodammodo loquitur, non dicam vos amplius seruos, sed amicos; quia omnia quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis: in eo quod reuelata facie, & eminentiori modo, quam alias vnquam gloriam Domini speculari non tantum concessum sit; sed etiam datum, vt in eandem imaginem transformemini, idq; à claritate in claritatem tanquam à Domini Spiritu, quo etiam nil melius in hac vita optari potest. in tantum etiam, vt hoc loco per supersplendentes illas diuini spiritus illustrationes, articuli fidei, & veritatis reuelatæ, tam euidenter & perfectè cognoscantur, vt impossibile videatur aliter esse; cum merito tamen fidei, eo quod æquè, ac scholastici euidentiam fidei habentes parati sint credere, & actu credant, quando eiusmodi certitudo, non æquè intensè ac clarè manet.

Iam verò pro actus exercitio hæc omnia, & quidquid demum in mystica felicitate, etiam tam magnificum sentit vt nõ liceat homini loqui, pro suo præambulo duntaxat, & proxima ad felicissimas operationes dispositione accipiat deseratque; dein ilicò diuinum Bonum quam intimè penetret, ibidemque acceptam bonitatis diuinæ similitudinem aspiciat, & aspiciendo amandoque collaudet. ex omnibus enim nil æquè feliciter, & iucundè in anima peragitur, quã vt facta ad imaginem Dei per potentias, & ad similitudinem per operationes; perfectè iuxta subiecti, & viatoris conditionem, operationibus sanctissimæ Trinitatis ad intra sese conformet per operationes intellectus agentis, & patientis; vt ab vtroque dein consortij diuinæ naturæ amor proueniens, subtiliùs digeratur, renouetur, & ad fruitionem continuandam foueatur; illudque ipsum per quam facilè. sicut enim perfectè sanus, suam sanitatem intelligit, & illam intelligendo in seipso existentem, & vitaliter manentem dicit, eiusque iucunditate, & bene-afficientia fruitur; ita quoque pia anima vitalem illam per gratiam sanati animi Transformationem, & diuinæ Bonitatis participationem, cum supersplendenti lumine in se habitare, & tanquam ex imis visceribus spiritus procedere intelligit, & intelligendo, penitiùsque agnoscendo eam dicit, seque in ea viuere gaudet. & eo ampliùs, quod eiusmodi bene-afficientia taliter æternæ gloriæ pondus operetur in ipsa, vt abundantissimè in inferiores animæ, & corporis vires diffluat, easque propè beatas efficiat: Vndè & ipsum corpus, quod alioquin aggrauat, tam leuè videtur; vt instar spiritus instantanea agilitate ipsas cœlorum altitudines penetrare gestiat, & se ad instar solis luminosum esse non dubitaret; dummodo ad extra apparere posset, quod in se lucere videtur. & certè si hæc æternæ gloriæ participatio maneret absque corporis immutatione, & pro vt se tam in spiritu, quam in corpore, in, & à Deo, non autem ab alio aliquo, bene-affectam habet; in æternum contenta esset; nec maiorem beatitudinem, siue in spiritu, siue in anima; siue in ipsõ corpore à

Deo

Deo optaret, si ad claram visionem à Deo non ordinaretur. atq; hanc etiam felicitatem, qua scilicet de claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu transformatur, tam certo, & vitali gustu habitualiter, & ordinariè experitur, quam ea quæ oculis videt, manibus palpat, & vita sentit: idque tantò certiùs, quantò ea, quæ spiritu fiunt, ea quæ sensuum sunt, excedunt: tam perfectione naturæ, quam operandi subtilitate. quanta verò intellectus, & affectus intensione hæc contingunt, ex sequentibus constabit ampliùs.

Ex integro, & perfecta sua totalitate vt in vmbra Dei habitat mysticus.

ARTICVLVS SEXTVS.

HOmo a *sensatus in sapientia manet sicut Sol.* ac si diceret, ô pia anima, homo sensatus non vtique tam intellectu, quo absque defectu cognoscit; quam voluntate, qua ipso vsu doni sapientiæ vitaliter perfusus est, tanquam sol in suo lumine, tam integrè manet, vt non tantum defectum non patiatur; sed potiùs ex tã superspplendenti transformatione, in vmbra Dei, ceu in imagine vitæ æternæ permanenter habitet: cum eo tamen, vt in exercitio actuali non semper æquè intensè, & adæquato actu persistat. si enim semper æquè intensè in Nunc præsenti, & actus exercitio persisteret, nunquam à supremis operationibus, quando amor piam animam de statu suo dimouet, expediri, nec ad aliud quantumuis pium, & bono publico vtile opus sese conuertere posset: sed continuò ad actiones huius vitæ inutilis foret.

Iam verò pro actus exercitio tanquam præambulum, & dispositio ad perfectam operationem, & pro primo coexistat vitale in Deo bene-affici, totum compositum hominis ex consortio diuino perfundens: pro secundo autem nouo, & intensiori actu, ipsum summum, & primum Bonum, & Pulchrum, vt in infinitum hisce præstans videat, & videndo subtiliorem speciem, ac illius Boni Pulchrique similitudinem exprimat, & in longè intimiorem amoris bene-afficientiam digerat, digerendoque eandem renouet, foueat, fruaturque. donec post vnum alterumue annum, plus minùs, animaduertat; summum illum, & quasi violenter ad superiora tractum nonnihil remisisse: tum enim ad ea, quæ in medio sequenti paraphrasi dicuntur, transeundum erit.

a *Eccl.* 27.

ET SE-

ET SECVNDO

DE IIS QVÆ FIVNT IN MEDIO TRANSFORMATIONIS MODI DESCENDENTIS.

PARAPHRASIS VNDECIMA.

QVis *hominum scit quæ sunt hominis, nisi* a *spiritus hominis, qui in ipso est.* ac si diceret, donum sapientiæ in suo summo tam excelsiue spiritum tuum illustrabat, & amoris actionibus extra statum suum dimouebat; vt quodammodò tui iuris non esses, & ea, quæ spiritus tui erant, ignorares: iam verò in media regione, conformiter ad spiritum, qui in te est, suauitatem spiritus diuini experieris, pro vt in sequentibus dicetur.

I. *Propria operatio quamdiu in medio Transformationis descendentis versatur, est secessus mystici viuacitas.*

II. *Proprius spiritus à captiuitate diuina absoluitur.*

III. *Lumine Transformationis contemperato, viuacitas proprij spiritus redit & claræ visionis similitudinem in se exprimit.*

IV. *Quantò magis ad mediam regionem descendit; tantò altiùs regionem spiritus diuini supra se habet.*

V. *Adæquatis operationibus intellectus & voluntatis, vsque ad inferiorem regionem descendit.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Propria operatio quamdiu in medio Transformationis descendẽtis versatur, est secessus mystici viuacitas.

VIderunt b *sub pedibus Dei Israel, quasi opus lapidis saphirini, & quasi cælum cum serenũ est.* ac si diceret, ô pia anima, sicut mediæ huius regionis situs, à supremo alius est, ita quoq; aliam habitationem constituit. quemadmodum qui prius in alto erat, cum ad medium descenderit, ille quidem respectu inferiorum adhuc in summo, respectu superiorum autem, in infimo est: supremum enim infimi, infimum duntaxat est supremi. & ideò sub pedibus Dei Israel visio apparebat, opus-

a 1 Cor. 2. b Exo. 24.

opusque illud pretiosum, & aspectu delectabile lapidis saphirini; qui lapis colore aureis punctis relucet, & operationes mysticæ Transformationis, tanquam stellas scintillantes producit: cum eo tamen, vt ordinarium lumen, & bene-afficientia sit ad instar cœli, cum serenum est, & oculis longè gratius, quam intensus sol lucidissimis radijs splendens lumen suum visui non contemperabat. hinc, & violentiam quandam patiebatur, dum in summo Transformationis versaretur, & amoris vehementia extra statum suum dimouebatur: iam verò sereno intellectuali cœlo, & suaui mentis excessu, toto eo tempore, quo in medio huius Transformationis degit, supereminentem illam charitatem Dei digerit, & inescat; semper plena realitate sese descensui conformando, & in secessu mystico, siue intimissima tranquillitate, admodum vicinè diuinam bonitatem penetrando, ita vt in omnibus existentibus, nil nisi prout in summo Bono existunt; eiusque imagines, seu particulæ quædam sunt, intueatur: idque secundùm optimum modum operandi in hac vita, per quem in actus exercitio scit, quæ à Deo donata sunt sibi; sicut Beati in cœlo simultaneè intelligunt se beatos esse. Prout magis articulatè in sequentibus dicemus;

Proprius spiritus à captiuitate diuina absoluitur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

INtrans in domum meam, conquiescã cum a *illa (sc. sapientia;) non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius, sed lætitiam, & gaudium.* ac si diceret: ô pia anima, licet paulatim à forti illo tractu, ceu à diuina captiuitate absoluaris, & in spiritu proprio viuacitatem tibi magis proportionatam experiaris; non ideò tamen ab eminẽti charitatis vitali vsu cessas, ita vt interruptio fruitionis diuinæ contingat; sed à superspplendenti lumine recedens, in domum spiritus tui intras, ibiq; habitas cum sapida illa in Deo bene-afficientia. quæ cum totam tuam capacitatem, seu velle, & posse impleat, non habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius; sed huic regioni, & situi mentali conformem, & plenam lætitiam, ac gaudium in adæquato actu intellectus, & voluntatis; ceu in æquilibrio, & linea recta, quo ita libero, ac soluto animo iungaris ei, qui lumen suæ superspplendentis Deitatis visui tuo contemperat.

Et per hæc quidem omnia, vt præambula; perfectè tamen disponentia, in exercitio actus transeundum erit, absq; conamine tam altè transcendendo, sicut fiebat cum adhuc in summo spiritus diuini versareris: dein aspectus

a *Sap. cap. 8.*

spiritus ad eum qui intimè, & quasi in ipso capite tuo suauissimas Diuinitatis suæ influentias distribuit, conuertendus est. sic enim cum maxima lætitia, & gaudio spiritus, ad suaues mentis alienationes, & ecstasis vicinas abstractiones abduceris: ibidem amoris arcanas inactiones suscipiendo. Quam feliciter porrò hæc fiant, ex sequentibus magis clarum fiet.

Lumine Transformationis contemperato, viuacitas proprij spiritus redit, & claræ visionis similitudinem in se exprimit.

ARTICVLVS TERTIVS.

ECce a *regnum Dei intra vos est.* ac si diceret: ô pia anima, non est quod cogites, te continuò eminenter supra te Deum quærere debere, cum ipsum regnum Dei intra te sit; in eo, quod sicut Beatis in cœlo, ipse Diuinitatis splendor (pro cuiusque dignitate) à Deo contemperatur, vt absque violentia, ac grato prorsus modo, illum suscipere valeat; ita quoque hoc loco tibi eueniet propter modificationem supersplendentis luminis transformantis, quod in suo summo ex forti eleuatione ad superiora attrahebat: iam verò benignè remittens, tibi in temetipsa, amicabili modo, collucet; quo ita in te, & in omnibus quæ circumstant, & quoquo modo percipiuntur ita habites; vt tamen etiam perfectè quæ Dei sunt videas, maximèque diligas, nil distractionis aut incommodi patiens ab ijs, quæ Deo minora sunt, & vt primi Veri, Bonique imagines, ac particulæ existunt. his itaq; cum ob descensum ad mediam regionem, proprij spiritus viuacitas accedat, & à nimia illustratione diuina absoluatur, suique iuris magis magisque fiat; mitiori modo, & humanæ conditionis per quam accommoda exercitatione, vitæ beatæ similitudinem in se quodam modo circumfert. vti enim in cœlo Beati sic Deo intendunt, eiusque gloria fruuntur, vt etiam simul aliud, & dicere & facere possint, semper principaliori beatitudine in semetipsis gaudium vitæ æternæ circumferentes, idq; simultanea notitia, quod in Deo beati sint: pari modo iam mysticus in omnibus quæ agit, & percipit, quæque Deo minora sunt, vt particulas, & vestigia diuinæ bonitatis intuetur, ac simultaneè vitale suum in Deo bene-affici cognoscit, & scit quæ à Deo donata sunt sibi; idq; non tam ex actuali expressione, per operationes intellectus & voluntatis; quam ex dono sapientiæ vitaliter afficiente, & ex abundantia superiorum virium, in inferiores vires, ac totum hominis compositum influente. est itaque eiusmodi supereminentis splendoris remissio, in media hac Transformationis regione, & mentali situ, longè gratissima; ac viatori maximè proportionata; cum in ea, ceu in statu innocentiæ, per inspirationem internam, & vitalem communionem, modo angelico

a *Luc. 17.*

lico cœlestium exemplaria in semetipso circumferat; ita vt fruitio vitæ æternæ, quæ nunc est, vmbra & imago sit futuræ Beatitudinis.

Iam verò pro exercitio actus hæc omnia, quantumcunque cœlestia sint, vt præambulum, & imperfectum quid, seu quod per actus operationes longè perfectius, &, substantijs separatis conformiores modos depurari, ac subtilizari debeat, accipienda, & deferenda sunt; dein oculus spiritus ex prædictis omnibus diuinis illustrationibus præclarior factus, ad diuinum Bonum, & Pulchrum dirigendus; vt sic spiritus in operationibus supremis, per verba mystica, ac mentis locutiones, totum id, quod felicitatis ex diuino consortio habet, renouet, foueat, ac scrutetur, vsque ad profunda Dei; prout ampliùs consequenter dicemus;

Quantò magis ad mediam regionem descendit; tantò altius regionem spiritus diuini supra se habet.

ARTICVLVS QVARTVS.

FIat a *lux lunæ sicut lux solis.* ac si diceret: ô pia anima, cum ea quæ in spiritu intimè abscondita sunt, pro sui intensione, vel remissione in viribus inferioribus, seu sanctis imaginibus semper reluceant, atque in ijs infimo modo quidem; attamen, vt fieri potest, conuenientissimo resultent: hinc est, quod regionem supremam spiritus diuini ab intensissimis splendoribus remittentem, iam velut summè supra distantem, maximèque eleuatam conspicias. idque semper eò ampliùs, quò in medio hoc mentali situ ad inferiora descenderis, cum eo tamen vt lux lunæ, tibi sicut lux solis, tamque integrè, & plena fruitione in lumine remisso, tuæque naturali dispositioni contemperato, vitæ æternæ delicijs affluas, quam in summo: & eo magis, quod scilicet oculus internus, non amoris violentia à statu suo dimotus, ipsam felicitatem mysticam, tanquam sibi connaturalem habeat, possideatque. sicut etiam oculus corporis multò iucundius lumine diei fruitur, si sol nubeculis vtcunque obtectus splendentes radios cohibeat. vndè sicut ad videndum aliquid non est necesse videre substantiam Solis; ita quoque ad perfectam, & absolutam pro Nunc instanti mysticam felicitatem, non amplius est necesse superspledentibus illustrationibus indui, cum eorum loco, lux huic intensioni proportionata ad actus adæquatæ dilectionis, & intellectionis exercendos, integrè sufficiat; non obstante, quod indies animaduertat regionem spiritus diuini, in qua in summo versabatur, supra se persistere.

Interea pro exercitio actus non tantum regio spiritus diuini in alto remanens, & illustrationes ab intenso lumine remittentes; sed etiam quidquid internæ bene-afficientiæ habetur, vt præambulum, & imperfectum quid accipien-

a *Isai. cap. 11.*

dum est, & oculus mitiori lumine perfusus, ad lumen, & bonum quod illuminat, & beat omnem hominem, extendendus, atque ab omnibus quæ sunt, & quæ non sunt depurandus est; quo ita ei, qui his omnibus præstat, adæquato actu intellectionis, & dilectionis iungatur, cum eoque locutionis mentalis operationes iucundè admodum exerceat, & in earum renouatione circumuolutiones, diuinique amoris lusus perficiat; interea quod in media regione status Transformationis continuò descendit, vt consequenter dicemus.

Adæquatis operationibus intellectus & voluntatis, vsque ad inferiorem regionem descendit.

ARTICVLVS QVINTVS.

VEnit a *hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* ac si diceret: ô pia anima, omnis operatio mystica, si secundùm suam perfectionem consideretur, talis esse debet, vt adæquatè proceedat, secundùm intellectum quidem, vt sit remota, & superexaltata ab omni eo, quod vt inferius transcendi potest; secundùm voluntatem verò vt bonum proportionatum tam subtiliter amet, quam intelligit: hoc ipsum autem iam vel maximè fieri potest, & debet. vndè nunc est hora in proprio spiritu adorandi Deum, secundùm illam veritatem amoris, quam realiter, ac verè in hac media, & magis magisque descendente mentis regione, & situ reperit; absque conatu se erigendi ad sublimes illas, ac supersplendentes illustrationes, quæ in summo huius Transformationis contingebant: sed adæquato actu intellectus, & voluntatis, hoc quod in se verum est, ac realiter vitali communione in Deo bene-afficit, ita possideat, vt plus non appetat, nec minus appetat, quam velit, nec plus intelligat, quã actu diligat, nec plus diligat, quam actu intelligat. atq; hoc est vera, reali, ac integra adoratione Deum Patrem (supra omnia præstantè) in spiritu, eiusq; infima regione, mentalivè situ reuereri; vera amoris consecutione Deum adorare, ac potentijs intellectus, & voluntatis adæquatè actuatis, in illum piè transformari; cum ineffabili omnium, prout sunt in prima veritate, relucentia: qua mediante etiam fit, vt cuncta quæ in inferioribus videt, ac secundùm spiritum, animam, & corpus attingit, sint bona valde, & diuinæ, & supereminentis bonitatis, veritatisque imagines, ac particulæ.

Vt autem hæc ritè fiant, pro actus exercitio mentales regiones, situsvè, ac insuper ipsum suum vitale habere, ac præambulum vt imperfectio; attamen vt conformis dispositio ad intimius operandum, accipienda sunt, ac deserenda; pro principio autem operationis subtilis cogitatio de summo Bono, & Pulchro assumenda est, ad eliciendam maximè spiritualem similitudinem, seu speciem; quam fœcunditas intellectus viden-

a *Ioan. cap. 4.*

videndo illustrat, illustrando perficit: interea amatiuam vim tam subtiliter alliciens, vt videndo Pulchrum ita subtiliter à consortio diuinæ naturæ afficiatur, vt quodammodo operationes substantiæ separatæ attingat, & adæquatè, id est, tam spiritualiter diligat, sicut intelligit; toto hominis composito in pace silentique gaudio, sibi proportionatis modis confruente; idque tamdiu, quoadusque constanter animaduertat, sese ob continuum descensum ad infimam regionem deuenire: quo facto, ad ea, quæ sequenti paraphrasi dicuntur, transeundum erit.

ET TERTIO

DE IIS QVÆ FIVNT IN INFIMO TRANSFORMATIONIS MODI DESCENDENTIS.

PARAPHRASIS DVODECIMA.

GRatia Dei diffusa a *est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* ac si diceret, sicut in summo spiritus proprius ad altiora se non admittebatur, ita & in spiritu proprio, inferioris hominis machina tanquam ab eminentiori se, substare cogebatur. descensu ergò Transformationis declinante, spiritus proprius non amplius in media; sed infima regione viuere, & degere habet: ita vt ipsa quoque hominis infetioris circumferentia, proportionatis sibi modis, & actionibus spiritualibus diuinis coniungatur, percipiatque, quam intimè gratia Dei diffusa sit in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis: pro vt in sequentibus dicendum est. &

I. *Propria operatio quamdiu in infimo Transformationis descendentis versatur, est silentij mystici quieta fruitio.*

II. *Obumbratio diuinæ fruitionis in homine inferiori viuacissima quiete possidetur.*

III. *Plena fruitione continuò descendit, quousque, sicut spiritum diuinum; ita & spiritum proprium supra se in alto videat.*

IV. *Remittente lumine Transformationis, descensus in profundo habitationem constituit.* V.

a *Rom. 5.*

V. *Obumbratione fruitionis silentiosè in abyssо interioritatis paulatim disparente, spiritus admiratio subsequitur.*

VI. *De spirituali profectu, duratione & transitu ad statum Transformationis modi ascendentis.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Propria operatio quamdiu in infimo Transformationis descendentis versatur, est silentij mystici quieta fruitio.

PErambulauimus terram, & ecce omnis terra habitatur, a & quiescit. ac si diceret, ô pia anima, quam admirabilis, & grata nimis est illa hominum concordia; totus enim mundus diligenter à nobis visitatus, altum silentium tenet, non quidem ex eo quod pauci homines in illo sint, fortè bello, fame, & peste sublati; sed quod terra habitetur, & hominibus plena sit. atque vnanimi consensu omnes quiescunt, nemo clamitat, discordias excitat nemo; sed pace vniuersali delectantur singuli. verùm quam longè felicior est illa animæ quies, in qua omnis terra inordinata affectione olim turbata, nunc autem pacatissima subiectione silet, ac inferiores vires superioribus subijciuntur integrè, rationisque imperio; sicut etiam instinctui Spiritus Sancti promptè, & hilariter obediunt: & hoc quidem non aliundè, quam ex abundanti amicitia Dei, omnes totius compositi humani potentias bene-afficiente, vtq; ad ipsum corpus, quod suo, sibique proportionato modo, reficitur, gaudet, & ossibus suis omnibus dicit, Domine quis similis tibi? sicut ergò in supremo spiritus diuini pia anima fertur circa Deum vt excelsum, & superexaltatum; in medio autem, vt circa magnum; sic iam in hac infima regione, circa Eum versatur vt paruum, & collecta, ac silenti ratione circumuolutiones mysticas operatur, perficitque, tam diu, quousque ad abyssorum infimitatem descendendo, diuinæque sapientiæ latibula profundè scrutando; tandem à summo Transformationis modi descendentis, per medium ad infimum vsque pertranseat. pro vt articulatè hic consequenter explicabimus.

Obumbratio diuinæ fruitionis in homine inferiori viuacissima quiete possidetur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

PAter Sancte, ego pro eis rogo, vt habeant gaudium meum b impletum in semetipsis. ac si diceret, ô pia anima, tanta est diuini amoris in se diligentem communicatio, vt ei non satisfiat, si per promissionem vitæ æternæ consoletur, aut per eam, quæ vera est fides, aut quæ est obiecti, & tendentiæ in bonum à se distinctum, aut quod modo adsit, modo absit; sed vt in semetipsis gaudium diuinum habeant imple-

a *Zach.1.* b *Ioan 17.*

impletum. sicut medicus non in alio sano, sed in semetipso propriam sanitatem habet, possidet, eamque contemplando perficit, de ea gaudendo. imò ex eo potissimum gaudium (quod est perfecta boni proportionati consecutio) suam originem in pia anima trahit, quod consortio diuinæ naturæ vitaliter in intimo spiritus afficiente, sicut à propria vita, sensu, & respiratione sit induta; quin imò etiam impleta, quo scilicet ipsum corpus, cor, & caro eius exultent in Deo viuo. Vndè etiam felicissimum illud silentium, (de quo tanta existunt apud mysticos encomia) hoc loco non per modum actus transeuntis; sed permanentis ad exercitium actus, pacem, & concordiam præbens, tam validè inferioris hominis vires, ac totius hominis cõpositum penetrat, ordinat, suauiterque afficiendo disponit, vt felicissimam resurrectionem corporum prælibare videatur. cum enim summa illa, & quasi violenta in spiritu diuino, & proprio viuacitas remiserit, tum & ipse inferior homo sibi conformi fruitione afficitur, ad quam prius non poterat admitti: cum modus in spiritu diuino, aut proprio existendi fuerit nimis eleuatus, & cui inhabitat corpori improportionatus. quod tamen non ita accipiendum est, ac si inferior homo in regione spiritus diuini, & spiritus proprij nil exabundantia superiorum virium influxus susceperit, cum hoc vel maximè factum sit; sed, quod non tam familiariter, & vt in propria, & sibi proportionata, infimaque hac regione hoc ipsum contigerit.

Iam verò pro actus exercitio, obumbratio diuinæ fruitionis, quæ hic viuacissima quiete possidetur; vt præambulum, & vitalis bene in Deo afficiens dispositio deserenda est; dein libero, & soluto spiritu ad eum, qui his longè præstat, internus visus dirigendus erit, siue hic sursum, siue deorsum, dextrorsum, vel sinistrorsum inclinet, ac ibidem videndo paulatim similium motuum, seu tendentiarum imagines, & notitias deserat, protinusque ad diuinum pulchrum videndum conuertat, spiritualiter illustret, amoris autem præstantia mentis actiones transcendens diuino bono indicibiliter iungatur; interea sic continuò descendendo; vt tamen ab eo quem diligit anima non separetur, pro vt hic consequenter ostendimus.

Plena fruitione continuò descendit, quousque sicut spiritum diuinum; ita & spiritum proprium supra se in alto videat.

ARTICVLVS TERTIVS.

OMnem a creaturam, quæ in cœlo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo, omnes audiui dicentes: Sedenti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & glo-

a *Apoc. 5.*

& gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum. ac ſi diceret, ô pia anima, quam completa eſt illa lætitia, & Dei perfecta laus, in qua vnanimi conſenſu, omnia quæ ſunt, Deum benedicunt; non tantum iſta, quæ ex natura ſua perfectiora, elevata, & in cœlo ſunt; ſed etiam media, quæ ſcilicet ſuper terram ſunt; imò etiam infima, quæ nimirum ſub terra ſunt: quin imò etiam illa, quæ in mari ſunt, & infatigabili commotione agitantur. ita, vt aſpectus ille mentis, ad euagationem pronus, & moleſtia, quæ ex diſtractionibus oriri, & tanquam in mari tumultuoſo animales appetitus inquietare ſolet, adhuc in plena quieta, ſilentio, ac fruitione perſiſtant; licet ſpiritus diuini, & ſpiritus proprij regionem iam ſupra ſe deſeruerit, & ad illa, quæ ſub terra, & inferioris ſunt ſitus indies magis deſcendat. quo ita nimirum diſcat, Diuinitatis extenſionem vbique, & à quacunque re (pro cuiuſque conditione) honorem, & gloriam exigere, ſolemque ſuum oriri facere ſuper omnes interioritatis modos, quibus omnibus mobilibus mobilior ſapientia, ſapida illa fruitione ſe communicare voluerit; æquè amicè, ac familiariter in infimis, ac in medijs, quam ſummis. plena ergò illa conformitas interioritatis, ad inferiorem hunc deſcenſum hoc præſtat; vt & hic diuina maieſtas adſit, bonitatiſque ſuæ vitales bene-afficientias diſtribuat; non obſtante eo quod regiones tam ſpiritus diuini, quam ſpiritus proprij, ſupra ſe diſparuiſſe agnoſcat.

Ad actus exercitium autem quod attinet, ipſa conformitas, & conſenſus in deſcenſum, ſeu profundiorem mentis ſitum, extenſionemque, & quidquid ſimul vitalis in Deo bene afficientiæ poſſederit; hoc ipſum totum, & ſimul, vt præambulum, & imperfectum quid deſerat; dein, vt poterit, amica, ad Eum, qui his longè præſtat tendentia, ſecundum adæquatum viſum, & motum, id eſt, vt non plus amet, quam intelligat, nec plus intelligat, quam amet; mentale exercitium inſtituat, & ſilentioſa admodum, ac ſubtili vita in Deo viuat, alatur, eorum quæ circa ſe ſunt oblita. & hæc quanta induſtria, & ad interiores viciſſitudines conformitate fieri debeant, conſequenter dicemus.

Remittente lumine Transformationis, deſcenſus in profundo habitationem conſtituit.

ARTICVLVS QVARTVS.

QVid lucidius a ſole, & ipſe deficiet. ac ſi diceret, ô pia anima, licet quis vixerit multis annis, & in his omnibus delectatus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis; quodque omnia

a *Eccl.17.*

omnia sub cœlo suis concludantur spatijs, ac naturalis inconstantiæ iura obseruent, idque ad ipsius solis vsq; splendorem, qui in tempore suo deficiet; quamuis ipso lucidius nihil sit in tota mundi machina. & pari quidem modo circa tua interiora fieri debere obseruues velim; licet enim dum in summa spiritus diuini, & media spiritus proprij regione non possis credere vnquam futurum eiusmodi, quem ab aliquo tempore, & nunc maximà sentis, super splendentis diuinæ illustrationis defectum; hoc ipsum tamen præsens remissio, & inferior in quo habitas, viuis, & operaris, mentalis situs, satis in praxi euincit; ita vt sub collecta ratione, & eo modo, quo Deus paruus esse dicitur, humili, & intra teipsam abscondità, ceu in centro, & puncto in infinitum diuisibili; te ei coniungere habeas, cuius circumferentia nusquam, & centrum vbique est. & certè vt hoc ipsum experiaris, quod scilicet diuina circumferentia sit nusquam, cum iam eius extensio, (siuè secundum altitudinem, siuè sublimitatem, seu excedentem magnitudinem accipiatur) disparuerit, centrum autem eius sit vbique; hoc nusquam melius, & ad viuum perfectiùs experiri licebit; quam hoc loco, quando lumen Transformationis, ex continuo descensu remisisse, diutina experientia repertum fuerit; ita vt in præsentiarum habitationem tuam, in ipso profundo constituere debeas: in quo etiam quantò intimiùs visum, circumferentiam, & quidquid in sanctis imaginibus (quæ diuinæ essentiæ quasi particulæ quædam resultant) inuenitur, depresseris; tantò pacatiori silentio in centro spiritus tui, punctum infinitum, & indiuisibile diuinitatis, vitali gustu, benignè suscipies.

Quod ergò remittente lumine Transformationis, ex continuo descensu in profundo habitationem tuam constituas, & circa Deum sub collecta ratione procedas, & prout Paruus consideratur, hoc ipsum totum sit tantum præambulum, imperfecta operatio, proxima tamen dispositio ad exercitium actus. pro quo (postquam hæc omnia deserueris) silentiosè, & spirituali visu, illum qui his omnibus longè præstat, intuearis, eiusque pulchrum videndo, & bonum amando; vt potes, intimè oportet constringas, & constringendo renoues, foueas, ac fruaris, idque sub collecto Nunc, & Paruo, ad minima quæque: pro vt constabit ex sequentibus,

Obumbratione fruitionis silentiosè in abysso interioritatis paulatim disparente, spiritus admiratio subsequitur.

ARTICVLVS QVINTVS.

A*Byssus* a *abyssum inuocat in voce cataractarum tuarum.* Ac si diceret, ô pia anima, sicut ille, qui in profundissimam vallem descendere habet, cum aliquo tempore ad inferiora deuenerit; ille quidem si supra se aspiciat, se ad profunda descendisse videbit: at si ad inferiora oculos dirigat, abyssum aliam

a *Psal. 44.*

sibi substratam animaduertet, nec profundi finem, aut fundum reperiet; nisi post varios descensus randé iter suum absoluat, non sine tristi, & timida susurratione, ex voce cataractarum, aquarumque defluentium, & perstrepentium, contracta. ita prorsus tibi eueniat oportet, priusquam à summo cœlo egressio tua vsque ad inferiora terræ, & obumbrationis, diuineq; fruitionis disparentiam deueniat. hinc etiam silentiosè, & penè inaduertenter indies magis, magisque se elongat interior benè ordinata harmonia superiorum, & inferiorum potentiarum, tanquam non amplius, ea quæ prius, diuinæ fruitionis obumbratione contutata; qua tamen hucusque ex abundanti à superioribus in inferiores vires influxu, veluti in cucumerario, ab æstu inordinatarum passionum protegebatur; vndè etiam muscitare incipit humanæ naturæ miseria, nuditasque, nec non admirabunda subcogitare, quid de hac tam vacua interioritate tandem futurum sit.

Quapropter ad exercitium actus. loco præambuli, & operationis imperfectæ, sint hæc omnia; scilicet quod obumbratio diuinæ fruitionis indies magis deficiat: quod inordinatæ passiones quodammodo sentiantur, aut saltem pia anima vicinè ad cor, vndè exire possunt cogitationes malæ, deducatur; quodque inferior homo, quid tandem futurum sit, admiretur; hæc inquam & similia stent loco suo in pace bona: dein collecto visu, silentiosè admodum, spiritualis oculus ad eum dirigatur, cuius centrum vbique est, circumferentia autem nusquam, ibique aspiciendo diuinum Pulchrum, & Bonum, eo etiam fruatur, & renouando tam visum, quam indè productum amorem, fruitionem continuet; ac etiam toto suo esse, habere, sentire, & viuere benè contenta persistat, etiamsi (interea quod abyssus abyssum inuocando) indies ad inferiora tam profundè descendat, vt in exercitio actus non plus de Deo sensibiliter afficiatur, quam sit ipsa simplex de Deo cogitatio. hoc ipsum namque spiritualis amoris profectus, secundum suam perfectionis lineam consideratus omninò expetere a videtur. vndè licet hic continuò procedatur medio nõ eleuato; sed collecto, paruo, & tandem in minimo quodammodo puncto; in re tamen, & pro vt ipsa vnionis coniunctio, in spiritu post omnium similium desertionem contingit, tam perfectè operationes mysticæ formantur, vt aliter fieri nec possint, nec debeant ordinario cursu, (etiam doni sapientiæ supernaturalis) spectato, quam verò perfecto, & tamen lento progressu hæc contingant, priusquam modus Transformationis descendentis mutetur, iam consequenter dicemus,

De spirituali profectu, duratione & transitu ad statum Transformationis modi ascendentis.

ARTICVLVS SEXTVS.

LVcerna Domini b *spiraculum hominis, quæ inuestigat omnia secreta ventris.*

Ac

a *Vt habetur art. seq.* b *Prou. 20.*

Ac si diceret, ô pia anima, supereminens illa Dei charitas, quę tanquam lucerna altissimi, super caput tuum splendidè ardebat, & cœlica illa sanitate afficiebat; ita vt te Deus custodiret, spiritu suo te obumbrans, quousque deficere videreris, ferre non sustinens præ nimijs ad visionem patriæ propè accedentibus delicijs, (quę ex consortio divinæ naturę profluere solebant, ea, qua hucusq; toto statu Transformationis modi descendentis ostensum est, ordinata variatione) hæc, inquam, charitas secundum spiritualem profectum, tam altam in te radicē fixit, vt sit quodammodo sicut proprium tuum spiraculum, & halitus; sine quo non potes viuere, quique ex imis visceribus tuis emittitur, & vsque ad cordis intima latibula penetrat, nec quidquam etiam minutissimum præterit, quoadusq; ex toto quidquid ex modo descendentis Transformationis, etiam vel modicè afficit, ex integro consumat. linea enim maioris radicationis in charitate, sicut ad minutissima, (tanquam ad quædam diuinæ bonitatis vestigia) sese extendit: ita & spiritualis profectus augmentum in maximè infimis docet inuenire, fouere, & gaudere in eo, qui ita in se summus, omnibusque alijs longè, & in infinitum præstantior est, vt simul etiam cum simplicibus sit sermocinatio eius; ac in minimis, vel per vnicam stillam magnitudinis eius, tota spiritus nostri capacitas, plenariè satietur.

Iam verò priusquam vnus talis integer à summis per media, ad infima vsque descensus, per intermedias regiones, vbi, ac situs mentales, innumerabilesque operationes, seu verba mystica finiatur; & vnum quodammodo verbum affirmatiuum, quo Deum omnia supereminenter esse quibusdam minutis loquutionibus continuò dicebat, perfectè absoluat: facilè octo, decem, vel plures annos effluxisse mirabitur ille, qui tam in se, quam in alijs, diutina experientia perspicax factus, pretiosum à vili separare didicerit: attamen si quæ pia anima nullis publicis occupationibus impedita, libero, & soluto spiritu, ac supereffluenti amoris magnitudine mysticæ exercitationi vacare possit, faciliùs quoque ac citiùs vnum talem descensum absoluet.

His igitur peractis, ita vt amplius fruitionis, obumbrationisue diuinę supersit nihil, & naturæ pondus reuixerit; vitalis autem illa bene-afficientia, quæ ceù sanitas propria in seipsa, & vt connaturalis præexistebat, constanter, & perseueranti duratione defecerit, ac etiam fragilitatis humanæ blandimenta, & inferioris hominis iura iterum subire debeat: ad ea quę in statu Transformationis modi ascendentis hic consequenter dicuntur, transeundum est.

PRAXIS STATVS TRANSFORMATIONIS MODI ASCENDENTIS PER DONVM SAPIENTIAE SVPERNATVRALIS.

ET PRIMO DE IIS QVÆ FIVNT IN INFIMO.

PARAPHRASIS DECIMATERTIA.

NEmo *ascendit in cœlum*, a *nisi qui descendit de cœlo*. Ac si diceret. sicut affirmatio prior est negatione,(quod enim penitus non est,de eo etiam nihil negari potest)ita etiam oportet,vt priusquam mysticus per ascensum, seu transcendentem negationem, ab infimis, & medijs ad supremas vsque regiones eleuetur, in supereminenti charitate continuò magis radicandus: ita inquam, oportet, vt prius in excellentissimo Diuinæ naturæ consortio per affirmationem descensus fruitiui,à summis,& medijs ad infimas vsque regiones, descendat: & huius quidem descensus praxis cum iam tradita sit; hoc loco de Transformatione modi ascendentis, seu pro vt supereminenti,subtiliori,& perfectiori modo (quam fuerit affirmatio Transformationis descendentis) per aliquot annos omnia negando procedit,consequenter dicendum est. &

I. *Breuis deductio eorum quæ fiunt in praxi toto statu Transformationis modi ascendentis durante.*

II. *Propria operatio quamdiu in infimo Transformationis modi ascendentis versatur, est auditus mystici attentio.*

a *Ioan 3.*

III. *Mysticos*

III. *Mysticus in infimo profundi redigitur ad obscuram vacuitatem.*
IV. *In hac vacuitate non tam pungens soleitas, quam remissio operationis inuenitur.*
V. *Paulatim reassumuntur operationes sed admodum tenuiter.*
VI. *In progressu à remissione operationis erigitur, per viuacitatem de nouo redeuntem.*
VII. *In summo infimi eleuatur ad regionem proprij spiritus intuendam.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Breuis deductio eorum quæ fiunt in Praxi toto statu Transformationis modi ascendentis durante.

IN *manibus abscondit lucem, a & præcipit ei vt rursus adueniat.* ac si diceret, ô pia anima, quando ordinata fruitione à supremis, & ampliſſimis spiritus regionibus, per medias sphæras, seu circulares motus, dimensioneſue, ad infimas declinaueris; tum suprema illa lumina spiritus diuini tam contracta, modica, & parua videbuntur, vt in paruo, & quasi puncto quodam, quidquid in te repertum fuerit, concludere posse videaris. quod quidem licet veriſſimum sit, & realiſſima praxi contingat; simul tamen etiam sciendum est, istiusmodi concluſam (vt ita dicam) paruitatem sub nunc collecto, æterni, & infiniti rationem non ita perdere: quin simul etiam vera, realique totalitate, operationes spiritus peragi possint. sicut ad oculum videre licet in sole, qui in radijs, & lumine per totum vniuersum diffuso, ingentiſſimus, in propria autem sphæra, minimus, & propemodum intra manus abscondibilis apparet. Et ideò mysticus in infimo statu Transformationis modi ascendentis, lumen consortij diuinæ naturæ, quasi in globo abscondito, sphæra parua, & sub nunc collecto quidem; sed absque *b* positiuo tædio, aut spiritus preſſura participat; in progreſſu autem, & ascensu spiritus proprij, in media scilicet regione, vbi, vel situ mentali, rursus præcipitur vt adueniat, longè splendidioribus radijs, quam in regione inferiori: in summo autem spiritus diuini, quasi in virtute sua ampliſſimè lucet, ad clariſſimam diem æternitatis prælibandum. & horum similia videre est in igne materiali, qui licet vnus idemque sit, aliter tamen ardet in carbone, & clariùs lucet in flamma, subtiliusque splendet in propria sphæra.

Et quia tam in infima, quam media, ac suprema regione ascensus transformationis, frequens relapsus fit ad soleitatem proprij spiritus, licet absque moleſtia: hinc pro actus exercitio, si nulla præexiſtat vitalis bene-afficientia, ad verba præambuli, & imperfectas operationes, ad perfectas tamen disponentes, perficientes & continuantes re-

a *Iob 36.* b *Vt inf. a. 4.*

currendum est, vti dictum fuit supra *a* si verò ignis diuini amoris actualiter suauiolentia succensus fuerit, ipso instanti exercitium vnitiui amoris inchoandum erit, vt etiam dictum est supra. *b* in sequentibus verò intermedias, seu magis notabiles regiones, vbi, situsue mentales articulatè declarabimus.

Propria operatio quamdiu in infimo Transformationis modi ascendentis versatur, est auditus mystici attentio.

ARTICVLVS SECVNDVS.

AVditu c auris audiui te. ac si diceret, ô pia anima, ex ordine sapientiæ diuinæ omnia suauiter disponentis factum est, vt obumbratio fruitiua ex consortio diuinæ naturæ præexistens, & pro vt Deus est terminus à quo, scilicet absque tua cooperatione vitalis bene-afficientia profluebat; ad vltimam sui communicationem peruenerit. iam verò alius modus, scilicet pro vt Deus, eiusque familiare consortium est terminus ad Quem, scilicet vota, amorisque conatus sese extendunt, assumendus est. in cuius quidem initio, & infimo, cum adhuc omnia sint nuda, & vacua; ita vt modica sit vitalitas internarum operationum, bonum est, & cumprimis necessarium, vt auditu auris Deum audias, vtque non tam explicita operatione procedas, quam tacita, vigilantique auditione in secretissimo spiritus obserues, quid, & quantum Deo placeat, de se suaque amicitia conferre. vndè etiam non tam actiuè, quam passiuè interior cooperatio, & conformitas institui debet, & audiri quid in te loquatur Dominus.

Interea verò dum in infima regione circa diuinum Bonum, & Pulchrum, circumuolutiones operationum peraguntur, singulari diligentia memorandum est; inferiores, seu sensibiles vires ordinariè modicum participare, de ijs, quæ in spiritu fiunt; tam enim subtili transcendentia Deus, qui spiritus est, hic adoratur, vt in totum hominis compositum, modicum quid influere possit: nec tamen ideò tædium solicitatis ex hac carentia diuina in sensuali homine subsequitur, aut actibus resignationis patientiam excitare debet; sed omnia clarè dijudicans aliud non petit, nec desiderat, quam vt omnia sint conformia veritati. atque hinc maxima reformatio, ex peccato originali corrupti hominis apparet: is enim per infinitos propemodum antecedentes actus mortificationis, virtutis, & fruitionis consortij diuinæ naturæ in tantum depuratus est, vt nil molestè ferat, quod rectè fieri agnoscitur; extraordinariè tamen, & cum in actus exercitio per amoris excessus à statu suo dimotus fuerit, ex eiusmodi amoris abundantia à superioribus viribus in inferiores fiet ordinariè suauissimus influxus; ita vt totum hominis compositum, sicut in statu Transformationis descen-

a *Paraphr. 6.* b *Paraph. 9.* c *Iob. 42.*

descendentis, admodum iucundè perfundatur. pro ordinario interea exercitio actus, procedendum erit, vt dictum est supra. *a* quantæ porrò perfectionis sit Deo actualiter vniri, & frui; quando omnis interea viuacitas, altum silentium tenet, ex sequentium praxi manifestum erit,

Mysticus in infimo profundi redigitur ad obscuram vacuitatem.

ARTICVLVS TERTIVS.

AD *nihilum* b *redactus sum, & nesciui*, ac si diceret, ô pia anima, quid iam tandem post tot vicissitudines, & continuos vsque ad profunda abyssi tuæ interioritatis descensus, in temetipsa cogitas? præsertim si pacatissimam illam habitationem centralem, quæ in infima regione tanta bonitate afficiebat, consideres. an non verè, & in toto tuo interno esse, habere, & viuere dicis, ad nihilum redacta sum? quam etiam nihilitatem longè amplius agnosces, si ea quæ in proprio statu pulchritudo florebat, & quam maximè, si illam (scilicet eleuatissimam Transformationem quæ in spiritu persistebat) considerare volueris: in præsentiarum autem omnia euanuisse, & & sicut vmbra cum declinat, ablata esse videas? quapropter obserues velim, quod non tantum dicatur ad nihilum redactus sum; sed quod etiam addatur, & nesciui: ac si diceret, talem tamque admirandam mystici negotij vicissitudinem, ac status ordinatam disparentiam, vera, ac reali mutatione in praxi contingere nesciui, dum in superioribus regionibus spiritus diuini, & spiritus proprij, earumque summo, ac amplissimo situ, tanquam in cœlorum supremo habitarem: videbar enim à tam felicissimo summo nunquam descensura. iam verò longa experientia disco, verum esse quod à Domino dicitur, si nimirum exaltatus fueris *c* vt aquila; & si in cœlo posueris nidum tuum, indè detraham te. idque tam modicè, & inaduertenter, vt ipsamet nescires te indies magis descendere, omnesque amplitudines in circumferentia, & toto hominis composito disparere: hoc tamen nihilum ad quod redigeris, non ita accipiendum est, ac si nihil agere, aut operari possis, debeasue; sed hoc duntaxat ex decrescentijs iam dictis colligendum est; quod continua spiritus perfectio in eo consistat, vt quantò minus de supremis statibus, regionibus, sitibus, motibus, & actionibus percipi potest; tantò sit subtilior conformitas, & industria sese accommodandi, ad operationes in Nunc instanti, necessaria. sicuti etiam perfectioris oculi actus est, cum modico lumine minutissima quæque; quam sole splendente, vastissimas alpium moles videre.

Et ideò pro actus exercitio, obscura illa in hoc profundo vacuitas nonnisi inferioris hominis sensus, & tanquam opera-

a *Paraph. 6.* b *Psal 72.* c *Abdia. 4.*

operationis internæ præambulum reputari debet ; ita vt transgressa hac grossitie , & subtus latentes spiritus aspectus, dein silentiosè admodum auris interna ad eum, qui non supra, vel extra; sed intus viciniſſimè adstat, dirigatur , quo ita pura specie intellectu informato,dilectionis intensio,& fruitio sub collecta quidem circumferentia; at centro æternitatis vndique illimitato, beneque affecto conseruetur: ita tamen, vt nondum de viuaci aliqua perceptione in inferiori homine notabile quid percipi possit, vt hic habetur consequenter,

In hac vacuitate non tam pungens soleitas, quam remissio operationis inuenitur.

ARTICVLVS QVARTVS.

OMnis caro a *fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri; exsiccatum est fœnum, & cecidit flos; quia spiritus Domini sufflauit in eo: verè fœnum est populus, exsiccatum est fœnum & cecidit flos; verbum autem Domini nostri manet in æternum.* ac si diceret, ô pia anima, in verbum nostræ fruitionis verè insufflat Dominus, quando in nobiliſſima sapientia , & sapida experientia, paulatim à summis per media ad infima quæque deducit, & diuinæ obumbrationis, ac amiciſſimæ suæ familiaritatis consortium à pulchritudinis suæ fragrantia subtrahit; quo ita de nouo , & longè perfectiori experientia discat,quia verè omnis caro fœnum , & omnis gloria eius quasi flos agri: dum non in eodem statu permanet semper, multoque minus in summo adepto, quocunque modo tandem hoc b summum accipiatur, sicut ergò fœnum potiùs flaccescit, quam vt spinis pungat; sic pia anima in hac totius sui compositi vacuitate potiùs remiſſionem operationum, quam tædiosam soleitatem experitur: cum enim abundantia vitalis in Deo afficientiæ non ampliùs in spiritu ita abundet, vt in vires inferiores, & totum compositum effluere possit , necessariò subsequitur in inferiori homine vacuitas, & non affici: quoadusq; in exercitio actus, vitalis consortij diuinæ naturæ augmentum iterum ex abundantia in vires inferiores diffundi possit. interea verò ad omnium virtutum perfectius exercitium , ac meritum , quæ infirmitatis, & tentationis humanæ sunt experitur : ad quæ quidem præstanda minus vtilis esset mysticus, si semper ex abundantia superiores vires in inferiores fluerent, & quodammodò in obumbratione diuina, à miseria huius vitæ eximerent.

Remiſſio ergò operationis, & quidquid in circumferentia totius compositi vacuitatis, aut humanæ infirmitatis sentitur , vt præambulum & imperfecta dispositio , æquo animo ferenda est; dein ad exercitium actus spiritualis tendentia ad eum , qui omni interioritati silentiosè intimior est, incli-

a *Isa.40.* b *Inf. decis.1.a.8.& 10.*

inclinanda erit post omnem sensibilitatem, tædium, & quidquid circa diuinam carentiam obijci solet, vt Deus qui spiritus est, purè in intimo spiritus adorandus maneat; idque tam diu, quoadusque conformis aliqua species, seu diuini Pulchri, & Boni similitudo elici, & consequenter internum exercitium institui, ac foueri possit per mille laudes, & reuerentias. & quidem in hac accurata, & subtili distinctione in exercitio actus, si pia anima negligenter agat, mirum videri non debet, si crassa, & tædiosa fiat totius inferioris hominis capacitas: facilè enim inferior machina, quidquid in spiritu subtile est, & spiritualiter Deo vniri posset, ad se suaque pondera trahet, si quod purum est, ab impuro non separetur. & cum in infima hac regione, continuò hæc & similia contingant, semel pro semper hoc loco monere voluimus; supremæ vnionis exercitium, non in vitali bene-afficientia consortij diuinæ naturæ contingere in inferiori homine; sed nudè, & in abscondito spiritus, tota machina, & quidquid spiritus subtilitati minus est, tanquam tertio quodam in luto suo relicto; in tantum, vt si vel ipsa nuda de Deo vt summo bono, cogitatio, nullo positiuo tædio afficiatur, ipso instanti, quo de Deo in spiritu cogitat, exercitium quoque arcani amoris incipiat: licet aliæ potentiæ, vires, & totum hominis compositum suis ponderibus, tenebris, & veris grauetur tædijs. quam verò subtili operatione, hic procedendum sit, constabit ex sequentibus.

Ecclesi. 9.

Paulatim reassumuntur operationes, sed admodum tenuiter.

ARTICVLVS QVINTVS.

VERBA *a sapientium audiuntur in silentio.* ac si diceret, ô pia anima, quamdiu interna dispositio in inferiori regione versatur, ab omni viuacitate, quæ in circumferentiam, & vires tum superiores, tum inferiores diffluere possit, separata, tamdiu etiam ad verbum absconditum oportet se accommodare, & silenti attentione obseruare, quid loquatur Dominus Deus in interiori nouo, & eminentiori modo. cum enim hæc verba sapientissima, maximeque spiritualia in ipsius spiritus centro, & collecto fundo proferantur, oportet vtique, vt maxima abstractione auditus interior obseruet primum illum, & nouo modo aduenientem cœlestem rorem, spiritus intima quæque humectantem. Vt ergò verba sapientissima audiantur in silentio expetere conformi ad Hic, & Nunc operatione, maximè cauendum est, actuosè nimis cooperari, ex intimè auditis volendo in circũferentiam seu inferiores vires bene-afficientiam diffluere: eousque enim nondum operationis efficacia sese extendit; & ideò moderata, & tenui cooperatione, magisque attendendo attrahat pia anima,

quam extendendo agat, ne si plusquam ipsa realis afficientia permittit, exprimere conetur; ab adæquato actu intellectionis, & dilectionis recedat: tum enim necessariò tædium, & inquietudo spiritus subsequeretur.

Et hæc quidem omnia vt præambulum, dispositio, & medium ab omnibus non tantum sese abstrahendi; sed etiam conformiter ad Hic, & Nunc operandi, primo assumenda, paulatim verò deserenda sunt, & pro exercitio actus, pura, intimeque latens attentio ad eum, qui omnibus longè intimior residet, dirigenda est; quo ita species conformis ad operationes purè incipiendas, dein fouendas, perficiendasque eliciatur. quod autem de nouo ex centro aliqualis influentia fiat ad vires inferiores, hic consequenter dicemus;

In progressu à remissione operationis erigitur, per viuacitatem de nouo redeuntem.

ARTICVLVS SEXTVS.

ILluxerunt a *coruscationes tuæ orbi terræ, vidit, & commota est terra.* ac si diceret, ô pia anima, statim atque diuini amoris radij tanquam scintillantes stellæ, vel tremulis, & nondum vitaliter persistentibus motibus, infimæ huic regioni illuxerunt; hoc ipsum eodem instanti quo animaduersum fuit, etiam terram inferioris hominis in sua circumferentia per nouam viuacitatem redeuntem commouit, à remissione ad operandum liberauit, & imposterum ad operationes vitales, seu verba mystica b ene-afficientia de nouo formanda disposuit. interea verò dum hoc loco renouatur *b* in agnitionem Dei, secundum imaginem eius qui creauit eum: maxima industria caueat, ne plus operari velit, suaque interiora ad ampliora spatia, & circumferentias extendere, quam ipsa realis operatio, & vitaliter bene-afficientia permittit: ne inadæquato modo procedens plus intelligat, quam diligat, & inæquali bilance, leuiter hinc attol'atur; illinc verò ad tædia, & obscuritates deprimatur. vndè etiam annotandum est, dispositionem ad operandum hoc loco tam subtilem esse, sicut est pluma, quæ ad minimum motum in altum eleuatur, ac etiam facilè ad ima descendit: ita vt in sua eleuatione, aut depressione, magno labore opus non sit; ex quo etiam sequitur operationes purè spirituales adhuc valdè subtiles esse, & nondum nisi ab animo defœcato, & summè in interiori suo aduigilanti, perfectè exerceri.

Iam verò pro actus exercitio, quidquid vitalis vitæ, aut in subtili, & ad superiora aspicienti visu consequi potest, totum hoc vt præambulum, & dispositio duntaxat transcendendum; dein oculus spiritus ad eum qui omnibus præstantior est, dirigendus erit, quo ita similitudinem primi pulchri, & opti-

a *Psal. 76.* b *Coll. 3.*

& optimi exprimat, deguſtet, digerat, foueat, renouetque. in his porrò quam intimis operationibus vti nouus aſcenſus creſcat, ex ſequentibus conſtabit;

In ſummo infimi eleuatur ad regionem propry ſpiritus intuendam.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

SVſtollam te ſuper a *altitudines terræ*. ac diceret, ô pia anima, poſtquam diuinæ naturæ conſortium nouas radices fixerit, & quotidiana perſeuerantique experientia didiceris, te in nouum hominem vitali bene-afficientia excreuiſſe, eamque ad ſpiritus regionem ſupra te conſcendere, tum relicta inferiore regione, in qua ſub collecto quidem, ſed illimitato, & libero fundo, circumuolutiones, & operationes perage-re cõſueueras, eleuare ſecure ſuper altitudines terræ, & tanquã in ſummo infimi conſtituta, ad ſpiritus amplitudines pro virili te extende, ac inferiorem hominem vt fieri poterit, ſimul alleuia, & ſimul quodammodò ad ſubtiliores extenſiones erige: ſecundum illa quæ in media *b* regione contingunt, teipſum exercendo.

Interea verò quidquid pulchri, ſubtile, & ſupra extenſum inueneris, iuxta illam variationem, quæ indies aliter, atque aliter ſe habet; totum hoc pro præambulo, & proxima diſpoſit one ad purè operandum, accipiendum eſt; dein pro exercitio actus, ſpiritus intelligentia ad Deum qui tam hæc, quam omnia alia longè excedit, dirigenda eſt. ſic enim ilicò ſpecies, ſeu ſimilitudo ad fruitionem inſtituendam, renouandam & fouendam elicitur, depuratur, ac ſuperſplendentibus diuinis commu-nionibus irradiata, benignè clareſcit: pro vt ampliùs ex ſequentibus conſtabit.

(***)

a *Iſa* 58. b *Paraph.* 14.

ET SECVNDO

DE IIS QVÆ FIVNT IN MEDIO TRANSFORMATIONIS MODI ASCENDENTIS.

PARAPHRASIS DECIMAQVARTA.

IN *thesauris sapientiæ* a *intellectus* ac si diceret. dum in infimo status Transformationis modi ascendentis, sapientia ad vsum, & vitalem efficientiam excoleretur, sicut thesaurus absconditus latebat in spiritu; qui quasi sub se curuatus, ad superiores amplitudines, situsq; mentales sese erigere non poterat: iam verò inuento intellectu in sapientia, modis atque actionibus sibi proportionatis spiritus non ampliùs sub se procedit; sed tanquam ignis prius in carbone modicum, nunc vt in flamma multum luminis acquirit, in eoque viuit, & degit quod vti fiat, in sequentibus dicendum est. &

I. *Quod propria operatio quamdiu in medio Transformationis modi ascendentis versatur sit visus mystici actiuitas.*

II. *In regione proprij spiritus eleuatur, ac dilatatur mysticus.*

III. *Cum luminosa viuacitate ascendit continuò.*

IV. *Sub se in profundo mysticus videt regionem inferioris hominis, ac spiritus proprij in alto, spiritus diuini autem supra se.*

V. *In summo proprij spiritus attingit regionem spiritus diuini.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Quod propria operatio quamdiu in medio Transformationis modi ascendentis versatur sit visus mystici actiuitas.

QVi fecit cœlos b *in intellectu.* ac si diceret, ô pia anima, cum obiectum intellectus mystici sit scientia sapida, seu donum supernaturalis sapientiæ in ordine ad exercitium supereminentis charitatis Dei; poteris toto hoc tempore, quo circa sphæram proprij spiritus ascendendo versaris, ordinatam ad diuinas illustrationes deductionem videre, & clarissimè aspicere, vti diuina miseratione factum sit, cœlos in intellectu esse, ipsamque potentiam intel-

a *Eccles.* a. b *Psal.* 135.

tellectus per donum sapientiæ eousque eleuari, vt tandem ad sublimem regionem spiritus diuini pertingat. Eapropter relicta illa centrali, seu fundi interioritate, quæ in Nunc collecto, & sub parui ac intimi ratione procedebat; ad superiores amplitudines, extensiones, latitudines, ac visus teipsam extendas oportet. illa enim quæ in spiritu proprio ad spiritum Diuinum adstat amplissima viuacitas efficit, vt tanquam vmbræ, & imagines cœlestium, eiusmodi quoque magnitudines in inferioribus potentijs, & imaginatione resultent: moderatè tamen hoc ipsum contingit, & minus quidem in initio, quam in medio, & magis in fine, seu summo proprij spiritus, quam in eius medio. vbi etiam ceu ex regula generali obseruandum est, propter subtiliorem indies spiritus visum, seu diuini luminis, & bonitatis communionem, frequenter fieri relapsum ad inferiores vires; in quibus licet non reperiatur positiuum tædium, aut carentia diuina; attamen quidquid in toto homine inferiori, seu ipso suo spiritu minori regione inuenitur, tam grossum, rude, & durum videri, vt sine auersione ad similia decidere nequeat. vndè etiam quantò citiùs ab eiusmodi inæqualitate sese auerterit, & ad puras spiritus visiones conuerterit; tantò etiam expeditiùs ad operationes spiritui proprias admitti poterit. quæ vti in praxi per notabiliores operationes euenient, articulatiùs consequenter dicemus;

In regione proprij spiritus eleuatur, ac dilatatur mysticus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

SApientia[a] *foris prædicat, in plateis dat vocem suam.* Ac si diceret, ô pia anima, non amplius in hominis inferioris situ, & quasi in temetipsa vti hucusque fieri solebat, Diuinæ sapientiæ locum dare debes: nam sapida illa scientia, & fruitionis locus, foris, & ad extendentem dilationem prædicat, loquutionibusque suis allicit, & in plateis, ac spatijs amplioribus vocem suam dat, atque ad spiritualia eleuare te gestit. sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans: cupit enim suæ naturæ participes, ad subtiliorem motum quam in paruo nidulo fundi exerceri solent, inducere; significans spiritus proprij alas, & pennas excreuisse, ac tantum virium acquisiuisse, vt pondus inferioris hominis ad superiora leuare possit. Quia verò volitando super eos inuitat, adhuc non fidit pullorum alis ex toto, ne fortè viribus destituantur; sed solum inuitat, modum, & locum volatui aptum ostendendo. quia nimirum licet hoc loco in regione proprij spiritus eleuetur, & dilatetur; maior tamen est eius spiritualis visus, quam

a *Prouerb. 1.*

constans, & adæquatæ bene-afficientiæ vitalitas. intellectus enim pro primo in hac eleuatione magis sese extendit, intuetur, & nouos mentales situs, spatiaque perlustrat suprà se, à longè quidem inibi Pulchrum & Bonum cognoscens in alto: nondum tamen ex toto vt suum ibidem possidens. & ideò dum ex superioribus ad se, suaque inferiora recidit, hoc ipsum non ægrè, sed benignè ferat; sciens spirituale lumen adhuc non tam altas radices fixisse, vt adæquatè, & tam spiritualiter ipsam machinam inferiorem eleuare possit, sicut internum suum visum. cum ergo adhuc sit bilancis inæqualitas, inferioritate substante; quoties ad illam ex spiritus regione deciderit, toties illam superno lumine collustrat, depurat, alleuiatque: donec tandem & ipsa inferior machina ex abundantia virium superiorum perfusa, spirituali quadam subtilitate superioribus sitibus coadstet.

Quidquid ergò in spiritus eleuatione, dilatatione, aut decidentia conspexerit, totum hoc pro præambulo, & dispositione ad purè operandum, & situm mentalem tantum congruè formandum transgrediatur pro primo, dein pro secundo subtili eleuatione ad eum qui longè superiùs est, animum dirigat; quo ita exindè adepta specie, exercitium actus per operationes intellectus, & voluntatis, consortij diuinæ naturæ fruitio instituatur, foueaturque. vti porrò continuum horum fiat incrementum, ex sequentibus constabit.

Cum luminosa viuacitate ascendit continuò.

ARTICVLVS TERTIVS.

IN *sapientia est spiritus* a *intelligentia*, *sanctus*, *vnicus*, *multiplex*, *subtilis*. Ac si diceret, ô pia anima, licet Deus in semetipso sanctus, & vnicus sit, in nobis tamen per spiritum intelligentiæ, & diuini consortij sapidissima familiaritate, est multiplex, ac subtilis, multiplex quidem, quantum ad diuisiones varias operationum; vndè hoc loco luminosa illa viuacitas, qua continuò ad superiora ascenditur, quasi vox multitudinis; maxima actiuitate in spiritu proprio loquutiones suas diffundit: ita vt ipsæ operationes, seu verba mystica ex sese quasi profluant, facillimeque proferantur, ac admirabili prorsus varietate modo sursum, modo deorsum, sinistrorsum, vel dextrorsum, antrorsum, vel retrorsum circumuolutiones suas iucundè admodum peragant. Subtilis autem, quia continuo profectu maioris radicationis in charitate, spiritum proprium incessanter ad spiritum diuinum subtili, ac substantijs separatis conformi intelligentia, allicit.

Pro exercitio actus itaque, hæc omnia, & quidquid in spiritu agilitatis, Pulchri, Boni, ascensus, & subtilioris semper aspectus inuenitur, habetur,

a *Sap. 7.*

tur, ac possidetur; totum hoc vt imperfectum quid, & præambulum, vt peraccommoda tamen dispositio, accipiendum est; dein admodum subtili, & pro vt fieri poterit, substantijs separatis conformi intelligentia, ille qui omnibus præstat, & altior est, intuendus erit: quo ita per conuenientem speciem aut similitudinem excitatam, dein fœcunditate intellectus, & voluntatis consortij diuinæ naturæ exercitium purè instituatur, continuetur, ac foueatur. interea verò dum hæc fiunt, quam altè ad superiora indies eleuetur, consequenter dicendum est,

Sub se in profundo mysticus videt regionem inferioris hominis, ac spiritus proprij in alto spiritus Diuini autem supra se.

ARTICVLVS QVARTVS.

CVm *vix paruam stillam* a *sermonis eius audiuerimus, quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri?* Ac si diceret, ô pia anima, luminosa illa spiritus proprij viuacitas, qua continuò ad altiora eleuaris, hoc præstat, vt inferior regio, in qua prius versabaris, & vix paruam stillam sermonis eius audiebas, & modica ad operandum actiuitate potiebaris; iam tandem ad infimos situs, & sphæras protusa videatur: illa enim nec tonitruum magnitudinis eius, nec subtilem actiuitatem spiritus sustinere poterat. iam verò cum animalibus illis cœlestibus quæ plena erant oculis intus, & foris, ante, & retro, & ad videnda quælibet maximè capacia; per instantaneas operationes, seu verba mystica, hoc loco ad formationem, & pronuntiationem peraccommoda eleuare, ac vbicunque inueneris impetum spiritus, illuc gradiare; & regioni spiritus diuini quam supra te animaduertis, approxima, cumque permissum fuerit ingredere, ac inhabita.

Interea verò quidquid Deo minus est, ipsam scilicet proprij spiritus eleuatam regionem, ac operationis facilitatem, qua instar aquilæ quocunque volueris circumuolitas, & tanquam plena oculis intus, & foris omnia clarè intueris; vt præambulum, & dispositionem duntaxat accipe, & transgredere: ac ei, qui his omnibus altiùs eminet, spirituali admodum intelligentia coniungere, adhære, &, vt potes, profunda Dei scrutare, eius pulchritudine, & bonitate inebriata; quo ita tandem amoris præstantia ad suauem mentis excessum dimoueris. quomodo autem ad summa penetres, constabit ex sequentibus.

In summo proprij spiritus attingit regionem spiritus Diuini.

ARTICVLVS QVINTVS.

IVstorum *semita quasi lux splendens procedit,* & b *crescit vsque ad perfectum diem*

a *Iob 26.* b *Prouerb. 4.*

diem. Ac si diceret, ô pia anima, illorum viuendi ratio qui non in incertum currunt, nec sic pugnant, quasi aërem verberantes per remissiores, & sensuales viuendi modos; sed iustorum more per arctam viam, & angustam portam benè ordinati, ac virtuosè compositi hominis intrare contendunt ad vitam, diuinæque naturæ suauissimum consortium; illorum, inquam, semita qua simul in absconditis Domini consiliantur, & angelicis penè modis in cœlis conuersationem suam constituunt; quasi lux splendet pro primo, & quam diu in regione seu sphæra inferioris hominis nouo & adhuc occulto modo, ceu in Nunc æterno, collectè, nec vsquequaque diffusè, Diuinæ lucis radios *a* percipiunt. Verùm dum hic in medio ascensu, ac regione proprij spiritus degunt, eiusmodi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectam diem: in eo quod luminosa eleuatione, continuò se suaque omnia transcendendo infatigabili viuacitate spiritui diuino appropinquant. hoc autem tum reali persistentia contingit, quando in summo proprij spiritus, ac in iam diu trita media regione, alia longè diuinior, ac sublimior regio supereſſe animaduertitur; sicut perfecta dies à crepusculo, & aurora in claritate differens. actum quidem ad altiora transeundum erit, pro vt in *b* sequentibus habetur.

Interea verò hæc omnia pro dispositione duntaxat, & præambulo accipienda sunt, & deserenda; dein pro actus exercitio spiritu non tantum ab omnibus libero, & soluto; sed etiam ex his præambulis in subtilem visum deducto, ille qui his omnibus præstat, cogitandus erit, vt absque inferiorum impedimento, spiritus congrua specie imbutus, actualem vnionem, & consortium diuinæ naturæ instituat, continuet, nutriatque.

a Sup. paraph. 13. b Paraph. 15.

ET

ET TERTIO

DE IIS QVÆ FIVNT IN SVMMO TRANSFORMATIONIS MODI ASCENDENTIS.

PARAPHRASIS DECIMAQVINTA.

Spiritu intelligentiæ a replebit illum Dominus, & ipse tanquam imbres *mittet eloquia sapientiæ suæ.* ac si diceret, quando spititus mystici in media regione status Transformationis modi ascendentis, spiritu intelligentiæ repletus fuerit; tum in eius summo, & supra se, in pura scilicet spiritus diuini regione, sapidissimæ afficientiæ eloquia, operationes, seu verba mystica Pater cœlestium luminum immittet largifluè, & quibusdam imbribus cœlestibus totam eius capacitatem irrigabit; longè eminentiori modo, & diuiniori communione, quam in præcedentibus regionibus factum sit. quod vti fiat, in sequentibus dicendum est, &

I. *Quod propria operatio quamdiu in summo Transformationis modi ascendentis versatur, sit suspensionis mystica transcendentia.*

II. *Reali amplitudine spiritui diuino immergitur.*

III. *Incessanter eleuatur mysticus, videns regionem proprij spiritus subtus se.*

IV. *In summo tamdiu deliciatur, quousque subtilissimam vacuitatem incurrat.*

V. *Eiusmodi vacuitas de nouo instantanea viuacitate doni sapientiæ adimpletur ad statum Transformationis modi descendentis, in charitate magis radicandum.*

VI. *De spirituali profectu, duratione, & transitu, ad statum Transformationis modi descendentis.*

a *Eccl. 39.*

VII. In vicissitudine status Transformationis, tam descendentis, quam ascendentis modi, sicut mysticus contiuuò magis, ac magis in charitate radicatur: ita etiam distinctiori, ac accuratiori ordine, in minutissimis etiam operationibus, sese conformiter habere addiscit.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quod propria operatio quamdiu in summo Transformationis modi ascendentis versatur, sit suspensionis mysticæ transcendentia.

SPiritus a *omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* ac si diceret, ô pia anima, ille qui per continuas mentis actiones, & summi Boni suauissimas contemplationes Deo adhæret, & vnus cum eo spiritus efficitur, ille etiam per donum sapientiæ, supereminentis charitatis Dei arcana scrutatur, intelligentiæ suæ puritate tanquam in absconditis Dei consiliatur, & quodammodo etiam profunda Dei apprehendens in illis suspenditur, tanquam pius, & humilis scrutator diuinæ Maiestatis suppressus à gloria. ex conditione ergò, spiritus (quem Deus non dat ad mensuram) profluit; vt dum mysticus in summo Transformationis modi ascendentis versatur; quantò ampliùs diuino lumine illustratur, tantò subtiliùs, & angelicis modis conformiùs, in dilectione viuat, quantòque puriùs diligit, tantò etiam clarioribus splendoribus irradietur; infatigabili, imò prorsus delectabili actiuitate consortio diuinæ naturæ sese viciniùs immergens, inferiorum nihil, aut modicum memor; nisi ad quæ boni publici ratio, vel conditionis humanæ necessitas detraxerit; vel in quantum obumbrationes diuinæ, quæque ex abundantia superiorum virium inferioribus iucundè influxerant, subindè disparuerint: licet absque molestia positiui tædij, & carentiæ amicitiæ Dei, ac sola remissione ab intenso influxu in inferiora interueniat, & hoc ipsum quidem non ægrè ferente inferiori homine. quæ omnia magis articulatè constabunt ex sequentibus;

Reali amplitudine spiritui Diuino immergitur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

DEus *Israel* b *mihi locutus est, fortis Israel; sicut lux auroræ oriente* c *sole, mane absque nubibus rutilat.* ac si diceret, ô pia anima, ex eo solum quod ipsam spiritus Diuini regionem ingrederis, eius nimia pulchritudine transformata; quasi cum altissimum laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei, exultare potes: viciniſſima enim diuini numinis intimitas, lumine, & ardore solis cœlestis, te ad instar lucis auroræ quæ absque nubibus rutilat, clarificare videtur. ita vt quasi vno eodemque respiraculo vitæ fias in spiritum conuiuentem supra te, in longè

a 1.Cor.14. b 2.Reg.23. c 2.Reg.23.

gè eminentiores, & diuiniores ſpiritus extenſiones, qnam fuerint in proprio ſpiritu. Vndè etiam hoc loco opus non eſt aliò ire ad hauriendam aquam; ſed de ventre, ac intimo mentis tuæ flumina fluent aquæ viuæ, abſque nubibus, aut imaginibus, ſpeciebus præambulis, ſeu inferioribus varijs vmbris, figuris, viſionibus, vocibus, aut ſonis veſtitis: ita vt lucem quaſi angelicæ cognitionis in pura intelligentia, ſuperſplendentes diuinæ amicitiæ radios facillimè ſuſcipias; & abſque mora operationes conformes, & verba myſtica pronuntiare, eorumque ordinatam ſucceſſionem, & fruitionem, planè iucundè & puriſſimè continuare valeas.

Et ideò quidquid luminis, ac ſplendoris diuini perceperis, quantumcunque illud altum, & ad inſtar auroræ abſque nubibus rutilans fuerit, pro præambulo duntaxat accipiendum eſt; ita vt hæc omnia pulchra, & valdè bona ſint immediata diſpoſitio, per quam ad puræ intelligentiæ ſuperſplendentes in ſpiritu perceptiones exercitium actualis vnionis inſtituatur; dum poſt omnium horum deſertionem, mentis actiones ad eum, qui in infinitum hæc excedit, diriguntur, amoriſque digeſtio quædam ſuauis inſtituitur, continuatur, ac foueturidque indies magis ac magis, vt hic conſequenter dicemus;

Inceſſanter eleuatur myſticus videns regionem proprij ſpiritus ſubtus ſe.

ARTICVLVS TERTIVS.

OMnibus mobilibus a mobilior eſt ſapientia. ac ſi diceret, ô pia anima, propter operationes quæ in vſu, & amicitia diuinæ ſapientiæ in inſtati ſuauiter, faciliterque formantur, experiri potes, quomodo diuiua ſapientia in ſui communione omnibus mobilibus mobilior ſit. vtque in Nunc inſtanti de illa aliquid ita dicatur, vt ilicò de nouo præſtantiùs dici poſſit, & debeat. ſicut etiã Pater cœleſtis in Nunc æterno, quaſi de nouo omni inſtanti verbum ſuum (quod eſt ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius) pronuntiat. atque hinc colligere licet in nullo ſummo vnquam tenaciter hærendum; ſed ad omnem in Nunc inſtanti mutationem conformiter operandum eſſe. hoc enim ſapientiæ guſtũm quaſi exprimere, & quaſi digerere eſt, & minutis (vt ita dicam) operationibus, ſeu verbis myſticis in Nunc inſtanti conformiter moueri, ſi vbi impetus ſpiritus fuerit, depurata mens congrediatur: ne quod facillimè accidit per remiſſam, & tepidam à diuinis cooperationibus inhæſionem, ab actione boni quieſcere, & in aliquod otium prolabi contingat. hinc etiam ſtrenui Dei coadiutores, in ipſa ſpiritus diuini regione ſe ſuaque omnia chariſmata,

a Sap. 7.

mata, & quidquid donorum, gustus, beneque afficientiæ inuenerint, transcendunt; nec in vllo quiescunt quousque amoris pondere, vehementiaque de statu explicitè operandi, semoti, ac suspensi; diuinas inactiones optimo modo huius vitæ suscipiant. & certè tandem diuina sapientia quæ omnibus mobilibus mobilior est, præstante hoc efficitur; vt regio & operationes proprij spiritus longè subtus stare videantur, tanquam ad præsentem, incessanter magis ascendentem eleuationem, nimis improportionata.

Quod ergò omnibus mobilibus mobilior sit sapientia, & viuax impetus spiritus trahat, quo voluerit, superplendentes diuinæ communionis radios diffundens, etiam nouo semper, ac hucusque incognito modo, non quiescere sinens; sed ad Deo viciniores amicitias propellens: totum hoc, & quidquid Deo minus senseris, vt præambulum, & dispositio erit deferendum: dein ad eum qui his longè altior est, puræ mentis intelligentia conuertenda est, ad actualem fruitionem incipiendam, continuandam, ac renouandam. quamdiu porrò in hisce magis magisque eleuetur consequenter dicemus;

In summo tamdiu deliciatur quousque subtilissimam vacuitatem incurrat.

ARTICVLVS QVARTVS.

Mirabilis facta est scientia tua ex me, a confortata est, & non potero ad eam. ac si diceret, ô pia anima, infinitus thesaurus est in supereminenti diuinæ naturæ præstantia. vndè quàntò amplius diligentes se bene-affecerit, tantò maiorem illis admirationem, & profundiorem reuerentiam excitat; vt dein secura humilitate illius sublimitatem penetrantes, mirabilior præstantiorque fiat, & eousque confortata, & superexaltata appareat, vt ad illam profundius perscrutandam, intelligentiæ lumen pro tunc non possit eleuari. hoc enim loco pia anima præ scientiæ diuinæ magnitudine in admirationis stuporem, & præ amoris excellentia supra amoris expressas actiones perducta, quasi absque cognitione, & amore constituitur. cum autem in summo spiritus diuini ad vltimum vsque dono sapidissimæ scientiæ mirabilia Dei perlustrauit, tandem actiuitate operationum destituta, præ nimia spiritus subtilitate, silentiosissimam vacuitatem, & simplicissimam perceptionem incurrit; in eaque commoratur: quoadusque de nouo induatur ex alto; per donum sapientiæ, secundum statum Transformationis modi descendentis, in charitate magis radicandum.

Interea verò pro actus exercitio quantumcunq; fiat sapidissima scientia Dei

a *Psal.* 138.

Dei ex te,& supra te admirabilis; ita vt oppressa à gloria, maiestatem diuinam altiùs scrutari non valeas; licet ipsius cœli empyrei felicitatem prælibare, & quidquid demum omnem linguam, & verba præ sui excellentia excedit, possidere videaris; hoc ipsum tamen totum sit præambulũ duntaxat, & propria dispositio; vt dein tam reuerentiali,quam subtili spiritus tendentia,illi te inclines, qui tam incomprehensibiliter supra te confortatus, & superexaltatus est, vt ad eum non possis accedere. ex tali namque humili inclinatione ac reuerentia (præsertim quando fortissimæ illæ diuini spiritus inactiones constanter remiserint,& vacuitas quædam,seu remissio perceptionum, & operationum subsequuta fuerit) intellectus ilicò sibi proportionatum diuini Pulchri, & Boni speciem similitudinemvè eliciet,admodum subtili operatione, & ad actualem fruitionem consortij diuinæ naturæ deducet incipiendam, continuandam, ac renouandam. & hæc quidem tam diu euenire,quoadusque pia anima insignem progressum in charitate fecerit,& nouo, intensiorique gratiæ augmento à Deo dignata fuerit, consequenter dicemus,

Eiusmodi Vacuitas de nouo instantanea Vnacitate doni sapientiæ adimpletur ad statum Transformationis modi descendentis in charitate magis radicandum.

a *Psalm. 18.*

ARTICVLVS QVINTVS.

A summo a cœlo egressio eius, & occursus eius vsq; ad summum eius. ac si diceret, ô pia anima,non sine profundissima reuerentia admirare diuinæ puritatis zelum;quo ita naturæ suę consortia largitur, vt simul etiam quidquid in spiritu dissimilitudinis, & imperfectionis est, continuò expurget: sicuti qui palmitem purgat, vt fructum plus adferat. & ideò cum dono sapientiæ integrum ascensum, diuersas regiones, situs mentales, per operationes, seu innumerabilia verba mystica, profunda Dei scrutando absolueris: tandem in superficialem, & simplicissimam vacuitatem, totam interioritatem tuam redactam inuenies. quo ita de nouo dono sapientiæ ad descensum fruitiuum,& in charitate magis perfectiùsque radicandum à Deo digneris. hoc autem priusquam fiat, euacuatione spirituali, & subtilitate separatis intelligentijs, seu Angelis conformi, vt dispositione præambula, ac prærequisita superindui debes. & hoc sensu dicitur,à summo cœlo egressio eius. ac si diceret: cum in summo status Transformationis modi ascendentis charitatis bene-afficientiam finiendo digesseris, & sic te deserendo, quodammodo egressa fueris: tum denique noua quædam fames, ad nouam satietatem, & susceptionem intensiorem doni sapientiæ subsequetur.

hinc etiam sicut à summo cœlo egressio eius constituitur (dum modus eminentis transcendentiæ, & perfectæ negationis cessat) sic quoq; occursus eius, seu doni sapientiæ noua adimpletione occurrit in summo ipso; ita vt deinceps eius particeps sis non quærendo; sed possidendo, & sub obumbratione consortij diuinæ naturæ, & termino à Quo viuendo, in spiritu semper ali, & ad operationes fruitiuo amori necessarias facilè, & iucundè procedere, possis.

Interea verò dum hæc fiunt, hanc à summo cœlo egressionem, & in summo status tui vacuitatem non vt casu accedentem, aut profectui spirituali contrariam; sed vt diuinitùs ordinatam depurationem, præambulum, & perfectam dispositionem suscipe; dein pro actus exercitio, vt potes maximè spiritualiter, & subtilissima intelligentiæ vigilantia præstolare salutare Dei, & tanquam diaphanum ad solis lucidissimos radios susciendos, in hoc non habere spirituali, simplicissimoq; intuitu, diuini Numinis præstantiam superexalta: quoadusq; nouus Lucifer matutinus, ignem sapidissimum sui luminis in apice spiritus accendat: qui etiam toto statu Transformationis modi descendentis inextinctè, & absque tædiosa diuinæ carentiæ interruptione in altari spiritus ardebit, & diuini amoris flammas in Patrem luminum (à quo bona cuncta procedunt) exhalabit, ad maiorem semper in charitate radicationem promouendam. Vt autem constet quæ circa perfectionem arcani amoris considerentur, consequenter dicimus

De spirituali profectu, duratione, & transitu, ad statum Transformationis modi descendentis.

ARTICVLVS SEXTVS.

O *Altitudo diuitiarum a sapientia Dei, quam inuestigabiles sunt viæ eius.* ac si diceret: ô pia anima, continuò maior radicatio in amore diuino per infatigabiles, & inobseruabiles multiplicationes singulorum actuum, tam altas in sapientia, seu sapida scientia Dei, radices fixit; vt sicut nemo altitudinem sapientiæ Dei perfectè scrutari potest: ita etiam inuestigabiles sunt viæ eius, quę ad spiritualem progressum perducunt. vt vel ideò admodum difficilè sit mensuram profectus spiritualis explicare; præ nimia eiusdem perfectione. hinc etiamsi accuratiùs, & strictè de illo loquendum esset, breuiter responderi posset, ipsi mystico hanc perfectionem ignotam esse: verumtamen si sese ad ascensum Transformationis reflexerit, prout scilicet ab infimis, per medias vsq; ad supremas mentis regiones, ascendendo, sæpius interea ad interruptiones fruitionis dilapsus fuit; in præsentiarum autem per insignem

a *Rom. 11.*

gnem vitalem renouationem charitatis, Deum semper, vt primum principium suæ dilectionis eminenter esse recogitauerit. Sole clariùs etiam videbit, quantò modò quam aliàs viciniùs, altiùs, & perfectiùs in Deo viuat, respiret, habitetque secundum spiritum. secundum inferiorem autem hominem, seu totum hominis compositum, quam conformiter ad statum innocentiæ vires inferiores, sensibiles, quin etiam cor, & caro eius, iudicio, imperioque rationis, & instinctui Spiritus sancti obediant; tentationes & mala huius vitæ potiùs dijudicent, quam licet miserrimum exilium mundi (qui totus in maligno positus est) molestè ferant.

Ad hanc autem spiritus, & carnis perfectionem priusquam pia anima ordinato progressu pertingat, facilè decem, vel duodecim anni, aut etiam quatuordecim labentur. in vnico namque substantiali descensu, vel ascensu status Transformationis, tres sunt principales regiones: quarum etiam singulæ in tres, pro vt scilicet singulæ incipiunt, proficiunt & absoluuntur, inter se subdiuiduntur; quo ita per mentis circumuolutiones, & innumerabiles pro Hic, & Nunc operationes ordinatè spiritus diuina quæque pulchra conspiciat, & ipsum bonum penitiùs digerendo sibi mescare valeat. & licet nil ita certi de duratione assignari possit, cum vnus citiùs altero ob varia accidentia, officia, & diuinitùs immissas actiones, ab infimis per media ad summa pertingat: attamen quoties post insignem in charitate factum progressum, tam in ascendente, quàm descendente Transformationis modo, à Deo spiritum rectum innouatum in visceribus suis expertus fuerit: toties etiam ampliorem durationem inueniet; ita vt si descensus duraret ad decem annos, ascensus subsequens duraturus sit numerosioribus annis.

Transitus verò ad modum Transformationis descendentis admodum facillimus est: ipso namque instanti, quo vacuitatem, quam in summo suo incurrerat, noua vitalitate repletam habuerit; Deum vt primum principium suæ dilectionis non tantum suscipiet, sed etiam ita possidebit, vt ipse mysticus non amplius sit primum agens, & operans; sed Deum semper habiturus sit vt præexistens vitale spiraculum sui in Deo esse, viuere, & operari; idque toto descensu Transformationis durante. Quod autem hæc perfectior Transformationis modi ascendentis & descendentis vicissitudo, secundum spiritualem profectum, durationem, & transitum, (quamdiu in hac vita peregrinamur à Domino) semper contingat, & mysticum perfectiùs in charitate radicet, consequenter iam dicemus,

In

In viciſſitudine ſtatus Transformationis, tam deſcendentis quam aſcendentis modi, ſicut myſticus continuò magis ac magis in charitate radicatur: ita etiam diſtinctiori, ac accuratiori ordine in minutiſſimis etiam operationibus, ſeſe conformiter habere addiſcit.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

APud Deum non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis a obumbratio. ac ſi diceret: ô pia anima, noli fruſtra extolli vanis ſpeciebus, & peregrinis cogitationibus abduci; tanquam in huius vitæ rota, & inſtabiliſſima volubilitate, interioritatis tuæ, (cum in ſummo adepto, etiam quaſi in cœlo nidum tuum poſuiſſe videberis) permanentiam ſis obtentura. hoc enim ad ſolum Deum pertinet, apud quem, eo quod in nunc æterno viuat, non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio; ita vt aliter hodie, aliter cras in ſuis operationibus internis ſeſe gerere debeat. nos autem cum in temporum momentis vitam noſtram tranſigamus, & ad ornatum militantis Eccleſiæ in diuerſos ſtatus, exercitia, & operationes à Deo diſponamur; neceſſariò in diſpoſitionibus, & operationibus noſtris immutationes, & viciſſitudines patimur: ita vt etiam inter Sanctos eius nemo ſit immutabilis, dum peregrinamur à Domino. ſicut enim oritur ſol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur, ibique naſcens gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem; luſtrans vniuerſa in circuitu, & in circulos ſuos reuertitur. ita quoque poſtquam myſticus, per vnum aſcenſum integrè abſolutum, per continuas negationes, & tranſcendentias Deum omnibus ſupereminenter præſtare; innumerabilibus operationibus, ſeu verbis myſticis ſatis dixerit, & inſignem progreſſum in charitate fecerit: tum denique per donum ſapientiæ pia anima de nouo renaſcens, per magis intimas, & à Deo vicinas circumuolutiones gyrat; & qualiter ipſe ſuperexceſsiuè ſit omnia in omnibus; per deſcenſum vſque ad abyſſi profundiſſima, & minimas particulas, ſeu veſtigia ſuæ ſapientiæ, prorſus amoroſis, & Deo dignis familiaritatibus, experitur.

Iam verò cum maior radicatio in charitate non ad menſuram à Deo detur, poſſitque quoad viuimus intenſior, & perfectior in ſpiritu augeri: hinc vel maximè ad eiuſmodi radicationis diuerſos actus, intenſiones, & quodammodo digeſtiones attendendum erit; quo ita ad realem cooperationem etiam celeriùs, veriùs, puriùs ſeſe accommodare poſſit. quin imò tota humanæ induſtriæ cooperatio in eo ſita eſt, vt ad momentaneas diſpoſitiones practicus ſeſe accommodet; vtque tam in aſcendente modo, eiuſque infinitis pro-

a *Iacob. 1.*

propemodum alterationibus seſe ordinatè submittat, atque etiam in minutissimis quibusque operationibus seſe conformiter habere addiscat. Donamque sapientiæ incessanter efficitur, vt in operationum internarum ordinata vicissitudine iudicium educat quasi meridiem, & tanquam discretor spirituum plenè, atque perfectè, & pro tunc proprium statum, operationes, ac dispositiones suas discernat, ordinet, foueat, & ad optimũ actus sui in Nunc instanti perducat; vsque ad amoris, super omnem intellectum, excessum in quantum quidem doni sapientiæ vsus, & vitalis afficientia permiserit.

Cæterum cum non videatur solido fundamento niti, altiores modos, quam per donum sapientiæ ad maiorem radicationem in charitate, & perfectè Deo adhærendi assignare; (illis tamen exceptis qui præstantiori afflatu Spiritus sancti ad eminentiorem sanctorum *a* Viatorum statum, eo diuiniores perceptiones mentales eleuantur,) hinc etiam vlteriori praxi deducendæ subsistimus. cum enim status Transformationis modi tam ascendentis, quam descendentis per donum sapientiæ ordinata vicissitudine sufficiat in hac vita; non tantum ad maiorem radicationem in charitate, ac perfectiores mysticas, Deoque semper viciniores operationes; sed etiam ex abundanti superiorum virium in inferiores influxu; longè securiùs videtur, in ipsa reali fruitione, & cum Deo vitali suprema vnione, illa experiri, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quam exoticis loquutionibus à sanctorum Patrum, ac non tantum in sacra Doctrina versatorum, sed simul etiam in arcaniori mystica exercitatione præstantium virorum scriptis deuiare. præsertim cũ spiritualis homo deinceps per se (licet alioquin illiteratus sit) facilè discernere, & longè purius quam scribi possit, omnia, etiam profunda Dei scrutari, & amoris præstantia possidere valeat.

His non obstantibus, si quispiam omninò asserendum censeat, aut quod magis ad rem fecerit; euidenter sanctorum Patrum, & præstantiorum mysticorum scriptis non aduersando demonstrauerit; supra dona intellectus, & sapientię, dari in mystico amore perfectissimo modos eminentiores: talis simul non obliuiscatur, nos similes etiam præstantiores modos supra *b* admisisse; videlicet per species infusas, præuias voluntatis commotiones, aut similes: sed tantum in actu transeunte, non autem immanente habitualiter, pro vt hic fit per donum sapientiæ. ita vt ordinariè in practico exercitio Trãsformationis, in instanti supernaturalis amoris fruitionem incipere, perficere, ac continuare valeat, intensiùs, vel remissiùs licet, pro vt ordo perfectus spiritualis permiserit. verum si istiusmodi quispiam institerit, etiam frequenter in

a *inf. decis. 9.* b *& paraph. 9. & infra decis. 5. & 6.*

actibus transeuntibus, per species infusas, voluntatis præuias commotiones, aut similibus præstantioribus modis nonnullos in Deo altius sublimari: is pariter cogitet, nos tales ad Deo viciniorem statum; scilicet sanctorum Viatorum referre: in statu Transformationis autem de illis sublimioribus modis agere, qui habitualiter, & ordinariè per donum supernaturalis sapientiæ; extraordinariè autem per species infusas, præuias voluntatis commotiones, aut sublimioribus quibusdam modis, mysticum in consortio diuinæ naturæ, & maiori charitate continuò profundiùs radicant. iam verò cum de praxi modi supernaturaliter operandi sufficienter dictum sit; ad ea quæ status sanctorum *a* Viatorum sunt, lectorem altiora petentem, remittimus: sicut etiam ad omnia alia, quæ in Theoria huius secundæ Partis continentur; quam hic consequenter, (præsertim ad satisfactionem mysto-scholasticorum, & diuino animo præstantium) apponimus.

a infra Decis. 9.

SECVNDÆ PARTIS PRAXIS FINIS.

SE-

SECVNDÆ PARTIS THEORIA MODI OPERANDI SVPERNATVRALITER.

AD
MYSTO-SCHOLASTICOS
DIVINO ANIMO PRÆSTANTES
PROLOQVIVM.

IPSE [a Pontifex pro sua natura, modo, & ordine in diuinis mysterijs, ac rebus perficitur, atque diuinitatem consequitur,] quo ita, sicut habet b sapientiam Angelus Dei intelligat omnia, quæ in arcano amore, à mysticis Doctoribus traduntur. quorum infinita propemodum Scripta, cum tanquam paradisus cœlestium voluptatum redundent, ac prorsus diuino odore multifariè, multisque modis, præstantem mysticum perfundant, non ita ieiunè de tam præclaro exercitio scribere decuit; quin saltem variæ sanctorum Patrum, & in mystica vnione præstantium Virorum sententiæ adducerentur. idque non tantum, vel, vt ea quæ inexpertis paradoxa videri possent, irrefragabili authoritate probentur; vel, vt ex illorum doctrina, gratia sanatus, & ingenij perspicacitate præditus animus, longè præstantiores conceptus, quam à nobis dici valeant, efformet; sed etiam vt diuinorum amans, vel maximè ex lectione variarum sen-

ten-

a S Dion. de Eccl. Hierar. c. 1. b 2. Reg. 14.

tentiarum, ad dilectionis mysticæ incendia commoueatur: id quod frequenter, & longè præstantius contingit, per solas, & nudas sanctorum Virorum sententias, quam per illa, quæ alioquin etiam conformiter ad praxin, ordinatè, industriè, ac subtiliter scripta sunt. Vndè etiam tanquam paræneticæ lectiones, perlegi possunt omnia, quæ in Theoria huius secundæ Partis tractantur.

Et quum [ordo *a* ad bonum, boni rationem habeat;] ac [mens pro suo captu, bono *b* ordine à Deo perfundatur] nos in accurato practico ordine explicando, vtiliùs, quam in sublimitate sermonis scholastici, laborem nostrum impendendum iudicauimus. hoc autem cum diuersimodè, scilicet secundum praxin, & secundum Theoriam, præstiterimus; non tamen eundem statum, dispositionem, aut notabiliores operationes bis æqualiter tractamus; sed aliter, atque aliter; pro vt scilicet praxis alium, quam Theoria loquendi modum postulat: beneuolum lectorem ordinariè remittendo ad illa loca, in quibus congruentiori ordine, latius singula explicantur, quæ alibi solummodò breuiter attinguntur. & licet ad tam præstans opus, longè impares simus; ardens tamen ad diuinum amorem desiderium, ad hanc scriptionem nos compulit: eo etiam vel maximè fine, vt & amicus lector, diuinorumque amantissimus propriæ vtilitati consulat, vel etiam [communicet *c* mecum, maiorem, perfectioremque lucem meisque oculis monstret; præstantiores, & vnius speciem magis exprimentes formas, quascunque poterit cernere.]

a *S.Thom.contr.Gent.l.2.cap.21.* b *S.Dion.de Eccl.Hier.cap.4.* c *S. Dion.de Eccl.Hier.cap. vlt.in fine.*

Quod cum ab illis, qui non tantum in sacra doctrina; sed etiam in praxi arcani amoris versati sunt, longè perfectius, quam à purè scholasticis fieri possit: Mysto-scholasticos diuino amore præstantes, humiliter rogamus, vt omnia, & singula, quæ in tota hac summa Mystica continentur, secundum sanum, pium, & Catholicum sensum, velint accipere. quæ enim à viris Religiosis de supernaturalibus præcipuè statibus scripta sunt, solent vel purè scholastici ita legere; tanquam illi, quibus credita sint eloquia Dei, vtque ipsorum prudenti, & matura discussione, ab ouili Ecclesiæ, quidquid aut sacræ doctrinæ, aut morum bonitati aduersatur; pastorali, vigilantique tutela, procul abigatur. Vndè & nos sicut hanc summam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Catholicæ, iudicio, & censuræ, qua par est deuotione, subijcimus iuremeritò: sic etiam viris Mysto-scholasticis, Diuino animo præstantibus, eandem dedicamus, consecramusque.

DE

DE STATIBVS MODI OPERANDI SVPERNATVRALITER IN GENERE.

DECISIO PRIMA.

VT [a ipse ordo (facilius) nos in primum, & summum, potentissimum, & sapientissimum, & optimum, euidentissimè manu ducat;] sufficienter (per totam primam partem) de modo naturaliter operandi, cum dictum sit; oportet consequenter per totam hanc secundam partem, de modo supernaturaliter operandi agere: & quidem in hac prima Decisione, specialiter ea coniunctim ordinare, quæ ad sequentia vniuersaliter referuntur, & pluribus communia sunt, ne legentibus confusa, & illaqueata repetitio, nauseam, tenebrasque inijciat. cum autem supra *b* dictum sit quid sit Theologia Mystica, quodque illam communicare nefas sit, nisi sacris nostræ Religionis, ritè institutis, ac alijs ad modum naturaliter, & supernaturaliter operandi pertinentibus, declaratis; consecutiuo ordine vlterius dicendum erit;

I. *Ad modum operandi supernaturaliter neminem peruenire, nisi ex speciali gratia.*

II. *Modus operandi supernaturaliter profluit ex donis intellectus, & sapientiæ; secundum quod sunt effectus habitus charitatis singularis amicitiæ.*

III. *Quid, & quot sint status modi operandi supernaturaliter.*

IV. *Quale iudicium possint ferre scholastici de statibus modi operandi supernaturaliter.*

V. *Pientiores scholasticos de mysticis, & rectè sentire, & à Deo deuotionis solam ne dignari.*

VI. *Perfectum tamen iudicium de supernaturalibus modis, prærequirere scientiam, praxin, & longam experientiam.*

VII. *In*

a S. Bonau. Itin. ment. c. 1. b 1. p. Dec. 1.

VII. In explicandis operationibus supernaturalibus, terminis egeitatis, ipsitatis identitatis, & similibus sobriè vtendum esse.

VIII. Perfectionem mysticam non consistere in eo, vt quis maneat in summo semel adepto, supremi status; sed vt in Nunc operationis, perfectius adhæreat Deo.

IX. Quamdiu probabiliter duret vnus status supernaturalis secundum vniformem vt plurimum modum operandi.

X, Status modi operandi supernaturaliter, accommodato, & sibi proprio ordine, absoluuntur ad suum summum fruitione centrali, spiritus proprij, & spiritus diuini & contra.

XI. Quilibet status supernaturalis est ordinata, & proxima dispositio, ad subsequentem magis in charitate radicandum.

XII. An mysticus in perfectis statibus molestetur passionibus inordinatis.

XIII. Vtilitatem mysticæ vitæ in eo consistere, vt pia anima paulatim appropinquet ad felicitatem status innocentiæ, quantum ad subordinationem passionum, puritatem intellectus, & rectitudinem voluntatis, in ordine ad dilectionem Dei.

ARTICVLVS PRIMVS.

Ad modum operandi supernaturaliter neminem peruenire, nisi ex speciali gratia.

AD faciliorem intellectum eorum, quæ modo dicuntur, obseruandum est, nos hoc loco nō loqui de gratia sanctificante; quę in hac vita homini dat ius, ad vitam æternam; siue de dono gratiæ gratum facientis, pro vt in [hoc dono *a* Spiritus sanctus habetur, & inhabitat hominem] in gratia enim mystica modi supernaturaliter operandi, hanc gratiam sanctificantem, fide non ficta, & spe firma præsupponimus; in charitate radicati, & fundati, per bona opera, quę testimonium nobis dant, quod simus filij adoptionis, & hæredes regni Dei: sed loquimur de speciali gratia amicitiæ, & familiaritatis diuinæ, pro vt per *b* dona intellectus aut sapientiæ, (secundum quod sunt effectus charitatis,) spiritus humanus, cum spiritu diuino, in hac vita vnitur, modo Angelico, id est, absque discursu, & phantasmate; idque facillimè, & perseueranter, iuxta conditionem habitus supernaturalis.

Ad eiusmodi ergò gratiæ vnionem, [nemo pertingit, nisi *c* acceperit per reuelationem, vel experientiam; vel qui ad hoc prædestinatus est, vt experimento cognoscat.] Hoc enim est [mysticum, *d* & secretissimum, quod nemo nouit, nisi qui accipit; nec accipit, nisi qui desiderat: nec desiderat, nisi quem ignis Spiritus sancti medullitus inflammat, à Christo in terram missus. & ideò dicit Apostolus, hanc mysticam sapien-

a *S. Thom. 1. p. q. 43. a. 3. c* b *Hic a. 2.* c *S. Aug. & Haymo, apud S. Bonau. 5 Itin. æter. dist. 5.* d *S. Bonau. Itin. ment. c. 7 & Harph. l. 1. p. 2. c. 48.*

sapientiam, esse per Spiritum Sanctum reuelatam. quoniam igitur ad hoc nihil potest natura, modicum potest industria, parum dandum est inquisitioni, & multum vnctioni: parum dandum est linguæ, & plurimum internæ lætitiæ: parum dandum est verbo, & scripto, & totum Dei dono: scilicet Spiritui Sancto: parum aut nihil dandum est creaturæ, & totum creatrici essentiæ, Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.] & sic verè [dicimus, *a* quod Magisterium Theologiæ mysticæ, & orationis Ecstaticæ, seu perfectæ IESVS Christus sibi soli, suæque voluntati retinuit.] [vt enim *b* Bono vniuersali, quod omnium singulorum rationem comprehendit, aliquis delectetur, ad hoc solus Deus mouet.] & ideò [sicut *c* lapis non tendit sursum, nisi per motorem; aut ferrum, nisi per magnetem; sic nec anima, sine gratia.] hinc etiam [illa amoris cantica, *d* sola vnctio docet, addiscit experientia, experti cognoscunt, inexperti inardescunt.] eapropter seuerè huius ad supernaturalem vnionem, gratiæ necessitatem, Candelt *e* noster inculcat; eò quod [passiua sit, & non actiua, omnemque intellectum superans, nec in humanis actibus sita.] [ad contemplationem enim, quę nos in puritate supra omnem intellectum constituat: neque scientia, *f* neque subtilitate, neque vlla exercitatione perstringi potest: sed quem Deus, suo secum in spiritu vnire, & seipso illustrare dignatur, is videlicet hoc pacto, contemplari Deum potest, non alius quisquam.] sensum enim tuum quis sciet Domine, *g* nisi tu dederis Sapientiam, & miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis.

[Multi *h* ergo tota vita sua ad hoc tendunt; (scil. supremum exercitium mysticum) sed nunquam pertendunt; quibus tamen si piè, & perseueranter conati sunt, statim vt de corpore exeunt, redditur quod in hac vita dispensatoriè est negatum; illuc perducente eos sola gratia, quo prius tendebant ipsi cum gratia.] Sunt porrò hæc accipienda, quantum ad acquisitionem gratiæ; vt scilicet sicut nemo suis viribus assequitur gratiam gratum facientem; ita etiam nec gratiam mysticam, quarerum diuinarum fruitionibus modo ordinario, seu naturali, per discursum, & phantasmata intendit; multoque minus illud charitatis, sapientiæue donum; quo supernaturali, seu Angelico modo, absque discursu, & conuersione ad phantasmata, ac etiam ex habitu, Diuinæ naturæ consortium, vsque adeò facilitet, vt eo, tanquam alijs primis principijs, & à natura inditis, perfruatur. [rari autem & pauci sunt, qui ad hunc vnionis statum pertingunt. vel *i* quia nolunt, vel quia nequeunt.] [neque enim si quis videtur, aliquando hanc vnionem habere, continuò credat

a *Gerson præfat. Theol. Pract. & Blos. spec. spir. c. 11.* b *S. Thom. 1. p. q. 105. a. 4. c.* c *Harph. l. 1 p. 2. c. 36.* d *S. Bern. apud Harph. l. 3. p. 5. c. 38.* e *3 p. c. 2. 3.* f *Rosbroch. spirit. Nupt. l. 3. c. 1.* g *Sap. 9.* h *S. Bern. de Circ. ser. 3.* i *Richard. de prep. ad Cont. c. 76. & Rosbroch. lib. Apol. c. 7.*

dat sibi eam *a* necesse esse: maximè si nouitius est, nec (debitos) ascendit gradus. pius enim Dominus noster IESVS Christus, pusillos corde blanditijs talibus solet allicere. sed nouerint qui huiusmodi sunt, gratiam hanc præstitam sibi esse non datam] vel etiam [quod *b* non pateat aditus plerisq; ad diuinam & occultam diuinarum mentium veritatem.] [multi tamen sunt *c* qui habẽt charitatem in habitu, sicut pueri nouiter baptizati; multi qui in actu possident, & exercent dum merentur; sed pauciſſimorum est sentire distinctè nexum istum, mansionem istam, vocem istam; propter occursationes curarum in memoria, phantasiarum in intelligentia, & concupiscentiarum (quamuis minimè criminalium) in volitiua vel affectiua.] vndè in exercitio actus, [non omnes *d* serui Dei in hoc sæculo, ita rapiuntur supra seipsos, non omnes ita pertingũt ad occultum, simplicem, nudumque, & Deiformem animę fundum, non omnes admittuntur ad mysticam illam, præcelsamque cum Deo vnionem, ad quam nullus proprio conatu, aut labore peruenire potest, nisi speciali gratia Dei adiuuetur.]

[Paucissimos *e* autem ad vltimos, & perfectissimos status peruenire] intelligendum est respectu multitudinis eorum, qui in inferioribus sua exercentes, pro mensura donationis Christi, satisfaciunt. at sentire, quod Suaresius dicit, *f* nimirum [beneficium contemplationis puræ, à Deo rarissimè concedi, & non nisi ob singulare priuilegiũ, aut magnam vtilitatem publicam;] hoc ipsum ab integra notitia praxis deuiare est: vndè etiam eidem à Sandæo, tanquam qui hoc dicat, & non *g* probet, rectè obijcitur. quotidiana enim praxi constat, plures inter eos, apud quos super omnia studium contemplationis viget, ad summa mysticorum eleuari, sublimius quam quisquam non expertus, cuiuscunque tandem scientiæ, & ingenij profunditate sublimis, intelligere possit.

Ex pientioribus ergò nemo contristetur, licet in hac vita vnionis supremæ modum, & pro vt supernaturali operatione confert vsum, & quotidianum exercitium, amicitiæ diuinæ, non assequatur. sicut nec [perfectio *h* charitatis, quæ est possibilis in via, non est communis omnibus habentibus charitatem.] [magnum enim est, ô anima, quod desideras, *i* inæstimabile donum est, quod exoptas. vndè (vt æstimo) humano studio non potest obtineri humano merito vix potest promereri, sed à Deo humilibus precibus, & à dignè dispositis, ex sola diuinæ pietatis condescendẽtia, vix potest impetrari.] iam verò, sicut ex dictis constat, neminem nisi ex speciali gratia, ad modum supernaturalem peruenire: sic modo considerandum venit, quod linea charitatis

a S. Bern serm. 3. de Circumc. *b S. Dion. de Cœl Hier. c. 2.* *c Gerson. Tract super Magnif.* *d Bl. spec. spirit c. 11.* *e Less. de sum. Bon. l 2. c 1* *f Tom. 2. de Relig. l. 2. c. 14.* *g Sand. Theol. Myst. pag 201.* *h S. Thom. 22. q. 24 a. 8. c.* *i S. Bonau. in solil. c. 2.*

ritatis perfectè intensa, ad puras operationes facilitandas, donis supernaturalibus, ornetur.

Modus operandi supernaturaliter, profluit ex donis intellectus, & sapientiæ; secundum quod sunt effectus habitus charitatis singularis amicitiæ.

ARTICVLVS SECVNDVS.

EX dictis cum constet, præter gratiam sanctificantem, necessariam esse aliam *a* gratiam ad modum operandi supernaturaliter; iam videndum est, ex quibus gratiæ donis, tam supereminens operandi modus, profluat. licet enim [gratia *b* iustificans ita transiret naturam diuinam; eamque nobis præsentem, & inhabitantem faceret, vt etiamsi ipsa non esset immensa, & vbique; tamen eam nobis intimè præsentem constitueret; cum vnio Dei quę fit per gratiam, non sit solum vnio per amorem, & affectum, (vt quidam imaginantur) sed sit vnio per naturæ communicationem, & inhabitationem Spiritus S.] oportet tamen inesse homini perfectiones altiores, secundum quas sit dispositus, vt diuinitus moueatur. Perfectiones porrò istæ, nominantur Dona, non solum quia infunduntur à Deo; sed quia secundum ea, homo disponitur, vt efficiatur promptè mobilis, ab inspiratione diuina; vt perficiatur ad altiores actus, quam sint actus virtutum. vndè & amor ardentissimus, & Seraphicus, ardentissimè fertur in Deum: quamuis [ex parte animæ concurrat multitudo *c* habituum, & influentiarum:] quæ omnia tanquam virtus *d* vniuoca replent, & restituunt, & connectunt ad congregantis Patris Deitatem, & Deificam simplicitatem.] [in vna enim eademque potentia possunt *e* esse plures habitus, non tamen ex pluribus habitibus vnus constituitur: cum habitus sit vna simplex qualitas: licet enim ad multa se extendat; id tamen non fit nisi in ordine ad vnum, à quo habet vnitatem.] & certè si [ipsi Angeli habent habitus intellectus *f* & voluntatis, quibus benè disponuntur ad attingendum ipsum Deum:] quantò magis homo indiget [donis, *g* quæ sunt habitus hominem perficientes ad hoc, vt instinctum, & motionem Spiritus Sancti promptè sequatur.] eisque ceù qualitatibus bene-afficientibus, vtatur cum voluerit. [quanquam ergò omnes virtutes *h* Theologicæ, (quia per eas homo Spiritui Sancto mouenti vnitur) omnibus donis præferendę sint; aliis tamen quibuscunque virtutibus dona, (quia vires animæ in comparatione ad Spiritum Sanctum mouentem perficiunt) sunt potiora,] & ad vnionis diuinæ supremos modos, requisita.

Et [quia homo *i* suo naturali lumine, ad quædam intelligenda penetrare non potest; ad ea cognoscenda, opus illi fuit aliquo supernaturali lumine. quod donum homini datum, donum

a Hic a, 1. b *Vt Less l. 2. de sum. Bon. c. 1. ex Suar. l 12. de Trin. c. 5. Item Thom. à Iesu l. 4. de orat. Diu. c. 4.* c *S. Thom. 22. q 8. a. 4. c.* d *Gers. in Cant. conf. 3.* e *1. 2. q. 54. a. 1 c.* f *1. 2. q. 50. a. 6. c.* g *1 2. q. 49. a. 3. c.* h *1, 2 q. 68. a. 8. c.* i *12. 2. q. 8, a. 1. c.*

intellectus appellatur.] [lumen porrò doni intellectus, indicat *a* quandam excellentiam cognitionis penetrantis, vsque ad vltimas rerum intelligendarum essentias,& veritates, quæ non ita completè fit ex virtute luminis naturalis intellectus.] verùm quia donum intellectus, iudicium perficit tantum per simplicem perceptionem veritatis,cum sit habitus principiorum, oportet per donum sapientiæ, superaddere cognitionem experimentalem, practicam, seu saporosam.[nec enim dixerim,*b* reprehendendum si quis sapientiam saporem boni definierit.] vndè etiam [sicut gustus *c* aptus est ad discretionem saporis ciborum: sic sapiens ad dignoscendos sapores rerum,atque causarum aptus est.] per hoc autem donum, non intelligimus donum sapientiæ gratiæ gratis datæ, de quo Apostolus loquitur, alij datur sermo *d* sapientiæ, &c. sed donum sapientiæ cuius principale obiectum est Deus,non sub ratione veri absolutè, sed sub ratione veri in relatione ad rationem *e* boni,vt est excitatiuum voluntatis ad eius saporosam dilectionem.

Et hæc *f* [sapientia quæ est donum, non est causa charitatis, sed magis effectus.] scil.ex tot præcedentium mysticorum statuum exercitio, & varia, ordinataque interioritatis perfectione, tandem profluens, & ad supremos huius viæ operandi modos per dona intellectus, & potissimum sapientiæ habilitans: ita vt etiam actuali operatione cessante, remaneat tamen mysticus habilior, vt iterum actuetur,& talis habilitas dici potest habitus mysticæ sapientiæ. sicut [mens *g* Prophetæ postquam fuerit semel vel pluries diuinitus inspirata,etiam actuali operatione cessante, remanet habilior vt iterum inspiretur, & hæc habilitas dici potest habitus prophetiæ.] & sic sapientia per rationes superiores, & quandam connaturalitatem ad res diuinas fertur. quam quidem connaturalitatem efficit charitas,ex qua manat sapor ille,à quo sapientia, seu sapida scientia nominata est. Sanctos autem viatores, seu Ecclesiæ militantis, altioribus donis quam sapientiæ, à Deo dignari, dictum est infra. *h* modo verò consequenter tractandum erit de statibus, in quibus prædictæ operationes, in exercitio actus,formari solent;

Quis,& quot sint status modi operandi supernaturaliter.

ARTICVLVS TERTIVS.

Id solum [*i* videtur ad statum hominis pertinere, quod respicit obligationem personæ hominis, pro vt scilicet, aliquis est sui iuris,vel alieni.& hoc non ex aliquo leui,vel de facili mutabili;sed ex aliquo permanente. & hoc est quod pertinet ad rationem libertatis,vel seruitutis:

a S.Bonau.opusc.de 7 don. Spir.S b S.Bern.ser.85.in Cant. c Isidor. l.10. Etymol.verbo sapiens. d 1.Cor.12. e S.Bonau.de 7.don.Spir.S. & 3.Itin æter.d.2. f S.Thom.2.2.q.45 a.6.ad 2. g S.Thom.de Proph.q.12.a.1.c. h Infra Dec.9. i S.Thom.2.2.q.183,a.1.c.

uitutis vndè ſtatus propriè pertinet ad libertatem, vel ſeruitutem, ſiue in ſpiritualibus], ſiue in ciuilibus.]& ſic myſticus [ſtatus eſt id quod vim *a* cohærendi habet, à vi quæ omnem eſſentiam ſuperat, & conſtantiſſimè perficit,] ſcilicet ſecundum libertatem, vel ſeruitutem. ſecundum libertatem quidem; nam vbi eſt ſpiritus Domini, ibi libertas: ſecundum ſeruitutem verò, quando amor diuinus trahit in funiculis Adam, & in vinculis charitatis, & cum charitas *b* vulnerat, charitas ligat, charitas languidum facit, charitas defectum inducit. magis clarè autem, ſtatus myſticus ſit, quædam immutabilitas, ſeu vniformitas operandi, ſecundum libertatem; qua homo eſt magis, vel ſecundum ſeruitutem, qua Deus eſt magis, operans. hæc porrò viciſſitudo ſtatuum myſticorum ſupernaturalium, quinque ſtatus diuerſitateſque inducit.

Primo quidem ſecundum ſeruitutem, qua in ſtatu priuationis rigidæ, Deus Optimus Maximus tam ſolitariè, occultè, & intimè agit; vt myſticus ea vel ſola de cauſa, vſque adeò ligatus, & in ſeruitutem omnimodam redactus, apud Deum, vt iumentum factus ſit, & fræno impotentiæ, ad nutum diuinum, ſuſque deque, dextrorſum, ſiniſtrorſum, & in gyrum agatur. Obſeruandum tamen eſt, hunc ſtatum priuationis, nec naturalis, nec ſupernaturalis modi eſſe; ſed in eo animam ad ſtatus ſupernaturales immediatè diſponi, & medium, ac diſpoſitionem neceſſariam eſſe, inter naturalem, ac ſupernaturalem modum operandi, eaque de cauſa ſtatui vnionis immediatè præponi.

Secundo verò ſecundum libertatem, qua à grauiſſima, tædioſiſſimaque animi preſſura, atque amoris dura captiuitate, abſoluitur; quando ſtatus priuationis finitus, in ſe ipſo fundum ſuum, in primo principio dilectionis defœcatum, receperit, & ſupremum illud vnum, tam crebris ſuſpirijs, amoriſque paſſionibus deſideratum, obtinuerit: eò amplius hanc libertatem ſibi vendicans, quò altius in ſtatu vnionis, paulatim ſuprema conſcenderit, per donum intellectus.

Tertio, iterum ſecundum optatiſſimam ſeruitutem, poſtquam videlicet ſumma aſcenſus vnitiui conſcenderit, & in fundo, centroque ſoleitatis ſpiritualis, dono ſapientiæ repletus, tanquam à Domini ſpiritu, per donum ſapientiæ, de claritate in claritatem, ſtatum Transformationis deſcendentis, aſſecutus fuerit. in quo deinceps, vt in vmbra diuinæ fruitionis, in qua Deus vt Terminus à Quo, ſcilicet ſemper primi principij locum ſibi vendicat, continuamq; præexiſtentis huius beatitudinis amicitiam, communicat, à ſummis ad media, per eaque ad infima, ſingillatim omnia æternitatis ſpatia, pertranſiens: nec non ſuperiorum, inferiorumq; potentiarum, & operationum ſubordinatiſſimam concordiam, angelica ferè ſuauitate porrigens.

a *S. Dion. de Diu. Nom. c. 8. & 9.* b *Rich. de 4. grad. char. viol.*

Quarto, denuò secundum libertatem, status Transformationis ascendentis; quando in infimis tandem obumbratio fruitiua, in toto, à captiuitate illa cœlesti, remiserit; tandem statum perfectæ libertatis consequitur. vbi quantò liberius ex imis, & centralibus ad spiritualia, & suprema conscenderit; tantò etiam amplius ad circumferentiam totius compositi, scilicet animæ, & spiritus, diuinæ amicitiæ vnguenta, benignè distribuet. donec in summo huius Transformationis ascensu, Deũ quem semper vt Terminum ad quem, & vt vltimum, & perfectissimum suæ operationis, in summa spiritus libertate obtinebat; denuò per modum primi principij, & termini à Quo (præexistentiæ fruitiuæ,) possideat, ab eoque amorosa captiuitate, vitam, & halitum suscipiat. Et cum vicissitudo hæc, vtriusque scilicet modi Transformationis; (maiori tamen charitatis intensione) per optatissimam illam diuinam, & libertatem, & seruitutem, sufficienter viatorum perfectioni, & merito, cum dono habitus supernaturalis sapientiæ, prospiciat; ad praxin, vlteriores, & sublimiores status, non ponimus.

Quinto tamen sequitur status Viatorum sanctorum, qui in perfectissima spiritus Sancti captiuitate, gratia miraculorum, dono prophetiæ, fidei certitudine, visionum, & reuelationum magnitudine, Ecstasis, raptusque altitudine, & huiusmodi specialibus diuinæ amicitiæ signis, sanctitatis prærogatiua, dignati sunt. de qua (cum nostram experientiam longè præcellat) pauca tantum, eaque ad maiorem præcedentium notitiam, nec non cautelam eorum, qui satis humiliter non sentientes, vltra sortem sese erigerent, dicemus *a* infra. Finaliter autem pro totius operis perfectione, accedet status claræ visionis: de quo, in hac vita sublimiores scholasticos dicere, at in futura vita, Beatos profundissimè frui, sinemus, hac breuitate, & quo ad fieri potuit ordinata summa: (statuum diuersitatem, pro vt ad perfectionem, & decorem Ecclesiæ Dei pertinet) exposuisse, contenti: cum verò mystica, vtpotè occulta, præ nimia sui subtilitate vix dici, & ab inexpertis vix credi, possint; consequenter dicendum erit,

Quale iudicium possint ferre Scholastici, de statibus modi operandi supernaturaliter.

ARTICVLVS QVARTVS.

QVidam audaculo ingenij pruritu, in iam enumeratos supernaturales status, diuinissimaque mysticorum scriptorum documenta, immatura cruditate nonnunquam excanduerunt; turpiter, quod primo quidem scire oportuisset, ignorantes, pauciissima à Catholicis fuisse conscripta, quæ pia interpretatione defœcato animo, non sint quam maximè salubria. Vndè etiam [in Theologia mystica *b* multa repe-

a *Dec. 9.* b *Sanct. Theol. Myst. præfat. ad lect.*

reperire est, quæ vulgus non capit: multa quæ profanè doctis paradoxa videri possint, multa quæ admirationem pariunt: nihil, quod si benè intelligatur, & pium habeat interpretem, ac explanatorem minimè malignum; falsitatis, aut impietatis titulo meritò condemnari debeat addo: nihil, quod cum Philosophorum, & Scholasticorum enuntiatis non probè conueniat.] præsertim si obseruetur *a* [cuilibet videri se hoc ipsum esse, quod est optimum in se.] & inusitatos etiam loquendi modos, eiusmodi optimum quod in se esse sentiunt, ne quidem sufficienter, explicare. Quia ergo [illa potentia *b* quæ est affectus, & supremum in hominis spiritu, Spiritui Sancto immediatè amoris vinculo est vnibilis: vt est supremum in spiritu, quasi ab omnibus ignoratur, nisi ab illis, in quibus ab igne sancti Spiritus, immediatè affectus tangitur, & mouetur:] hinc non possunt Scholastici, de occultis perceptionibus mysticorum, ita securè, sicut de veritate reuelata (qua æquè solidè, vt ex principijs per se notis argumentantur) iudicare; aut diuinissimas vniones æquiparare, [modo contemplationis communi, *c* & Scholastico; qui est per modum inquisitionis, & eleuationis paulatim ascendens: incipiensque per exercitium ab inferioribus, ad superiora.]

Possunt tamen eiusmodi mysticorum profunda [perlegere, dummodò credant eis. alioquin *d* ipsi talia scrutantes, deficerent scrutinio; & non nisi laqueos infidelitatis sibimet acquirerent, & densioribus tenebris circumvoluti, cæcarentur.] in arcano enim amore [comparantur docti Philosophi pueris, qui attentè legunt litteras aureas; sed *e* quid litteræ significent, non intendunt.] ideo primum quidem [lectorem *f* inuito, ne fortè credat quod sibi sufficiat lectio sine vnctione, speculatio sine deuotione, inuestigatio sine admiratione, circumspectio sine exultatione, industria sine pietate, scientia sine charitate, intelligentia sine humilitate, studium absque diuina gratia, speculum absque sapientia, diuinitus inspirata.]

[Nec quisquam ergò minus perfectus spectatum veniat. *g* Vt enim ijs, quibus valentes oculi non sunt, aduersus radios solis intueri periculosum est; sic pernicioſum est, ea quæ supra nos sunt, aggredi.] quia nimirum [diuina omnia *b* quæque nobis patefacta sunt, ex solis communionibus intelliguntur. ea autem qualiacunque sint, principio suo, atque sede, mentem, omnemque essentiam ac scientiam superant.] possunt insuper præclariores Scholastici, iudicium ferre, num scripta cum bonis moribus probè conueniant; num etiam fortè aliqua hæretica prauitate infecta sint; neque enim desunt

a S. *Thom. 1. 2. q. 3. a. 5. c.* b *Theol. Myst. apud S. Bonau.* c *Harph. l. 3. p. 1. c. 8.* d *Gers. Theol. spec. conf. 8.* e *S. Bonau. Dieta sal. tit. 6. c. 3.* f *S. Bonau. in prol. Itin. ment.* g *S. Dion. de Eccl. Hier. c. 2.* h *Idem.*

sunt hæretici, qui de rebus mysticis, & diuinitatis fruitione scripserunt. porrò quam deuotè, Scholasticorum nonnulli, de mysticorum negotio, loquuti fuerint, hic consequenter dicemus,

Pientiores Scholasticos de mysticis, & rectè sentire, & à Deo deuotionis solamine dignari.

ARTICVLVS QVINTVS.

LOngè deuotiori animo, vt cum [*a* præstanti summarum naturarum ordine, ea quæ altiora profundioraque sunt, quam quæ intelligere possunt, reuererentur:] de rebus nostris, sentiunt pientiores viri, quibus cum sacra doctrina, credita sunt eloquia Dei. vndè [patet, inquit, Lessius, non esse *b* contemnendos scriptores mysticæ Theologiæ, etiamsi ea, quæ ipsi scribũt, nos non experiamur; quia cum multi eorum sint viri Sanctissimi, & omnibus virtutibus ornatissimi; non facilè putandum, eos decipi: cum omnia quæ passim de suis experientijs scribunt, facillimè fieri, & explicari possint: & alibi, [modum amoris, inquit, *c* qui impellit ad vnionem, per quandam liquefactionem, & demersionem in abyssum diuinitatis, interdum experiuntur viri Sancti contemplationi dediti; qui etiam vt sensum exprimant, vtuntur subindè quibusdam loquendi formulis, quæ benignè sunt intelligendæ. vt quod amatorij spiritus in Deum altissimè subleuati, liquescant, & defluant in incognitam caliginem, amittant se ipsos & perdant in abyssо diuinitatis, transeant in esse increatum, ac ideale; in quo fuerunt ab æterno: fiant vna simplex beatitudo, vnum amoris incendium cum Deo. non enim hæc ita accipienda sunt, quasi per amorem, reipsa, amittant suum esse creatum, & mutentur in diuinitatem; sed alio modo, idque dupliciter. primò quod ista fiant, quantum est ex vi affectus. summus enim amor ad summam nititur vnionem, & si fieri posset ipsum amantem conuerteret in amatum, vt ipse se totum illi perfectissimè impendat, & vniat. Secundo quod ista fiant iuxta sensum, & perceptionem contemplantium, præsertim in hac vita. ita enim amore accenduntur, vt sibi quasi deficere, & liquescere videantur: & ita potenter trahuntur in abyssum diuinitatis, vt in illum veluti demergi, & absorberi videantur, & se ipsos in illa perdant, adeo vt suum esse creatum ibi non sentiant, sed solam Dei essentiam.] pio insuper affectu Crodicius Mystica Scholasticis, præfert, [ô si mihi, inquit, optio *d* daretur, quam citò laboriosam istam nostram innumeris inuolutam quæstionibus, quam in scholis profitemur scientiam, commutarem cum sapida illa notitia, quam simpli-

a S. Dion. b l. 2. de sum Bon. c. 1 c Isid. c. 2. d Tom. 8. conc. p. 95.

simplices Eremitæ, deuotæque Virgines habuerunt; eligerem sane hanc, præ illa, etiam acutissima.] piè enim aduerterunt viri docti, non minus Theologiam mysticam, quam aliam quamlibet artem, & suas phrases, *a* & dicendi formulas, sibi vendicare: & [Catholicè *b* debere accipi]

Et certè, dato quod Scholasticus, alioqui pius, non nisi inferiorem aliquem, aut etiam nullum statum, in mysticis sit assecutus; de superioribus tamen, & supernaturalibus statibus, speculatiuè saltem potest bene-affici; & à Deo deuotionis solamine dignari. nam [ex hoc ipso quod veritas *c* est finis contemplationis, habet rationem boni appetibilis, & amabilis, & delectantis.] vndè &. actiones *d* contemplatiuæ non sunt propter alium finem; sed ipsæ sunt finis. ideò etiam propter se ipsas sunt diligibiles, nam finis illarum est ipsum *e* scire.] confirmant hoc ipsum plurima de vltimis, & supernaturalibus statibus, imò de ipsa cœlesti beatitudine, copiosè à diuersis Scholasticis conscripta; in quibus quia sapientia bene vsi, participes quoque amicitiæ Dei facti sunt; & tum alieno instituto, tum solatio proprio, plurimum contulerunt. Poterit ergò quilibet, cui id bona ordinatio passionum, & virtutum integritas permiserit, pro ingenij sui acumine, de Deo vt primo ente delectabiliter contemplari; ac cæteris vtcunque prodesse, eorum quæ didicit communione: eisque tantò vehementius in se ipso bene-affici, quantò [delectationi *f* quæ est in considerando, nihil est contrarium.] [in vita enim *g* contemplatiua, quæ consistit in actu rationis, per se, & essentialiter inuenitur pulchritudo. Vndè sapientiæ octauo dicitur, de contemplatione sapientiæ, amator factus sum formæ illius.] ad exercitium verò practicum ordinatè instituendum, & perficiendum plura requiri, ex sequentibus clarum fiet;

Perfectum tamen Iudicium de supernaturalibus modis, prærequirere scientiam, praxin, & longam experientiam.

ARTICVLVS SEXTVS.

SIcut Scholasticorum, sic & mysticorum quidam, circa diuinæ vnionis communiones, hallucinati sunt; dum in ijs quæ posteritati dederunt, in tantum theoriam, cum praxi inuoluram reliquerunt, vt mysticum exercitium, ad ordinatam praxin, etiam summa diligentia conquisitum, vix erui possit: vel etiam dum Scholastica disciplina minus instructi, vehementiam affectus sequentes, talibus loquendi modis, & verbis vsi fuerunt;

a Vt fusè Andr à Iesu Disc. Elucid 1. p. c. 6 & 7. b Præf. in lib. 3. Harph. c S. Thom. 1. 2 q 13. a. 3. ad. 1. d S. Thom. l 3. contr. Gent. c. 2. e Ibid c. 25. f Aristot 1. Topic g S. Tho. 2. 2. q. 180. a. 2. ad 3.

quibus non immeritò in doctrina sacra eruditos, subinde ad stomachandum commouerunt. Vndè licet, quod [sapientia causam suam, nimirum charitatem *a* in voluntate habeat,] & in ea mysticus rudis, doctissimum virum superet; [ipsa tamen sapientia secundum essentiam in intellectu existit, & per eam intellectus de omnibus rectè iudicat] in quantum per regulas diuinas dijudicat, & scrutatur omnia etiam profunda *b* Dei. [superior namque pars rationis *c* sapientiæ deputatur, inferior autem scientiæ superior autem ratio, intendit rationibus supernis, scilicet diuinis, & conspiciendis, & consulendis. conspiciendis quidem secundum quod diuina in se ipsis contemplatur. Consulendis verò, secundum quod per diuina iudicat de humanis actibus, & per diuinas regulas dirigit actus humanos.] quæ quidem omnia, si cum practico fructu fieri debeant, etiam scientiam requirunt.

His accedit longa vitæ spiritualis praxis, & experientia. experientia quidem; si enim *d* [omnes homines dicunt mihi, hoc esse dulce, per hoc non habeo notitiam experimentalem, quantumcunque etiam probent per rationes, sed opinionem, vel fidem, vel scientiam possem habere: sed si gustus meus attingit gustabile, vel attingitur ab illo, tunc habeo notitiam experimentalem illius. similiter & de gustu interiori, & alijs sensibus spiritualibus. vndè si ego lego, vel audio, vel aliquo quod dulcis est Dominus, per hoc non habeo notitiam experimentalem, nisi gustus spiritualis attingatur à dulcedine diuina: vt dicat cum sponsa, fructus eius dulcis gutturi meo. vbi loquitur de gustu spirituali, vt patet in Glossa, & ista notitia experimentalis perfectissimorum est.] intensam enim mentis prærequirit vnionem. atque ita [sapiens *e* dictus est à sapore; quia sicut gustus aptus est ad discretionem saporis ciborum; sic sapiens ad dignoscendos sapores rerum, atque causarum aptus est.] ac securè sapientia per causas altissimas, & æternas sua probat; scientia verò per inferiores, & humanas duntaxat.

Praxin verò diutinam etiam vel ipse sacer Dionysius, [exemplo magistri sui Hierothei commendat; quod scilicet multa *f* exercitatione, diuturno vsu, & diuino instinctu, hanc felicitatem sit assecutus.] Et certè si [vix in vltima *g* ætate, homo ad perfectam speculationem scientiarum, peruenire potest,] quantò magis opus erit *h* numero dierum vitæ suæ, ad hoc vt animum suum quis transferat

a S. Tom. 2. 2. q. 45. a. 1. & 2. in c. *b 1. Cor. 2.* *c S. Aug. 12. de Trin. c 14.* *d S. Bonau. 6. Itin. ater d. 1.* *e Isidor. l. 10. Etym.* *f S. Dion. de Diu. num.* *g S. Th. l. 3. cont. gent. c. 48.* *h Eccles. 2.*

ferat ad sapientiam, deuitetque stultitiam: de his postmodum aliorum vtilitati prospecturus. hæc tamen non aduersantur ijs quæ supra *a* dicta sunt: aliud enim est in praxi circa annum septimum gratia modi operandi supernaturaliter per donum intellectus, & circa annum duodecimum ad statum Transformationis per donum sapientiæ promoueri; aliud in his ita excellere, vt alijs doctrina, & practica instructione prodesse possit. hoc enim præter praxin propriam, scientiam, & longam experientiam requirit. ne autem terminis nostris, & loquendi modis, quispiam abutatur, consequenter monemus,

In explicandis operationibus supernaturalibus, terminis egeitatis, ipsitatis, identitatis, & similibus, sobriè vtendum esse.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

SCholasticorum rigore satis constat, quod [in rebus *b* creatis non sit idem suppositum, quod sua natura: nec idem homo, quod sua humanitas; sicut Deus est sua Deitas, Ipsitas, Egeitas, & Identitas:] in mysticis tamen operationibus perfectissimis, & pro vt viciniſſimè diuinitati vniuntur, explicandis; subindè vtimur terminis similibus, cò quod propter arctissimæ vnionis vinculum, quo præstantiores mystici vnum sunt cum Sanctissima Trinitate, sicut Christus in Patre, & Spiritu Sancto vnum est; nihil videatur esse disiunctionis; non quidem ex parte rei, & hypostaticæ vnionis; sed ex parte communionis diuinæ naturæ, in intimissimo spiritus mystici: secundum quam [quilibet videtur *c* esse id, quod est optimum in se.] atque ita, & non aliter intelligendi sumus, circa dictos terminos. & certè si [anima id *d* solum sibi videtur agere, quod agit cum difficultate, aut agit cum timore.] quantò magis, videbitur id solum agere, quod agit cum supernaturali amore, & operandi conditione.

Iure meritò *e* ergò benignè accipiendi sunt termini, & mysticæ locutionis modi; præsertim quod [Theologia mystica, *f* sicut & quælibet alia scientia, vel ars, proprias, & reconditas phrases, aut locutiones sibi vendicet.] vnde [cognitiones experimentales de Deo interius, vocant sancti varijs nominibus, sicut pro rei veritate multiplicatæ sunt super numerum. *g* Vacant enim contemplationem, Ecstasin, raptum, liquefactio-

a *Paraphr. 5. artic. 6. & Parap. 8 artic. 7.* b *S. Thom. primæ part. quæst. 3. artic. 3.* c *1. 2. quæst. 3. artic. 5. c.* d *S. Augustin. lib de quantit. ani. cap. 35.* e *Vt hic art. 9* f *Vt latè Nicol. à IESV Elucid. part. 1. c. 6.* g *Gerson. Theologia Mystica spect. cons. 2.*

factionem, transformationem, vnionem, exultationem, iubilum.] quia nimirum [operationes *a* interiores præsertim in affectu non ita clarè proferuntur, nec ita possunt scriptis tradi, sicut sentiuntur, & hæc est ratio quare Apostolus dixit, se audiuisse arcana verba, quæ non licebat homini loqui, quoniam illa minus poterat tradere [Beato Dionysio Exempli Gratia] quam acceperat; rursus Beatus Dionysius plus concepit ex verbis Apostoli; quam scriptis derelinquere fas habuit.] cum autem præ cæteris terminis, frequenter termino fruitionis vtamur; nemo tam ignarus creditur esse, qui fruitionem mysticam pro fruitione patriæ, & gloriæ velit accipere. nam nostra [fruitio *b* est amantis in amato quietatio] tantum; amantis scilicet animæ, in amato scilicet Deo, vt summo Bono; siue amoris modus sit naturalis, siue supernaturalis, supremè, mediè, vel intimè intensus. Et vt certius aliquid constet de summo status, & operationis, cum non modica inter practicos eminentiores, de mystico summo sit sententiarum varietas, consequenter dicitur,

Perfectionem mysticam non consistere in eo, vt quis maneat in summo semel adepto, supremi status; sed vt in Nunc operationis, perfectius adhæreat Deo.

ARTICVLVS OCTAVVS.

AD veram, & realem praxin, seu exercitium actus, cum plena, & perfectè ordinata fruitione consortij diuinæ naturæ, obtinendum; nil vsque adeo necessarium esse videtur; quam scire, & diligenti cura obseruare, perfectionem mysticam non consistere in eo, vt quis maneat in summo semel adepto supremi status alicuius, scilicet vnionis, vel Transformationis; aut etiam eminentioris, eorum scilicet, qui *c* sanctitate, miraculis, præstantioribus gratijs, & donis supernaturalibus à Deo dignantur: sed vt in Nunc præsenti perfectius Deo adhæreat, & summè conformiter se habeat ad diuinam voluntatem. pro cuius veritatis elucidatione, varia summi acceptio distinctione accuratiori examinanda erit.

Et primo quidem summum accipi potest, secundum quod aliquis, ex sollicita mysticorum lectione, & diutino, seu multorum annorum exercitio, tandem sibi ipsi modum aliquem constituit; quo semper tanquam generali auxilio, & vniformi, eodemque modo agat, seque ab omnibus denubet, expediatque; per continuam scilicet negationem eorum quæ sunt, & quæ non sunt, absque notitia, & vlla cura ad continuas vicissitudines interiores,

a Gerson. Ibid. cons 6. *b S. Thom. 1.2. q. 4. a 3. c.* *c Inf. decis. 9.*

riores, (secundum quas tamen omnibus mobilibus mobilior Dei sapientia, dispositiones, & cooperationes nostras, ordinata successione requirit.) incessanter omnia negando, & transcendendo, vsque ad nouissimum intellectus; in quo tandem, vel in non operari, vel otio aliquo intellectuali, vel impertinens aliquod phantasma actio mentis euanescit; totius compositi, seu hominis machina in obscuro pondere persistente, & tam durante quam finita eiusmodi negatione, de diuinis communionibus nihil, aut modicum participante. intellectus enim agens per tales indifferentes, & generales negationes, cum in pura sua naturali actiuitate, & speculatione duntaxat foueatur; non potest speciem aliquam, ad Nunc præsens, cum vitali in Deo afficientia, consequi; nec voluntatem, diuinæ dilectionis subiectum attingere, ac multò minus alijs potentijs, & inferiori massæ, diuinas bene-afficientias communicare. summum tamen eiusmodi negationis, & transcendentię modus, illis qui in incertum currunt, & in pugna sua aërem verberant, dicitur; eò quod sese taliter supra se, & ad summum vsque sui, eleuent. Verùm quia tale summum in naturali contemplatione, primi, & summi entis consistit, & hominem in natura vitiata non reparat; ita vt in reali, & solido exercitio vitæ internę potius speculatio quędam sit, & in vanam complacentiam intellectualis oblectationis deducat; ad vitia, illusiones, & pericula contemplationis modi naturalis, de qua supra dictum est, reijci debet. quandoquidem [voluptas *b* quæ ex spiritus dulcedine fluit, quaque nobis ipsis maximè placere solemus, magis nutriat amorem nostri, quam illecebræ rerum mundanarum.]

Secundo accipi potest summum, quando post dictas negationes, non sistitur in nuda speculatione, primi Entis, seu Pulchri, per ipsam contemplationem delectantis; sed tandem circa nouissimum intellectus, & cum persuasum habetur intellectum sufficienter à phantasmatibus purgatum, & illustrationibus perfectum, ad voluntatis inflammationem, & amoris excitationem proceditur. atque hoc illis quidem summum est relinquendum, qui per proprias species ad Nunc instans ordinatè se habere, & nesciunt, & ob modicam reparationem vitiatæ massæ, necdum omnia pro vt sunt bona valdè, & pro vt particulæ quædam sunt primæ bonitatis, accipere, & fouere possunt. horum autem summum à præstantissimo, ac summo illo negationis modo, de quo Dionysius *c* loquitur, & ipsi inani opinione se habere, sibiipsis persuadent, nimis quam longè distat. Vult enim Timotheum clarissimum pro maxima qua valet mysticorum spectaculorum exercitatione, primo quidem sensus,

a *Prima p. Dec. 7. & 8.* b *Rosing. lib. 5. de Disc. Christ. perf. c. 6.* c *Theol. Myst. c. 1.*

& mentis actiones, & ea quæ non sunt, & quæ sunt omnia prætermittere: Secundo autem libero, solutoque, ac liquido à se, & ab omnibus discessu, ad Eius qui omnem scientiam, & essentiam superat coniunctionem excitari: Tertio verò vt ibidem paulò inferius insinuat, omnium, ceù primæ causæ, tanquam quæ omni negationi, & affirmationi antiquior sit, & antecellat, vniri ita vt modus affirmationis vel negationis, dispositio, seu præambulum sit duntaxat, supremæ vnionis, illiusue summi; de quo nos hic in quinta acceptione agimus. qui ergò post negationes continuas tandem in affirmationem pergit, is certè ad tale summum non peruenit, cum exercitatio voluntatis eius summum sit; in ordine autem ad Dionysij summum non nisi præambulum sit, & dispositio. Cæterùm in praxi mystica vel manibus palpare quis poterit, nonnullos ingenio sagaces, intellectu subtiles, ac animo elatos, cæcas suas negationes, & sine vllo delectu, ordine, ac consecutione transcendentias intellectuales. vixque tandem aliquando in voluntatis inflammationem pertingentes; vsque adeò magnificare, & superexaltare, vt nemo quidpiam ipsorum iudicio bene agere videatur, nisi quem in speculationes suas quoquo modo attraxerint. sunt insuper intellectualium istorum hominum vitia, in spiritu elationis vsque adeò radicata, vt vix in vllo humanæ imperfectionis genere, quispiam tantum deprimatur; quantum ipsi periculi subeunt, ne gratijs, & donis sibi conceſſis abutantur, & propria complacentia superexaltati, cum Luciferoin præcipitium collabantur. intellectus enim agens, inani speculatione nimis occupatus, in tantum spirituali abstractione abducitur, vt ad vtilitatem, & fructum mysticæ vitæ, reparationem scilicet vitiatæ maslæ, per humilitatis, cæterarumque virtutum studium, modicum attendat. vndè etiam vbi iactura propriæ æstimationis, honoris, & vanæ gloriæ, istiusmodi spiritualem hominem contigerit, non virtutis studiosum; sed quasi dira passum intueri licebit: & tale summum, cum tam in reparatione vitiatæ naturæ, quam in ordinatis, & consecutiuis operationibus spiritus deficiat; deceptionibus plenum est.

Tertio accipi potest aliquod summum, pro ordinario, & summè virtuoso modo Deo adhærendi continuò, per viam essentialis resignationis, ita vt indifferenter omnia de manu Dei accipiat; siue illa summa, siue infima, dulcia, vel amara fuerint. & hac quidem perfectione posita, mystica erunt omnia bona valdè. Verùm quia exercitium resignationis, magis in penuria actualis vnionis, humilem Dei subiectionem, quàm vitale consortium diuinæ naturæ respicit, ac etiam in adepta actuali bene-afficientia; adhuc tamen ignorat, an ad eius perfectionem, & continuationem, sursum vel deorsum, dextror-

trorsum, vel siniſtrorsum, eundem ſit: procul adhuc diſtat, à charitate in actus exercitio ordinata, qua homo ſpiritualis diiudicat omnia, & perficiendo diſtribuit, vt ſciat quę à Deo ſibi donata ſunt.

Quarto accipi poteſt ſummum reſpectiuè, ſcilicet ad inferiùs, & ſic quod eſt infimum reſpectu ſupremi, eſt ſupremum reſpectu infimi; tale autem ſummum in qualibet regione, aut ſitu mentali reperitur. ſicut [in ordine Hierarchico *a* Angelorum tres ſunt principales ordines, horum quolibet in tres alios ſubdiuiſo.] vndè qui in infimo ſunt medij, ſupremi ſunt reſpectu infimi. ita quoque myſticus ordinatè inſtructus, & procedens, dum in inferiori regione, aliquamdiu verſatus eſt, per reflectionem ad præterita, & infima, ſe ſuperiorem inuenit. & dum in medio verſatur, ſuperiora intuetur in infimo; dum autem inferiora reſpicit, in ſummo eſt. [inferius *b* enim non attingit ſuperius niſi in ſummo] ſed hoc non eſt ſummum, niſi impropriè, & reſpectiuè.

Quinto accipi poteſt ſummum abſolutè, pro vt ſcilicet, per continuum aſcenſum, ad ipſius ſtatus altiſſimas regiones, earumque conſummatam eleuationem, cui etiam nil amplius ſuperius, & magis altum ſit; perfectè conſcenditur: neque tamen in hoc etiam ſummo perſeuerantia collocari poteſt.

Primò quidem, quia in tali ſummo non inuenitur ſtabilitas, ſcilicet adæquatè perfecta. vndè licet ſummum ſpiritus diuini, in aſcenſu, & deſcenſu Transformationis, vel ad decem *c* annos duraret; hoc tamen non contingit ita adæquatè; quin & ipſa cum Deo familiaritas, in ſpiritu puriori; & ſpecierum, ac ſimilitudinum in ſuperioribus, & inferioribus viribus, reſultantia, maiorem ſuam perfectionem aſſequatur; fiatque repræſentatio ſubtilior, & à phantaſmatibus defœcatior. facillimè autem hoc loco aliquis decipitur, credens ſe in ſummo ſemel adepto ſemper manere, eo quod ſecundum viuacitatem ſubſtantialem, & vitalem bene-afficientiam diu duret: ſi præſertim myſticus ignoret particulares, & ordinatas viciſſitudines, quæ continuo, & omnidie, pluriesque in vno die intenſiores, & remiſſiores in operationibus inſtantaneis, peraguntur. tunc enim & ſecundum generalem, & confuſam praxin durare poteſt, ab eo tempore, quo in aſcenſu in ſeipſo, ſeu proprio ſpiritu inſignem viuacitatem, & diuinæ naturæ vitalem bene-afficientiam conſequitur; vſque ad deſcenſum fruitiuum & diſparentiam eiuſmodi viuacitatis: quod quidem in vltimis, & perfectis ſtatibus, fortè intra decem vel plures annos non fieret, & myſticus interea morte ſublatus ſibi perſeuerantiam ſui ſummi perſuaderet.

Secundò

a *S. Dionyſ. paſſim & Scholaſtici.* b *S. Thom. lib. 1. Contr. Gent. cap. 57.* c *Vt latius hic art. 9.*

Secundò verò non potest eiusmodi summum semel adeptum perseuerare, quia est contra rationem vtilitatis mysticæ, quam in eo diximus *a* esse sitam, vt reparatio massæ vitiatæ ex redundãtia familiaritatis, & fruitionis diuinæ reparetur, & ad felicitatem status innocentiæ quantum ad subordinationem passionum, puritatem intellectus, & rectitudinem voluntatis in Dei dilectione pertingat: id quod minimè fieri posset, si in summo perfectissimi status semel adepto perseueraret. [tum enim *b* homo nimis absorptus inutilis foret ad quæuis agenda:] nec posset ex tentationibus, & rebus aduersis probari ad augmentum meriti; magisq; in Diuinæ naturæ felicissimo consortio præmij, & beati; quam meriti, & viatoris rationem haberet: quod constanti perseuerantia huius vitæ, & fragilitatis humanæ conditiones omninò excedit.

Quia nimirum [*c* rarum est valdè in montem Domini ascendere; sed multò rarius in eius vertice stare, & ibi moram facere: rarissimum autem ibi habitare, & in monte requiescere. & quidem [inhærere Deo iugiter *d* & contemplationi eius inseparabiliter copulari, impossibile est homini ista carnis fragilitate circumdato.] [quis enim *e* vnquam, (quamuis præcipuus omnium iustorum atque Sanctorum) huius corporis vinculis colligatus, summum hoc Bonum, ita possidere potuisse credendus est, vt nunquam à diuina contemplatione discedens, nec paruo quidem tempore ab eo, qui solus bonus est, terrenis cogitationibus putetur affectus, qui vnquam vllam cibi, vllam indumenti aliarumue carnalium rerum gesserit curam, nunquam de fratrum susceptione, de loci commutatione, de cellulæ structione sollicitus, aut operam aliquam humani concupierit adiumenti, aut inopiæ sterilitate vexatus, illam sententiam Dominicæ increpationis incurrerit: ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, nec corpori vestro quid induamini. Denique ipsum illum Apostolum Paulum, qui omnium Sanctorum laborem, passionum numerositate transcenderat, nequaquam hoc implere potuisse confidenter adstruimus, ipso in Actibus Apostolorum Discipulis attestante: ipsi scitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ, vel cum Thessalonicensibus scribens in labore, & fatigatione nocte, & die operatum se fuisse testatur: quibus laboribus licet magna eidem meritorum stipendia pararentur, tamen mens eius quamuis sancta, atque sublimis, non poterat non ab illa cœlesti Theoria intentione terreni operis aliquando diuelli.] [*f* fatigatio itaque, & occupationes variæ, quibus necesse est contemplationem nostram in hac vita

a *Hic art.13.* b. *S.Thom.* c *Richard de Prap.ad Cont.c.76.* b *Cassian. Collat.1.cap.18.*
e *Pridem collat.23.c.5.* f *S.Thom.l.1.Contr.Gent.c.102.*

vita interpolari: insuper errores, & dubitationes, & casus varij quibus subiacet præsens vita,] satis ostendunt actionum nostrarum inconstantiã. Præterea cum charitas in vsu, & exercitio actus se habeat, [sicut digestio *a* cibi,] oportet vt facta digestione, & alimenti absumptione, propter debilitatem virium, aliud alimentum, & cibus subsequatur. & ideò quando mysticus suum summum absoluit per subordinatas ascendentes, vel descendentes regiones, earumque congruas actiones; ita vt [insigniter profecerit in aliquem *b* nouum actum, vel nouum statum gratiæ, tunc secundum illud augmentum gratiæ attenditur, & datur missio inuisibilis Spiritus sancti ad illum.] quo ita, de nouo per succedentes, & ordinatas vicissitudinum *c* varietates, ac per particulas (vt ita dicam) operationum, seu verborum mysticorum, minutim, & transitoriè accipiat, quod Deus infinita sua magnitudine, & æterna duratione, possidet.

Sexto accipi potest aliquod summum, secundum modum operandi; ita vt in arcana, & supernaturali Dei amicitia continuo magis subtili, & substantiæ spirituali magis conformi modo, operetur; ac [vniformitate *d* conformi Angelis, & prætermissis omnibus in sola Dei contemplatione persistat.] siue operatio, secundum quod versatur in aliquo summo respectiuè, vel absolutè, sumatur; siue secundum quod est in Nunc actus exercitio, accipiatur. & tale etiam summum, dum peregrinamur à Domino perseuerare non potest,] quia nulla actio in suo summo *e* diu durat.] & [Deus semper excitat ad ea, quæ sunt *f* ante.]

Et ideò [perfecti etsi *g* in charitate proficiant; sed non est ad hoc principalis eorum cura: sed iam eorum studium circa hoc maximè versatur, vt Deo inhæreant,] & nouo semper modo non desinant ad Diuinam voluntatem conformiter se habere; ne cessent per ordinatas vicissitudines appropinquare, qui tenacissimè summo inhærendo, neglexerint vtilius in inferioribus inquirere. [prudentia enim purgati animi *h* est, diuina, non quasi in electione præferre, sed sola nosse; & hæc tanquam nihil aliud sint intueri.] quod quidem summum, ceu perfectissimum Deo adhærendi modum, proprium, & accommodum Nunc operationis in actus exercitio, esse, dictum est *i* infra; ita vt in eiusmodi Nunc operationis ex spiritu in potentias tam superiores, quam inferiores, magis vel minus, in Deo vicinum existere, influat. nam [secundum naturæ ordinem propter *k* colligantiam virium animæ in vna essentia; & animæ, & corporis, in vno esse compositi; vires superiores, & inferiores, & etiam corpus, & anima inuicem in se influunt, quod in aliquo

a *S. Thom. 22. q. 24. a. 6. c.* b *1 p. q. 43. a. 6 ad 2. & ibi expositiones & in 1. dist. 15. q. 5. a. 1. quæstione 5. & a. 2. q 1.* c *inf. Dec 6.* d *S. Thom. 22 q. 180. a. 6 ad 2.* e *Ibid. a 8 ad 2.* f *S. Dion. de Diu. nom. c. 4* g *22 q. 14. a. 9. ad 3.* h *S. Bonau. de hom Eccl. s. 1.* i *Dec. 6. a. 1. 2. 3. 4.* k *S. Th. de verit. q. 26. a. 10.*

eorum abundat.] [in omni enim *a* composito, bonum non est huius, vel illius partis; sed totius.]

[Substantijs itaque separatis, quæ non habent *b* aliam operationem vitæ, quam intelligere,] & velle, concedendum est, quod semel summo sui status, meriti, & præmij, adepto; in eo quoque completa, & perfecta duratione, ac operatione persistant. nobis autem [cum desit naturalis constitutio conuenientiæ, aptæque compositionis ratio, eodem *c* modo se habens;] humiliter ferendum est : quod à summo tum status, tum Nunc operationis, ad lutum nostrum relabamur : ita tamen vt [nunquam ex intentione voluntatis; sed sola, interpolatione *d* necessitatis, acies mentis ab æternis, & summis spectaculis, deflectat.] [& sic licet quamdiu grauis carnis huius mole deprimimur, impossibile nobis sit in eodem semper animi vigore, ac in Deum suspensione persistere; quisquis *e* tamen bonus, mox vbi ad inutilia sese conuersum deprehendit ab eis ilicò sese cum magna suiipsius, ac instabilitatis suæ dedignatione auertit; & quia sine animi affectione illis intendebat, ideò citra difficultatem ab illis auertitur, quippè qui ad introuersionem quam extrouersionem propensior est] & in Nunc operationis perfectè Deo adhærendi, laborem suum impendit, vt latiùs habetur supra *f* & quamuis in Nunc operationis summo, nemo diu persistat; in summo tamen status supernaturalis hoc locum non habere ex sequentibus magis colligere licebit,

Quamdiu probabiliter duret vnus status supernaturalis secundum vniformem vt plurimum modum operandi.

ARTICVLVS NONVS.

ACtiones vitæ nostræ, cum annuis temporibus, mensibus, diebus, horis, ac momentis absolui, sentit quotidiana experientia : voluntatis appetitum citius intellectu dari, probant infantium gestus; intellectum cum maturo iudicio, circa quadragesimum annũ prius accedere, ad communem praxin docent *g* nonnulli; certis *h* annis finitis Regi Persarum ab Angelo auxiliũ ferri; Ezechielem ad prophetiam peruenisse; aliaue contigisse, narrat passim sacra Historia. [hoc enim quod dicitur quia in tricesimo *i* anno spiritum prophetiæ acceperit, indicat aliquid nobis considerandum : videlicet quia iuxta rationis vsum, doctrinæ sermo non suppetit, nisi in ætate perfecta. Vndè & ipse Dominus, anno duodecimo ætatis suæ, in medio Doctorum, in templo sedens; non docens; sed interrogans voluit inueniri.] atque ita non est quod aliquis miretur, si & in mystica exerci-

a S.Th.Contr.Gent.l.1.c.18. b Contr.Gent.l.2.c.97. c S.Dion. de Diu. nom.c.4. d Harph. ex Wercell.l.1.p.2.c.46. e Taul.Instit c.16. f paraph.6.& 9. g Taul.in Ascens.Dom.serm.2. & Harph.l.2.p.3.& l.3.p 1.c.4. h Dan.10.Ezech.1. i S.Greg.in Ezech.Hom.2.

exercitatione, & anni, dies, & tempora labantur; priusquam aut supernaturales status attingantur, aut eidem cum annis, (ordinata successione,) perlustrentur. ideò etiam [seruus *a* Hebræus emptus, sex annis seruire præcipitur, vt in septimo liber exeat gratis. quid autem per senarium numerum nisi actiuæ vitæ perfectio designatur? quid per septenarium nisi contemplatiua vita exprimitur? sex ergò annis seruit, & septimo egreditur liber; qui per actiuam vitam, quam perfectè exhibuerit, ad contemplatiuæ vitæ libertatem transit.]

Circa supernaturales porrò status, variat in praxi duratio, priusquam mysticus tota sua capacitate, vel statum vnionis ab infimis, per media, ad suprema conscendat; vel in statu Transformationis, à summis per media, descendat; rursusque, ordinatè ad summa eleuetur: aliquando enim duobus, quatuor, sex, vel octo, annis, semel summa ascendit; vel ad ima reuertitur: posset etiam in aliquo cum Paulo quatuordecim annis, vel pluribus durare. ideò quando dicit, scio hominem in Christo ante annos *b* quatuordecim (siue in corpore nescio, siue extra corpus nescio, Deus scit) potest intelligi quod à quatuordecim annis, & ab eo tempore quo Damascum proficiscens, in tertium cœlum raptus fuerat; tanta reuelationum magnitudo, & rerum diuinarum fruitio exinde cohæserit, vt siue in corpore, siue extra corpus esset, ignoraret: licet non continuò vsque adeò intensè, vt stimulos carnis & humani corporis alterationes, non etiam sentiret; sed similia, aliaque laboris incommoda, & mala tam perfectè toleraret, vt illa cum [Sancto Ioanne Euangelista, potius *c* diiudicaret,] quam durè ferret.

Est insuper alia atque alia ratio durationis, ad paucos, vel plures annos: posset enim aliquis ita bono publico se impendere, vt rebus mysticis minus accuratè, & frequenter intenderet. in quo quidem casu licet Benignissimus Deus [contemplationis bonum in alio *d* compenset;] hoc tamen non ita solet fieri, vt mysticus donum habitus supernaturalis modi, in charitate, tam cito digerat, & absoluat; sicut alius, qui omne, vel potissimum tempus interioritati concederet. pari modo, qui negligentius contemplationi supremæ vacaret, tardius profectò, diligentiore, ac feruentiore mystico, finem suo statui, & modo vniformiter operandi imponeret. cum [habitus per cessationem *e* actuum minuantur, flaccescant, vel etiam tollantur.]

Generaliter verò loquendo, constat, quod [habitus *f* secundum quem, quispiam ad se, vel in ordine ad alterum (sicut in mysticis fit) se habere dicitur, sit quædam qualitatis species, de difficili mobilis,] eoque ad tempus notabile perseuerans; certam autem durationem, quilibet in se ipso, aut altero, cui familiaritate spirituali coniunctus

a *Greg. ibid Hom. 3.* b *2. Cor. 12.* c *S. Dion. Epist. ad Ioan. Euang.* d *S. Thom.* e *1. 2. q. 52. a. 2. c.* f *Ibid. q. 49. a. 1. c.*

fuerit, experiri licebit. quam verò ordinato progressu status aliquis supernaturalis, perfectionem suam, assequatur; ex sequentibus magis clarum fiet;

Status modi supernaturaliter operandi, accommodato, & sibi proprio ordine, absoluuntur ad suum summum fruitione centrali, spiritus proprij, & spiritus diuini, & Contrà.

ARTICVLVS DECIMVS.

EX his cum constet, neq; secundum statum, neque secundum operationes, etiam *a* qui seruiunt ei stabiles esse; iam videndum est quis ordo, & consecutiua annexio, sit nostrarum operationum, in aliquo dictorum statuum. cum itaque [amor sit *b* connexio & vinculum, quo omnium rerum vniuersitas ineffabili amicitia, insolubilique vnione copulatur] [ordo autem *c* rerum sub diuina sapientia postulet, vt varij sint rerum gradus,] quorum diuina quidem iustitia sapientiæ comes, non peruertat ordinem à sapientia ita dispositum, sed conseruet, ac propria superiorum munera inferioribus non distribuat; sed sua cuique pro natura confirmet, & pro dignitate rependat. cum tres insuper [cœlestes illæ Hierarchiæ non *d* æqualiter superni radij influxum excipiant, sed per abundantiam diuini luminis participatione distinguantur;] nõ solum [in summis, atque infimis mentibus; sed etiam in ijs quæ sunt *e* eiusdem ordinis, hæc lex sancita est, vt in vnaquaque Hierarchia, & primi sint, & medij, & postremi ordines; inferiorumq; superiores doctores sint, eisq; quasi digito viam monstrent, aditumq; ostendant ad diuinitatem, illustrationẽ, atque consocietatem;] vndè hoc quoq; non immeritò potest addi, vnamquamq; [& cœlestem, *f* & humanam mentem seorsum proprios in se continere, & primos, & medios, & vltimos ordines, atq; facultates; quæ eodem modo, quo superiores singularium Hierarcharum illustrationum proprij ductus, enuntiantur: quibus vnaquæq; mens pro suo captu, quam nitidissimæ purgationis, coprosissimi luminis, absolutæque perfectionis sit particeps.]

Et quum [ordo *g* charitatis accipiatur secundum proportionẽ dilectionis ad diligibile,] hæc trinaria Hierarcharũ statuumq; subdiuisio, ad mysticum faciliorem intellectum [sub vitali sensu *h* sensuali, sensu rationali, & sensu diuino, complecti potest;] aut dici mysticum versari in fruitione fundi, vbi animalis homo optimè ordinatus diuinos influxus suscipit, & in fruitione spiritus proprij, in quo suppositis inferioribus, ad spiritualia erigitur, ac in fruitione diuina, (vtraque præstantiore,) sublimatur. quod idem est ac dicere [spiritum sine *i* spiritu, spiritum in spiritu, & spiritum supra spiritum.] [Deum enim *k* contemplamur non solum intra nos, & extra nos, verum etiam supra nos.]

a Iob. 4. *b* S. Bonau. 4. Itin. æter. d. 2. *c* Harph. l. 3. p. 2. c. 16. *d* S. Th. 1 p. q. 108. a 1. c. *e* S. Dion. de Cæl. Hier. c. 4. *f* Ib. c. 10. *g* 22 q. 44. a. 8. c. *h* Harph. l. 3. p. 4. c. 28. *i* S. Bon. Prol. Itin. æter. ex Rich. *k* S. Bonau. Itin. ment. c. 5.

nos.] quia scilicet [potest *a* aliquid pertinere ad beatitudinem tripliciter: vno modo essentialiter, alio modo antecedenter, tertio modo consequenter.] Essentialiter quidem, eò quod tempore centralis fruitionis, quo in circumferentia totius compositi humani, vnum habitus donum, scil. intellectus, vel sapientiæ, vel etiam eminentioris, in spiritu proprio, & spiritu diuino, dirigendum solidatur; mysticus magis per modum essendi, habendi, & possidendi, quam per modum extensionis, aut erectionis, procedat. antecedenter verò, eò quod proprij spiritus, ex fruitione centrali alleuiatio tanquam spiritualis conformitas, sit præambulum, & dispositio ad spiritum diuinum; qui tandem consequenter adimplet omnem spiritus immensitatem, & æternorum spatia, vel, quando post supremas operationes, reliquiæ cogitationis diem festum agunt, & magis vitaliter sua impressione ad nouas operationes excitant.

Tandem cum [vnaquæque mens *b* angelica, vel humana, benè ordinata, habeat in sua singulari persona, primas, medias, & vltimas ordinationes & virtutes, & sursum actiones;] permagni certè refert *c* in praxi, trinariam hanc distinctionem (quam accuratiori ordine in tres cuiq; ordini subordinatas sphæras, seu mentis regiones, distribuimus,) obseruare. quamuis enim sat facilè sit inferiorem, & animalem partem, à superiori & spirituali separare; difficilè tamen est inter spiritum proprium, & diuinum discernere: vndè sicut [contingit Prophetam aliquando nescire an cognoscat diuina, spiritu *d* proprio, an autem diuino; quando eius reuelatio est per inspirationem internam;] ita etiam exercitatio nostra tam interna, & inspirationi diuinæ tam familiaris est, vt vel ideò mystica, & in ipso spiritu abscondita, sit, & nominetur, ac vel lincio oculo egeat.

Potissima verò ratio huius trinariæ diuisionis scilicet fruitionis centralis, spiritus proprij, & diuini, illa est. quod mens nostra *e* tres habeat aspectus principales; cuius quidem primus est ad corporalia exteriora, secundùm quem vocatur animalitas, seu sensualitas; secundus intra se, & in se, secundùm quem dicitur spiritus. Tertius est supra se, secundùm quē dicitur mens.] consequuntur autē hi aspectus subdistincto ordine bonum suæ perfectionis; vndè [in singulis Hierarchicis disponuntur tres Hierarchiæ, & in singulis earū tres ordines iuxta angelicam dispositionem, videl. in infima Angeli, Archangeli, & Principatus. per hos enim mens benè ordinatur ad exteriora, vel respectu exteriorum. in media autem mentis Hierarchia sunt Potestates, Virtutes, & Dominationes; per hos ordinatur respectu interiorum. in summa mentis Hierar-

a S. *Thom 1.2.q.3.a.3.c.* *b* *Wercell. apud S Bonau. 3. Itin. æter. d.4. a.1.* *c* *hic art. 10. & sup. paraph 1.a.1.* *d* *S. Thom 22.q.171. a.5. c. simile Harph. l.3. p.2.c 9.* *e* *S. Bonau. itin. mens. c.1.* *f* *Wercell. vbi supra & S. Bonau. 3. itin. æter. d.4.*

chia sunt; Throni, Cherubin, & Seraphin; per hos ordinatur respectu superiorum; & his nouem ordinationibus reducimur in diuinam Monadem.]

Status ergò modi operandi supernaturaliter, & quasi idem quod Hierarchia aliqua distincta, per tres ordines, (quos quidem in praxi in alios tres accuratius subdiuidimus) diuinam communionem successiuè (cum nos in tempore moueamur) perficiens. & ideo fruitio mystica in infimo status ascendentis, centrali amore sub ratione boni collecti, vix illustrationes intellectuales compatiens radicatur; in medio autem erigitur, lumine spiritus proprij crescente; at in summo à spiritu diuino imbutus supra centralem, & spiritus proprij felicitatem, absorbetur in primam omnis boni vnitatem; ac vice versa, alio in statu, ac Hierarchia, scilicet modi descendentis, velut in altera scala, per tres ordines spiritus diuini, spiritus proprij, & centri seu fundi ad ima descendit. [rectè ergò *a* sacer ordo, qui diuinis imaginibus, similitudinibusque præest, se in distinctos ordines, atque facultates diuidit: quo planè declaret, diuinas actiones in sanctissimis, ac non perturbatis confusisque ordinibus, constanter, distinctèque consistere.] [mos enim hic est Diuinitatis sanctissimus, per *b* prima, secunda, & inferiora, ad diuinissimam lucem suam deducere:] quo ita tanquam apis argumentosa minutissimè, in absconditis diuinis consilietur, ac ordinatissima varietate ita Deo coadunetur, satieturque; vt tamen aliud nouum in Deo habeat, quo penitius fruatur: quousque hac vicissitudine ascendendi, & descendendi, iuxta diuinum propositum finita; beatitudo patriæ, & claræ visionis, euacuet quod mobile, & imperfectum est. solum enim est [diuinum *c* Pulchrum, quod eo modo se habet semper, ita vt nec oriatur, nec intereat, nec augeatur, neq, minuatur, nec partim pulchrum, partim turpè sit: neque hoc tempore pulchrum sit, illo non item; nec ad hoc quidem pulchrum sit, ad illud autem turpe: nec quod hic quidem pulchrum sit, illic non item: nec quod aliquid aliquibus pulchrum sit, nonnullis autem non pulchrum.] vndè [ad quantamcunque diuinam similitudinem *d* se quis peruenisse glorietur; nunquam tamen cesset rescindere, & ad omnimodam similitudinem reducere: quia diuina perfectio, cui se conformare laborat, sine mensura est. potentia quoque similitudinem illam attingendi hominibus præstita, semper insatiabilis permanet in hac vita: quia cum incremento similitudinis gratiæ Dei, per quam similior effici potest, semper accrescit, & quoniam adhuc mortalis semper mobilis, & mutabilis est, ideò per vices accrescit ad similitudinem, & decrescit ad dissimilitudinem: quæ duo semper inter se militant;] & profunda Dei intimius scrutari gestiunt incessanter, pro vt hic consecutiuè dicemus,

Qui-

a S. Dionys. de Eccl. Hierar. c. 5. b ibidem. p. 3. c. 20 in fine. c de diuin. nomin. c. 4. d Harph. l. 3.

Quilibet status supernaturalis est ordinata & proxima dispositio, ad subsequentem magis in charitate radicandum.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

EO quod [dilectio charitatis, tendat in Deum sicut in principium *a* beatitudinis; in cuius communicatione amicitia charitatis fundatur. ideò oportet, quod in his quæ ex charitate diriguntur, attendatur aliquis ordo, non tantum secundùm relationem ad primum principium huius dilectionis, quod est Deus; sed etiam secundùm quod ordo includit in se aliquem modum prioris, & posterioris;] pro vt scilicet vnus status, seu vniformiter diu operandi modus, est ordinata, & proxima dispositio, ad sequentem in charitate magis radicandum.

Et istiusmodi quidem maioris radicationis modus, quodammodo necessarius videtur, ex eo, quod [charitas *b* non augeatur quocunque actu charitatis. nisi dispositiuè; in quantum scilicet ex vno ipsius actu, redditur homo promptior ad agendum secundùm charitatem.] & hinc colligere licet, quare fruitionis mysticæ continuatio, & duratio; non in quiete, & firma inhæsione; sed in actuali, ordinata, & successiua operatione consistat; quia nimirum actus singulares, operationes seu verba in instanti proferuntur, & sua, vt ita loquar parnitate, & momentaneo transitu, vix benè afficere cœperunt, quin ilicò transierint. multiplicatis verò istiusmodi minutis actibus, in sphæris, dimensionibusvè *c* Diuinitatis, prorumpit mysticus in actum feruentiorem dilectionis; & consequenter crescente habilitate in inferiori, in spiritus proprij, & spiritus diuini regionibus, augebitur charitas in actu notabiliter; scilicet vbi per has regiones, ab infimis, per medias, ad superiores conscenderit, aut è contra, à summis per medias ad inferiores descenderit. vndè etiam [augmentum spirituale *d* charitatis quodammodo simile est corporali augmento. augmentum autem corporale in animalibus, & plantis, non est motus continuus; ita scilicet, quod si aliquid tantum augetur in tanto tempore, necesse sit, quod proportionaliter, in qualibet parte illius temporis, aliquid augeatur; sicut contingit in motu locali; sed per aliquod tempus natura operatur, disponens ad augmentum, & nihil augens actu: & postmodum producit in effectum id, ad quod disposuerat, augendo ipsum animal, vel plantam in actu.] hinc etiam videri potest fundamentum durationis ad annos aliquot, vel vnius status mysticæ exercitationis, & feruentioris dilectionis, qua ad charitatis profectum conatur.

Iam verò cum [habitus *e* & dispositio possint augeri,] per hoc quod [subiectum

a S. Thom. 2. 2. q. 26. a. 1. b idem 2. 2. q. 24. a. 6. c. c inf. decis. 4. a. 3. & 4. d S. Thom. ibid. e S. Thom. 1. 2. q. 52. a. 1. c.

iectum perfectiùs participat *a* formam præexistentem,] gratiam scilicet mysticam, & in eius effectu, vsum, aut consortium diuinæ naturæ. clarum est, quod digesta vna amplissima radicatione in charitate scilicet, per integrum vnum, ab infimis, per media, ad summa ascensum; aut è contra: per integrum vnum à supremis, per media, ad infima descensum; quod inquam eiusmodi status, sit proxima, & ordinata dispositio, ad sequentem statum maioris radicationis in charitate. quo ita totum vniuersum mysticæ vitæ, per ordinatos motus descensus, aut ascensus, eminenti ratione de Deo omnia affirmando, aut transcendenter negando, compactum, & connexum per omnem iuncturam, intermediarum dimensionum, & regionum mentalium in mensura, augmentum donationis Christi, digerat, ac inescat.

Et certè huius ordinis ignorantia *b* perturbat formam meritorum, nec reputatur perfecta rei cognitio in nobis existere cum scimus quid sit in nobis faciendum, & ignoramus quo ordine sit procedendum.] hinc etiam nunquam certa, & infallibili notitia, aut proprium, aut alienum statum quisquam intelliget; minusque in intermedijs humanitatis proprij spiritus, ac spiritus diuini solido iudicio, in ordinata praxi deducet; qui non statuum ordinem, eorumque non interruptam consecutionem ad inuicem, cum primis obseruauerit. sicut ille qui cœlorum ambitum, ornatum, stellarum, ac planetarum motum, lumen, & pulchritudinem communi, atque ignaro oculo intueretur; is quidem omnia hæc videbit, at quot cœlorum sint sphæræ, seu circuli, motus, distantiæ, contactus, luminis receptiones, & emissiones; virtutes & distinctiones, minimè intelliget; id quod tamen is, qui in Astronomicis piè, & cautè versatus, iucundè intelliget, ac distinctè monstrabit. charitas ergo mystica, & iustorum semita, *c* quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectam diem. quando scilicet in amoris exercitio [insigniter profecerit, in *d* nouum statum gratiæ] immediatè sequentem. interea verò, etiam perfectum virum, subindè, ex terrena inhabitatione, ac per sensum multa cogitantem, deprimi, consequenter dicemus.

An mysticus in perfectis statibus molestetur passionibus inordinatis.

ARTICVLVS DVODECIMVS.

QVamuis perfectiores Viri, [ab omni rerum *e* corporearum voluptate abducantur, liberi autem ab omnibus malis, Deique amore impulsi, omnium bonorum pacem diligant, & sanctimoniam, atque ab hac vita principium futuræ faciant, cum inter homines Angelorum vitam imitentur, cum

a S. Thom. 1. 2. q 52. art 2. c *b S. Bonau. solil. c. 1.* *c Prouerb. 4.* *d S. Thom. 1. p. q. 43. art 6 ad 1. & alib.* *e S. Dionys. epist. ad S. Ioan. Euang.*

cum omni animi tranquillitate:] [nullus tamen est, qui non *a* aliquando sentiat inordinatas passiones corporis, vel animi.] vnde etiam [qui ad summam perfectionem peruenerunt, non ideò censendi sunt impassibiles, *b* & omnis humanæ perturbationis, & affectionis expertes; vt olim quidam *c* Scriptores, inani perfectionis studio ducti, in eum errorem prolapsi sunt:] licet enim [natura, quæ per gratiam infusam reparata est, *d* singula peccata venialia; sed non omnia vitare potest.]

[Si quis autem eorum qui sanctitatem eximio modo habent, à *e* vitio superatus, & à cœlesti puraque diuinarum mentium harmonia prolapsus esset; in obscura multitudinis, quæ defecit loca delatus:] eiusmodi tamen [recuperatio virtutum, & charitatis, per opera *f* pœnitentiæ,] ei negari non posset. cum non peioris conditionis, quam cæteri Christi fideles censeri debeat. [& pro summa *g* humanitate sua Deus, nos etiam auersos, & abductos ad se conuertat, & reuocet:] verumtamen pro eo tempore [licet nihil prohibeat aliquem esse in statu *h* perfectionis qui tamen perfectus non sit;] valdè tamen miser foret, & à commutabili bono excœcatus.

Quamuis ergò inter *i* Sanctos eius nemo sit immutabilis, & cœli non sint mundi in conspectu eius; durum tamen est concedere aliquem in statu perfectionis, ad graue peccatum dilabi. cum [*k* sancti Viri quò altiùs apud Deum virtute, & dignitate proficiunt, eò sublimius indignos se esse deprehendant: & dum proximi luci fiunt, quidquid eis in seipsis latebat, inueniant.] atque illud [quiddam *l* valdè occultum in ipsa natura, quod proprium semper in omnibus quærit, & intendit commodum,] odio habeant, ac mortificent: propriam voluntatem diuinæ voluntati conforment, à terrena dulcedine, & delectatione remotissimi viuant. in quibus quidem, [*m* quantò quis à propria voluntate nudior, & à dulcedine, seu delectatione derelictior est, tantò & à diaboli laqueis, & tentationibus, & tristia mala in præsentia, & ab inferno, ac purgatorio in vita futura liberior, atque immunior fit: nec facilè ex Dei gratia, in peccata decidere potest, nisi sponte, ac studiosè, se ad peccata conuertat, quod difficulter, atque ægrè fit.]

Ad inordinatas autem passiones, & molestias, quibus vel iustus *n* septies in die cadit, quod attinet; nemo certè etiam in perfectis statibus mysticis, eximitur. [dum enim huius *o* vitæ infirmitatem gerimus, si passiones nullas habemus non rectè viuimus. nam om-

a *S. Thom. contr. Gent. l. 3. Harph. l 3. p. 2. c. 9.* b *1. 2. q. 61.* c *scil. Origenes, Euagrius, Ruff &c.* d *1. 2. quæst. 109. a. 8. c.* e *S. Dionys. de Eccles. hierarch. c 6.* f *S. Thom. 3. p. quæst. 89. & Taul. Dom. 24. post Trinit. fusè & ad rem accommodatè.* g *Dionys. de diuin. nomin. c 6.* h *S. Thom. 2. 2. q. 184. a. 4. c.* i *Iob 15.* k *S. Bonau. in solil. c. 1.* l *Taul. instit. c. 22.* m *Taul. in fest. S. Cathar. serm. 1.* n *Prouerb. 24.* o *S. Augustin. 14. de ciuit. Dei apud S. Thom. de verit quæst. 26. art. 7.*

nino non dolere, dum sumus in hoc loco miseriæ non sine magna mercede contingit vnanimitatis in animo, & stuporis in corpore.] & ideò licet quis status innocentiæ perfectione, circumdatus esset: quin imò, si quis cum Adamo *a* in sopore status innocentiæ, cum Moyse *b* in ostensione omnis boni, cum Paulo *c* in raptu ipsam Dei essentiam clarè vidisset; ex eo tamen, aut à peccati occasione, aut à pœnæ malo, aut etiam à persecutionis molestia, qua vt plurimum afficiuntur, qui in Christo piè viuere volunt, non foret ex toto liber, vel securus. præsertim quod beatitudo etiam perfecta [*d* qualis in hac vita haberi potest; deficere possit.] vnde Adam post soporem, in peccatum grauissimum, quod nobis omnibus originale est, incidit; Moyses autem, (fortè etiam post ostensionem omnis boni) *e* in pœnam incredulitatis, ab ingressu terræ promissionis mulctatus fuit, illius pœnæ remissionem, etiam vsque ad mortem frustra petendo: at Paulus in sanctis Ecclesiæ sollicitudinibus, & laboribus; tales subijt persecutiones, vt tæderet eum viuere, carnis suæ stimulo etiam succensus. cui autem non est amplius colluctatio *f* cum carne, & sanguine, videat, qua gratia stet, aduersus Principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus: quandoquidem helluones isti flammigeri, subtilissimè *g* tentare non fatigentur. his tamen non obstantibus [potest homo ad tantam charitatis *h* perfectionem peruenire, vt omnia quæ sunt charitati contraria repudiet, & detestetur, quandoquidem nullus in hac vita ad diuinæ dilectionis absolutam perfectionem peruenire possit.]

Cæterum illud Apostoli. [impossibile *i* est eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti: gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam; illud, inquam, ad defectus, & fragilitatis humanæ tentationes, haud quaquam refertur; sed ad maxima peccata, præcipue verò ad apostosiam à fide Christi; quam per Baptismi *k* lauacrum, & consolationem Spiritus sancti adepti erant; qui taliter in Christo nati, postea verò ad Iudaismum, vel Gentilissimum reuertebantur.]

Vti-

a *Gen. 2.* b *Exod. 33.* c *2. Corinth. 12.* d *S Thom 1. 2. quæst 5. art. 4.* e *Exod. c. 33.* f *Ephes. 6.* g *vt fusè & egregiè Taul. in fest. S. Agnet.* h *S. Thom 2. 2. quæst. 184. art. 2. c.* i *Hebr 6.* k *vt Chrysost. Theodor. Theophil. Oecumen. Hay. Sedul. Primus, Ambrosius, Augustinus, &c.*

Vtilitatem mysticæ vitæ in eo consistere, vt pia anima paulatim appropinquet ad felicitatem status innocentiæ, quantum ad subordinationem passionum, puritatem intellectus, & rectitudinem voluntatis, in ordine ad dilectionem Dei.

ARTICVLVS DECIMVSTERTIVS.

EO quod omnia, & singula, quæ de mysticis statibus, operationibus, gratijs, donis, diuini amoris, ac familiaritatis incrementis; à compluribus ad aliorum directionem tradita sunt, plus minusvè ad vtilitatem mysticam referantur; & breuitatis causa, tum illos, qui eius fructibus aduersantes, actiuam vitam eidem præferunt; tum hos, qui ex pia curiositate, eius commoda fusiùs deducta, perlegere cupiunt; ad ipsosmet *a* auctores istiusmodi vtilitates fusiùs explicantes, remittamus. eapropter, nos hoc loco ad tria duntaxat capita, summariè, eius iucundissimos fructus reducemus.

Cum itaque [studium *b* sapientiæ sit perfectissimum, iucundissimum, & vtilissimum,] & Philosophus *c* [vltimam felicitatem hominis posuerit in contemplatione optimi diligibilis;] nulla insuper in hac vita [sublimior, *d* diuinior, & salubrior] exercitatio reperiri possit, quam contemplatiua; gliscit animus hoc ipsum penitiùs considerare. Et primò quidem nullam esse sublimiorem, constat ex parte obiecti, quod Deus est, quo eminentius aliquid dari non potest, neque sublimius. patet etiam ex parte subiecti, quod est spiritus ad imaginem, & similitudinem Dei, ac sanctissimæ Trinitatis, non autem ad aliud Deo inferius, in consecutione perfectæ, & sibi proportionatæ beatitudinis creatus. sic etiam [simpliciter, & ex sua natura *e* vita contemplatiua potior est actiua:] quia nimirum [prioribus *f* & melioribus operationibus insistit;] quæ etiam [in patria, seu clarissima visione gloriæ perficitur, ac *g* perseuerat,] vita actiua deficiente, & euacuata: quin imò fidem, spem, & charitatem, pro vt virtutes Theologicæ sunt, & scholasticè considerantur, altiùs superexcedit. Quippè [quæ communis non sit omnibus *h* habentibus charitatem,] scilicet gratum facientem, vel sanctificantem. hinc etiam pretiosissimam esse vides mysticam sapientiam, iuxta illud: *i* Præposui illam regnis, & sedibus, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius. nec comparaui illi lapidem pretiosum: quoniam omne aurum in comparatione illius, arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. super salutem, & speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile est lu-

a *Gerf. Theol. spec conf. 1. 8. 30. 32. & S. Bonauent. 3. itin. cter. d. 5. &c.* b *S. Thom. l. 1. cont. Gent c. 2. & Thom à Ief. de Cont. pag. 510* c *10. Ethic.* d *Gerf. in Prol. Theol. spec.* e *S. Thom. 2. 2. q. 182. a. 1.* f *art. 4.* g *2. 2. q. 181. a. 4.* h *2. 2. q. 24 a. 8.* i *Sap. 7.*

men illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius. & lætatus sum in omnibus: quoniam antecedebat me ista sapientia, & ignorabam, quoniam horum omnium mater est. quam sine fictione didici, & sine inuidia communico, & honestatem illius non abscondo. infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei: ad quam lucrifaciendam iure meritò Paulus omnia *a* arbitratur vt stercora.

Secundò verò nulla potest reperiri diuinior, non tantum ex parte gratiæ sanctificationis, & gratum facientis, (quam mystica vita certa fiducia præsupponit.) sed multò magis ex parte donorum, quæ superiores potentias voluntatis, & intellectus ad vsum, & exercitium familiaritatis diuinæ perficiunt, & practicum in summis, seu perfectis statibus vitæ æternæ participem, & diuinum quodammodo efficiunt, ex omni parte, & secundùm totum hominis compositum. in essentia quidem animæ secundùm gratiam, quæ est quędam vitalis participatio diuinæ naturæ; in voluntate autem per donum sapientiæ eius curuitates, à commutabili bono ad incommutabile rectificando: in intellectu verò per donum intellectus, eius cœcitates illuminans, phantasmata depurans, discursus simplici intelligentia perficiendo. in vtraque verò ad facillimam, & iucundissimam cum Deo conuersationem vitali efficientia, etiam ad inferiores vsque vires, scilicet rationis, imaginationis, sensuum internorum, & externorum; ac tandem ipsius corporis, per influxum ex abundantia *b* suauitatis spiritualis, in viribus superioribus, constituendo perfectissimum, & diuinissimum gaudium huius vitæ.

Tertiò autem nulla potest reperiri salubrior; primò, quia [vita contemplatiua ex suo *c* genere, est maioris meriti, quam vita actiua; propter eminentiam amoris vnitiui.] Secundò, quia amor *d* quantò intimior, tantò firmior] & maioris efficaciæ, ad resistendum omnibus, quæ nos à Deo possunt separare; iuxta illud Apostoli: Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, *e* an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo IESV Domino nostro. Tertiò, quia [contemplatio *f* ex radice diuini amoris, est omnibus delectationibus iucundior.] vndè etiam facit Domini onus leue, & iugum eius suaue, & quidquid alioquin humanam fragilitatem quoquo modo solet fatigare, alleuiat,

a *Ad Philipp. 3.* b *S. Thom. q. 26. de verit. a. 10.* c *2.2. q. 182. a. 2.* d *l. 1. cont. Gent. c. 91.* e *Rom. 8.* f *2.2. q. 189. a. 7.*

niat, facillimumque reddit; ita vt non contristet iustum quidquid acciderit ei. Quartò quia est securissima, & periculis carens: omnes enim contemplationis fructus in reparationem originalis perditæ iustitiæ redundant; ita vt licet [passiones ad malum *a* inclinantes non totaliter tollantur, nec per virtutem acquisitam, nec infusam: attamen tam per virtutem acquisitam, quam infusam huiusmodi passiones modificentur, vt ab his homo non effrenatè moueatur:] quin imò apud perfectiores, [fortitudo *b* purgati animi est, passiones per impassibilitatem ignorare, nõ vincere, vt nescias irasci: cupiditates autem terrenas, est, non reprimere; sed penitus obliuisci, id est, non sentire.]

Fatendum tamen est, contemplationem in cuius nuda *c* oblectatione quiescitur, valdè periculosam esse, ac dœmonum illusionibus, fidei erroribus, & comprimis vitiosis superbiæ tumoribus subijci. concedendum insuper est, tales contemplatores, qui in intellectualibus subtilitatibus longè magis, quam in diuinis abstractionibus, & fruitionibus oblectantur, & scientia inflantur, charitate non ædificare, & vndique periculis animæ suæ exponi: dum sibi afficta licentia quodcunque opus attentare audent, & tandem in omni astutiæ genere, & agendi modis, cum, & præ omnibus filijs huius sæculi, prudentiores, efficiuntur.

At periculosis istiusmodi spiritualibus reiectis, cum illis non sit pars, neq; sors in sermone nostro; ad mysticæ vitæ practicos conuertimur, quam maximè illos cohortantes; vt licet hos fructus, & vtilitates nondum percipiant, non idcircò animum despondeant: recogitantes quod licet filij Dei simus per gratiam mysticam, ad modos operandi supernaturaliter *d* dispositi; nondum tamen vitali vsu consortij diuinæ naturę appareat, quid erimus in sequentibus perfectis statibus; in quibus ad felicitatem status innocentiæ, quantum ad diuini amoris familiaritatem attinet, per voluntatis rectitudinem, per intellectus puritatem, & passionum subordinatas ac pacificas actiones, appropinquamus. [quantò enim magis, magisque te nudaueris à phantasmatibus, & ab omnibus rebus mundialibus, & creatis; ac per bonam voluntatem intellectu Deo vnitus fueris, tantò magis ad statum *e* innocentiæ, & perfectionis appropinquas.] ac demum amantissimi Domini [liberi *f* ab omnibus malis Dei amore impulsi, quique ab hac, principium futuræ faciunt, cum inter homines Angelorum vitam imitentur, in omni animi tranquillitate;] cantant sicut in diebus *g* iuuentutis; quando Dei lucerna, *h* per originalem iustitiam, splendebat super capita eorum, & ad lumen eius ambulabant in tenebris. & quasi [in statu innocentiæ, Deum sicut *i* alter Angelus vident.]

a *quæst. vnica de verit. a. 10 ad 14.* b *S. Bonau. de lum. Eccl. ser. 1.* c *sup. 1. p. Dec. 5. a. 4. & Dec 7. a. 7. & Dec. 8. a. 2.* d *Dec. 2. a. 10.* e *Alb. Mag. lib. de Adhar. Deo. c 8.* f *S. Dion. Epist. ad S. Ioan. Apost.* g *Ose. 2.* h *Iob. 29.* i *22. q. 180. a. 6. ad 2.*

vident.] imò toties quoties anima sine vllo discursu Angelorum more res diuinas purissima cognitione percipit; toties ad vniformitatem Angelorum peruenit: pulchritudo enim naturæ Angelicæ, & humanæ, se habet sicut similia, & tanquam res eiusdem generis, sicut lux clarior, & obscurior, vel sicut stellæ nebulosæ, & lucidæ, aut speculum vitreum, & cristallinum. Vndè etiam [homo in statu innocentiæ *a* per aliquod lumen spirituale menti hominis influxũ diuinitus; quod erat quasi similitudo expressæ lucis increatæ, Deum videbat] & Eum [cognoscebat conformiter *b* Angelis per inspirationem internam.]

Hæc porrò [via *c* est diuina, & occultata ab omni humana sapientia; & docet eam Deus (immediatè) paruulos humiles, & amantes; sicut dixit IESVS: Confiteor *d* (& gratias ago tibi) Pater Domine cœli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis, id est, humilibus. Hæc etiã via, est multò vtilior, & nobilior: quia Deus Magister est omnis perfectionis. ita quod rudis Laicus aliquis, aut vetula, si trahitur, aut ambalat per hanc viam, intra breue tempus recipere potest maiorem experimentalem cognitionem de Deo, & veris virtutibus, & similiter de omnibus salutem humanam concernentibus, quàm omnes Doctores totius mundi cognoscere possint, per suam naturalem sapientiam, aut scientiam acquisitam. Est insuper ista via compendiosior ad obtinendam perfectionem, & faciliùs acquiritur, non requirens ingeniositatem, aut subtilitatem intellectus: quia in affectu negotium hoc agitur, & non in intellectu, donec homo in affectione tam ardens efficiatur, & abundans in omnibus spiritualibus diuitijs, omnes potentias animæ replentibus; quod tandem sibi aperitur pura quædam, simplexque cognitio, cum illustratione diuinæ claritatis; ita vt naturalis intelligentia eius, tantum eleuetur vltra omnem naturalem cognitionem, quantum claritas solis excedit claritatem lunæ.] & est demum [vita contemplatiua *e* amabilis valdè dulcedo, quæ super semetipsam animam rapit, cœlestia aperit, spiritualia mentis oculis patefaciens.] vndè etiam [vi dilectionis suæ ibi verius *f* habitat, vbi per contemplationem amat, quam vbi per essentiam animat.] & certè [si rectè considerentur omnia humana officia, & *g* totum regimen vitæ ciuilis, seruire videntur contemplantibus veritatem.] ex quibus omnibus finaliter tandem concludere licebit, quod [beatitudo *h* qualis hic haberi potest, primò quidem, & principaliter consistat in contemplatione; secundariò verò in operatione practici intellectus ordinantis actiones, & passiones humanas.] ita vt [non solum opera virtuosa faciat, quæ communiter dicuntur

a S. Thom q 18. de verit. a. 1 ad 1. b Ibid. a 8. & Nicol à IESV Elucid p. 2. c 12. c Harph. l. 1. p 3 c. 31. d Matt. 11. e S. Greg super Ezech. Hom. 14. f S. Bonau. solit. c. 4. ex Aug g S. Th. Contr. Gent. l. 3. c. 63. h 1. 2. q 3 a. 5. c.

cuntur opera iustitiæ; sed ea faciat cum insatiabili *a* quodam desiderio.] ac vitæ æternæ suauissimo prælibamine. Et hisce in genere præmissis ipsos status mysticos in particulari tractandos consequenter aggredimur.

a 22 q.139.a.2.c.

QVARTVS STATVS MYSTICVS EST PRIVATIONIS RIGOROSÆ.

DECISIO SECVNDA.

QVamuis rationum, quæ tædium in Christo piè viuere volentibus causare solent, nullus sit finis; potioribus tamen *b* supra adductis, in præsentiarum illam priuationem duntaxat tractamus, cuius à parte operantis, nulla, aut modica defectuosa ratio assignari potest: quæue ex spirituali profectu amoris solummodo ortum habet, ipsum fundum, ac originem inordinatarum passionum, depurat: iuxta illud, *c* multiplicabit vulnera mea etiam sine causa, scilicet notabilis negligentiæ, aut defectus; & vt ad purum excoquat, scoriam dissimilitudinis amoris diuini. & hunc quidem statum quartum ponimus, vt intermedium naturalis, & supernaturalis modi operandi. vt intermedium, inquam, tres enim status naturalis modi in prima parte; tres autem modos supernaturales hic infra tractamus. quibus hunc scilicet priuationis statum, vt immediatè ad supernaturalem modum disponentem, præponimus: vt latiùs constabit ex sequentibus. &

I. *Quid sit priuatio mystica propriè.*

II. *Priuatio propriè est immediata dispositio necessaria, ad modum operandi supernaturaliter.*

III. Qua-

b 1.p.d.5.a.1.&9. c Iob.6.

III. *Quare contemplator à ſummis per medios ad infimos vſque amandi modos dilabatur.*

IV. *In hac priuatione omnes ad ſupernaturales modos operandi diſponendos concurrere, ſiue amoris, ſiue ariditatis via proceſſerint.*

V. *Perfectionem amoris non conſiſtere in eo, vt fiat ſenſibiliter, ſed ſpiritualiter magis intenſius.*

VI. *Quare hac priuatione durante, ſint in myſtico tam graues animæ, & ſpiritus afflictiones.*

VII. *Non omnes ſentiunt æqualiter rigorem Priuationis.*

VIII. *Quot annis probabiliter duret ſtatus Priuationis.*

IX. *Dono fortitudinis ſtatum Priuationis durare tamdiu.*

X. *In fine huius Priuationis infunditur animæ gratia modi operandi ſupernaturaliter.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid ſit priuatio myſtica propriè.

VArijs nominibus appellatur priuatio, de qua modò loquimur: Sanctus Dionyſius intelligit illam nomine *a* mali, in quantum bonum eius non perficitur, & operandi imbecillitatem habet; Sanctis Bernardo, & Bonauenturæ; *b* dicitur mors ſpiritualis; Rosbrochio *c* eſt concertatio ſpiritus diuini, & noſtri, priuatio & quædam deſperatio; Taulerus *d* preſſuram internam illam eſſe vult; Harphius *e* languori infernali, & diuiſioni animæ, & ſpiritus illam comparat; Candtfeldt *f* vt medium abſque medio, & vt in nullis humanis viribus ſitum, vel intellectui poſſibilem, & acceſſibilem ipſam tradit, & ideò etiam ad illam ſpecialem gratiam Dei requirit; Ioannes à cruce largifluè ſub obſcura nocte *g* illam depingit, & rectè purgatorio aſſimilat; nec incongruè dicitur Thomæ à IESV purgatorium, *h* in vita vnitiua contingens: at Barbanſonius noſter directè, & fusè ſub nomine *i* priuationis, ac diuiſionis naturæ, & ſpiritus, illam deducit, ad maximam vtilitatem eorum, qui in actuali illius praxi verſantur.

Hanc ergò deſolationem, quæ animam ad vſum myſticæ felicitatis limatè depurat, commodiori termino priuationem dicimus; eò quod ſicut in priuatione non datur regreſſus ad habitū, ita nec in hac animæ, & ſpiritus afflictione liceat præterita exercitia, auxiliauè aſſumere, & ſuæ dilectioni ſatisfacere: ſed

a *De diu. nom. c. 4.* b *ſerm. 52. in Cant. Itin. ment. c. 7.* c *l. 2. de Orn ſpirit. Nupt. c. 56. 57. &c.* d *ſerm. 1. Dom. 15. poſt Trinitat.* e *l. 3. c. 13. p. 2. & c. 17 p. 3.* f *de volunt. Dei p. 3. c. 2. 3.* g *Aſcenſ. mont. l. 1. 2. & 3.* h *de orat. infuſ. l. 4. c 19.* i *de occult. ſem. 2. p. c. 10. 11.*

sed volens nolens cogatur omnibus solatijs dispoliari, & ad operationes substantijs separatis conformes, disponi; quo ita absque discursu, & sine conuersione ad phantasmata, operari possit. & hisce quidem stantibus, priuatio [est desolatio in parte sensibili, quando nihil habetur amicabilis familiaritatis Dei; & in parte spirituali: vti Christus in cruce *a* experitur dicens, Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me.] priuatio eiusmodi communis est statibus præcedentibus, in quibus etiam aliquis spiritualis languor siue desolatio frequenter contingit, ab illis autem differt, quod hoc loco simul in sensibili, & spirituali parte sit indicibilis amaritudo. etenim quamdiu hæc separatim contingunt, in alterutro datur refugium, scilicet vel secundum naturam, & solatium honestum creaturarum, vel secundum spiritum per actus resignationis, amoris, & similium; pro vt quodammodo bene afficiunt. vtroque igitur existente homine priuato, & creaturarum, & Dei consolatione, absq; eo quod possit aliqua defectuosa ratio assignari præsentis illius afflictionis; erit vera, realis, & diuina priuatio, animam disponens ad vsum fruitionis mysticæ supernaturalis modi. Et quia [priuatio est eius *b* quod quis natus est habere, & debet habere,] verè [est purgatorium amoris, *c* & minuit pœnas purgatorij.] vndè etiam [propriæ passiones *d* pro purgatorio accipiendæ sunt: quia angustia, & pressura ingens, est magnum purgatorium:] cum primis tamen necessarium; & quamdiu altissimus disposuerit, humili, resignatoque animo tolerandum. Vtilitas porrò huius priuationis iam consequenter apparebit;

Priuatio propriè est immediata dispositio necessaria, ad modum operandi supernaturaliter.

ARTICVLVS SECVNDVS.

EO quod operari sine discursu, & conuersione ad phantasmata, sit modus conformis Angelis, & supra vires humanas; [oportet vt omne *e* quod eleuatur ad aliquid, quod excedit suam naturam; disponatur aliqua dispositione, quæ sit supra naturam. [iam verò amor cum non *f* quiescat,] & non sit contentus superficiali apprehensione amati; sed intendat rem amatam perfectè possidere; in sui progressu, & maiori radicatione in charitate, efficitur vt paulatim imbuatur, quousque in eo sit viuus *g* sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ, & spiritus, compagum quoque, ac medullarum; & discretor cogitationum, & intentionum cordis: donec etiam ad purum excoquat scoriam sensibi-

a *Taul.* b *S. Thom. l. 3. contr. Gent. c. 6.* c *Taul. Dom. 3. Aduent. ser. 1. & in Pent. serm. 2.* d *Taul. Dom. 20. post Trin. ser. 2.* e *S. Thom 1. part quæst. 12. art. 5. 1. 2. quæst. 28 art. 2. c.* g *Hebr. 4.*

lis,& terreni amoris,auferatque omne ſtannum pulchritudinis exterioris apparentiæ, & præcedentium amorum: quibus athleta ſpiritualis quandoque calefactus dicebat,viuo *a* ego iam non ego, viuit verò in me Chriſtus: verè neſciens quid diceret,quamque adhuc longè abeſſet à regno Dei, eiuſque puris operationibus, quæ in ſequentibus ſtatibus communicantur illis, qui applicant *b* cor ſuum vt appropinquent Domino.

Sicut ergò nihil coinquinatum poteſt intrare in regnum cœlorum, vt vel ideò animæ in purgatorio dealbentur, & qualificentur ad claram viſionem Dei: ita quoque myſtici, in hoc amoris igne, ab omni eo; quod vſum fruitionis diuinæ (ſecundum illum modum, qui in hac vita perfectior conſequi poteſt) obtenebrat, præpeditque; abſoluuntur, depurantur, & diſponuntur; vt ſint vnum cum eo, qui in Trinitate vnus eſt. Quapropter [etiamſi *c* ea quis puritate foret præditus, qua erat quando à baptiſmatis fonte leuatus eſt, nec vnquam in peccata cecidiſſet, nihilominus ſi ad proximam vitalemque veritatem pertingere debeat, per hanc commotionem, (qua ſcilicet ob diuinæ præſentiæ, tam in ſupremis, quam in infimis viribus carentiam, triſtitiamque, nocte, ac die ſibi moriturus videtur,) & per hanc viam, cum vera reſignatione gradiatur oportet: alioqui certò certiùs ſemper in eodem luto hærebit, deficietque.] [nihil enim eſt ſuſceptiuum formæ ſublimioris, *d* niſi per aliquam diſpoſitionem, ad illius capacitatem eleuetur.] quæ quidem hoc loco alia non eſt, quam efficacia gratiæ myſticæ, amorem ad modos ſubſtantijs ſeparatis conformes, depurantis. & ſic veriſſimè experiri licet quod [maledicta terra noſtra ſpiritualis, ſicut & corporalis, non germinet fructum ſine ſpinis, & tribulis, nec abſque dolore anima prægnans, ueritatis prolem *e* parturiat.] ordinatè tamen hæc fieri, & non in inſtantiâ ſummo ad infimum dilabi,conſequenter dicemus,

Quare Contemplator à ſummis per medios ad infimos vſque amandi modos dilabatur.

ARTICVLVS TERTIVS.

ADmirabilis certè eſt diuini amoris progreſſus, qui vbi deuotas animas cum filijs Iſraël, ex Ægypto ſæcularis vitæ deduxerit, maximo gaudio, & omnibus amoris bonis in prioribus ſtatibus repleuerit; tandem promiſſionis terræ, ac ſtatui vnionis vicinas,miris,&alijs,atque alijs modis,tentationibuſq; exagitari permittit. quarum quidem [prima eſt ſubſtractio, *f* & inopia deuotionis; ſubtracto autem tam ſingulari refugio, homo quodammodo

a *Gal.2.* b *Ierem.30.* c *Taul.in feſt.Viſit.Mar. ſer.1.* d *S.Thom.l 3 cont.Gent.c.53.* d *Gerſ. Theol.myſt.pract.6.* e *Vt etiam hic a 4.* f *S.Bonau.de 4. Proceſſ. Relig.c.2.l 2.*

dammodo inermis, expositus est hostibus tentationum; & ideo pauidus efficitur, & pusillanimis. Ex hoc *a* sequitur alia tentatio, scilicet fastidij, qua fastidit homo omne bonum, tædet eum orare, legere, meditari, tædet eum audire bona, vel loqui, vel operari, vel interesse diuinis, etiam quæ sine graui labore posset facere; Hæc tentatio fastidij, dum non habet in spiritualibus delectationem, & in carnalibus consolari renuit, sic nunquam inueniens refugium, malo mœrore consumitur. dein sequitur alia *b* tentatio grauis impatientiæ contra Deum, quare tam durus, & immisericors sit tribulato, quare tam parcus in dando gratiam egeno, & tam anxiè petenti, & tam importunè pulsanti? & hæc tentatio quandoque tam valida est, quod quasi insanit homo, & palpitat ex vehementi mœrore, quia ibi non inuenit solatium, quod deberet ei esse vnicum refugium scilicet in oratione, & in tanta supplicatione, cœlum quasi æneum sentitur; & cætera. acerbissimæ insuper *c* tentationes videntur, hæsitatio in fide Catholica, & desperatio de Dei misericordia, & spiritus blasphemiæ contra Deum, & Sanctos, & tentatio inferendi sibi manus, & se perimendi, & quædam perplexitas querulosæ conscientiæ, medicinale consilium non admittendi, & cætera:] [exiens igitur homo iste, *d* miserum, ac desolatum sese conspicit. Hic iam omnis amoris æstus, impetus & impatientia mitescit, & refrigescit, ac feruens æstas, transit in autumnum, & opes omnes in ingentem inopiam commutantur. Tum verò ex quadam erga seipsum commiseratione, querulas reddit voces, quonam amoris æstus, compunctio, laus & gratiarum actio iucunda absesserint, vbinam consolatione interna, intimo gaudio, & gustu sensibili destitutus sit, & qui tandem validus amoris æstus, & dona omnia vnquam percepta, ita penitus extincta sint. Nec secùs iam cum illo agitur, quàm cum homine erudito; sed qui posteà scientiam, & operam omnem perdiderit. Interim sæpenumerò, ob huiusmodi iacturam natura perturbatur, & dolet, quandoque autem Dei permissu, homo sic desolatus, insuper terrenis spoliatur rebus, aut amicis, & cognatis, & à creaturis omnibus derelinquitur; & quidquid habet sanctitatis in obliuionem abit, ac nihil penditur: totamque vitam, & omnes eius actus in peiorem partem homines interpretantur, contemnitur item, & despicitur ab ijs omnibus, quibuscum viuit. interdum quoque diuersorum generum morbis corripitur, aut tentationibus corporalibus, vel quod omnium grauissimum est, spiritualibus fatigatur. sub hac igitur tanta paupertate constitutus iam casum vereri incipit, & quadam pulsatur diffidentia: qui est extremus, & vlti-

a *Ibidem cap. 2.* b *Ibidem cap. 2.* c *Ibidem cap 2.* d *Rosbroch. de om. spir. Nupt. lib. 2. cap. 29.*

vltimus terminus, in quo, citra desperationem, in gratia persistere quis possit.] [habent insuper a istiusmodi homines curas, & angustias multas in hac vita, adeò vt sæpè ignorent, quò se, præ huiuscemodi mœroribus vertere debeant, & nudæ duntaxat fidei, spei, charitati, in obscura quadam caligine innituntur. cumque maius adhuc studium, & conatum adhibent, multò adhuc intus aridiores, & lapide duriores efficiuntur: ita vt nonnunquam vix ferant patienter, & magis magisque animo deijciantur, excrucienturque. videtur autem illis non posse se non offendere Deum, vel per impatientiam, vel per desperationem, vel animi grauitatem, seu mœrorem. id verò dolent ex animo, cum odio habeant omnem iniquitatem. & cætera. Vellent etiam, & percuperent ex animo vitia sua extirpare, ac vincere, & exercere virtutes; sed non possunt. quod ipsum, & huius similia, tantos interdum dolores, curas, angustias intus eis parit, vt sibi infernales pœnas pati videantur. id verò ex ingenti cordis ipsorum erga Deum amore, & fidelitate eis accidit, tametsi id ipsi de se ignorent. vndè omnium, quos mundus habet se sceleratissimos reputant, cùm tamen coram Deo purissimi sint.]

Hisce porrò, alijsque medijs, cum à summis per medios ad infimos quosque, & operandi modos, ac tolerantias spirituales studiosi deijciantur: reliquum est dicere, quare hoc ipsum fiat. Cum itaque modus naturalis cognoscendi fiat per discursum, quo ex magis notis minus sibi nota, animus colligit, idque vsu sensuum, & conuersione ad phantasmata: ac insuper obiectiuè cum Diuinis rebus agat, vtpotè à se distinctis, amoris interim appetitu in præcedentibus statibus excitato; ex nunc & imposterum amoris perfectioris progressu ad Deum secundum quod quid est, seu essentialiter cognoscendum, & sub ratione omnis Boni amandum impellitur, perfectiorique modo operandi, diuinam quidditatem obtinere satagit, summoque studio contendit, vt loco conuersionis ad phantasmata, succedant diuinæ essentiæ similitudines, omnia inferiora excedentes, & loco discursus, ac multiplicitatis, simplex intelligentia, quæ sub vno diuini luminis radio, inferiora sublimius contineat.

Eapropter spiritualis structura huc vsque ædificata, & in sublime contemplationis erecta, tanquam insufficiens, & sensibili, ac instabili amore fulta, prius destruenda, deinde in templum sanctum reædificanda est, super solidum diuini amoris fundamentum; vt quando venerint flumina, & flauerint venti tentationum, & fragilitatum huius vitæ, nihil separet certantes

a *Taul. serm. vnic. in festo plurim. Martyr.*

certantes à charitate Christi, vtque [in omnibus & per omnia purgati, *a* omnium rerum sapores, & suauitates excellenti modo possint degustare;] secundum quod omnia quæ existunt in prima veritate, sunt bona valde. & ideò à summo tandem quisque suo, siue quando aliquot annorum spatio, sua vt potuerit melius peregerit; paulatim non sine admiratione, & dolore paueſcit ac deficit. superueniens enim amoris perfectio, tanquam qui ruinosam domum destruit, à tecto, & summitate incipit soluere vetustatem, & quidquid sublime videbatur; vile, & infimum adhuc esse, demonstrat. vndè licet exaltaueris vt *b* aquila nidum tuum, indè detraham te, dicit Dominus.

Atque ita [Deus *c* amatoria quadam altercatione, plerumque se denegans, ostensa conferre dissimulat, ita quod anima concupitam affectionem adimplere non valet, quia nec se totam dare potest, nec Deum totum accipere; sed quantò plus dat, & accipit, tantò plus dare, & accipere desiderat. hinc etiam in se nimium inquietatur, & amoris impatientiam patitur, quia nec Deum potest deserere, nec ad votum acquirere, nec profundare, nec indagare, nec cõprehendere. Et ideò varias eius tempestates, quas illo tempore patitur, nec lingua valet dicere, nec calamus exprimere. Nam amor facit amantem nunc calidum, nunc frigidum; nunc pauidum, nunc audacem; nunc lętum, nunc tristem; nunc timidum, nunc sperantem; nunc confidentem, nunc desperantem; nunc ridentem, nunc lamentantem; nunc orantem, nunc laudantem: & innumerabilia sunt, quæ his contingunt, qui in amoris huius impatientia viuunt.] vndè & contemplator animaduertens deficientiam, quibus suis tandem modis contendit, huic defectui sese opponere, & ordinaria interioritatis dilatatione, vel eleuatione procedere, ac crescere. Verùm in reali praxi omnia in vanum; dicendo enim sapiens efficiar; sapientiam prælibatam magis aduertit à se recedere, & pro vt contemplationis pulchritudo recedit; sic quoque eius vestigia, & operandi auxilia, tam suprema quam media, & infima, disparent: quousque tandem ex communi erga Deum se habendi ratione, per actus resignationis, & obliuionis præteritorum exercitiorum discat; quod perditio, & mors dixerunt, *d* auribus nostris audiuimus famam eius. qua etiam mediante paulatim experientia intelligit, palmitem amoris diuini purgandum, vt fructum plus afferat: Tum demum subsequutura [deuotissima & *e* vtilissima vita, quę secundum modum, & rationem exerceri potest. Nam tota vita eius est dare seu offerre quidquid est, habet, aut prævalet, & à Deo exigere quidquid eius infinitam magnificentiam misero peccatori dare condecet; se penitus per affectum, & etiam effectum, iuxta status sui conditionem,

a *Ioan à crude obscu. noct. l. 2. c. 9.* b *Ierem. 49.* c *Harph. l. 3. p. 4. cap. 27.* d *Iob. 28.* e *Harph. ibid.*

ditionem, dilecto conformare in omnibus virtutibus, & virtuosis actibus secundum eius humanitatem: & denique quotidianis vigorosissimis, & violentissimis quibusdam aspirationibus se dilecto, secundum eius diuinitatem totaliter pro posse conuire.] porrò quam necessaria sit hæc priuatio ad modum operandi supernaturaliter, consequenter dicemus,

In hac priuatione omnes ad supernaturales modos operandi disponendos concurrere, siue amoris, siue ariditatis via processerint.

ARTICVLVS QVARTVS.

QVot capita tot sententiæ, non tam in theoria, quam in praxi videre est; interea dum status incipientium, & proficientium in mysticis exercitationibus teruntur; euincit hoc admiranda illarum viarum, sequelarum, procedendique modorum diuersitas: quidam enim à speculatione creaturarum, quidam verò ad studio mortificationis, aut virtutis, alij à meditatione Passionis Domini, nonnulli ab aspirationis facilitate, & affectu, interiorem recollectionem auspicantur; obtingit aliquibus vel in initio, amicabilis introuersio primæ præsentiæ Dei, alij in statu contemplationis, & proficientium vix horum quidquam obtinent: frequenter etiam in praxi contingit, vt ex contemplationis statu, ad explicitum aut meditationis, aut aspirationis exercitium quis *a* relabatur, paucioribus autem conceditur vt ordinatè, & consequenter omnes, & singulos status, dispositiones, & operationes, (notabiliores saltem) in amorosa fruitione percurrant. strenuis itaq; Christi amatoribus transeundum est per ignem & aquam, priusquam educantur in refrigerium; dum igne amoris diuini consumpti, & aqua desolationis abluti, disponuntur in hac rigida spiritus diuini carentia, in vnitatem doni operandi supernaturaliter, & conformiter substantijs separatis.

Interea verò dum hæc fiunt, & athleta spiritualis à sensibilitate ablactatur ad cibum solidum; vult Paterfamilias *b* vtraque crescere, & zizania scilicet, & triticum; proprium, & diuinum amorem; ne fortè ante messem, & tempus maturitatis, si nimio rigore, & perfectione, infirma elementa examinassent, simul quoque triticum, & solatium pio animo necessarium, eradicatum fuisset: vndè facilè defecissent qui de domo Patris, & cognationis suæ, (in via perfectionis Christum insequentes) egressi essent. ideò etiam [cum Dominus *c* omnem sollicitudinem à Discipulorum cordibus eiecerit, & ostensione signorum armauerit, atque ab omnibus negotijs sæcularibus alienatos, & ab omni temporalium rerum cura liberatos, ferreos quodammodo, atque adamantinos fecerit; tum denique euentura illis aduersa prædicit, scil.

passio-

a *Vt latius 1. p. decis. 9.* b *Matth. 13.* c *Chrysost. hom. 34. in Matth.*

passionem suam qua crucifixus pro peccatis populi moreretur; & passione illorum, quando ipse mitteret eos sicut oues inter lupos, ab ipsis tandem dilacerandos.] atq; ita etiam ex Ægypto populum electum *a* eduxit Dominus cum auro, argento, & exultatione, vt non esset in tribubus eorum infirmus; dein in deserto loco horroris, & vastæ solitudinis constitutum, dura, & plurima aduersa perpeti voluit. Quanto amplius etiam ipsismet volentibus, allia, cœpas, pepones, & ollas carnium desiderantibus, in Ægyptum redire non poterant. est enim tanta animæ & spiritus in priuationis fundo patientia exercenda, vt etiam amantissimi Domini. si in funiculis Adam non tracti, & in vinculis charitatis non constricti essent, fuga, & ab interioritatis recessu, sibi consulerent.

Verè enim in hac priuatione res pro anima est, & fornax illa diuino amore succensa nimis, in qua [sicut artifex *b* liquefactis metallis formam, quamcunque voluerit imprimit, sic anima ad omnem diuinæ voluntatis nutum se facilè applicat, imò spontaneo quodam desiderio, ad omne eius arbitrium se ipsam accommodat, & iuxta diuini beneplaciti modum omnem voluntatem suam informat, vt obediat cum Christo vsque ad mortem.] vndè etiam eiusmodi multa cum fiducia dicere solent [si nos, ô Deus pijssime, *c* vel seruare vel perdere volueris, potestas penes te est, fiat de nobis sanctissima voluntas tua. Vbi verò huc pertigerunt, iam adepti sunt, quod Dominus volebat, cui etiam perinde est, quibus modis, quaque via huc perueniatur.] itaque Christo Domino vsque ad mortem, in manus patris æterni resignato, tanquam [exemplari *d* quilibet se debet conformare, qui vult summæ charitatis gradum attingere,] & ad modum supernaturaliter operandi, concurrere.

Denique vt quilibet in tanta praxis varietate, interiora sua præparauerit; *e* si quis ædificauerit super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit. dies enim Domini (& rigidæ huiusce priuationis) declarabit. Quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus quale fuerit, ignis probabit. quasi diceret, sicut hæc inter se differunt, præstantia & vilitate; & tamen singula per ignem probantur: sic etiam quantumcunque aliquis humili, simplici, sterili, aut amoroso, feruenti, & sublimi medio erexerit fabricam, & seriem totius ædificij spiritualis, ad portum vsque modi operandi supernaturaliter: tandem exacta illa perscrutatio, & consumptio imperfectionum, (quæ circa praxin diuinarum fruitionum contingere solet,) disquiret, & vnicuique notum faciet, quidnam discrepet inter mundum, & immundum, vile & pretiosum,

a *Psalm. 104.* b *Richard. de 4 grad. viol. char.* c *Taul. in Fest. plurim. Martyr.* d *Richard Ibidem.* e *1. Cor. 3.*

tioſum, animale & ſpirituale, naturale, & ſupernaturale; ac tandem ad vniformem modum ſupernaturaliter operandi, concurrere faciet. cæterum per hanc denudationem, myſticum ad internam ſpiritus ſubtilitatem quodammodo vrgeri, ex ſequentibus conſtabit;

Perfectionem amoris non conſiſtere in eo, vt fiat ſenſibiliter, ſed ſpiritualiter, magis intenſus.

ARTICVLVS QVINTVS.

EXiam dictis quæri poteſt, in quo ergò amoris progreſſus, & perfectio conſiſtat; quandoquidem omnis eius bene-afficientia, & ſeſe adiuuandi, aut operandi exercitia, paulatim à ſummis per media, ad infima vſque diſparuerint. itaque conſiderandum venit, nonnullos ſibi imaginari, augmentum amoris diuini fieri, ad ſimilitudinem amoris creaturarum, qui ſecundum affectus, & paſſiones ſenſibiles paulatim excreſcit; ita vt ſi fuerit hodie intenſus vt duo, poſt aliquot tempus ſit vt quatuor, dein vt quinque, & ita conſequenter. quæ quidem opinatio ſi à parte rei fieret, modico certè tempore, aut myſticus ab amore Dei recederet, aut vita neceſſario fungi deberet. Vires enim humanæ limitatæ, & admodum debiles, ex infinito amore primi, & optimi Boni; continuò intenſiores redditæ, quomodo ſubſiſterent? quapropter ignis, ſeu amor ſenſibilis, qui ad creaturas, & creatorem eſt communis; [ardorem habet, ſed *a* non amorem (ſcilicet defœcatum) coquens eſt, ſed non excoquens; mouens, ſed non promouens: tantum ad excitandum præmittitur, & præparandum; ſimulque ad commonendum quid ex te ſis; quo dulciùs ſapiat poſtmodum, quid ex Deo mox eris.] ignis autem illius amoris, quem anima tandem ſecundum ſpiritum aſſequitur, [*b* conſumit quidem; ſed non affligit, ardet ſuauiter, deſolatur feliciter.]

Itaque ſicut [ignis *c* in materia terrea eſt carbo, in aëre flamma, in propria ſphæra eſt ignis.] ita amor ſenſibilis, & affectus inquietè mouens, eſt imperfectior illo, qui in ſpiritu, & pura contemplatione, paruo lumine vrit penitiùs: ſicut etiam tenuis candelæ flamma, liquefacit citiùs, & ſubtiliùs, quam prunarum cumulus. at in ſe ipſo, & propria ſphæra communionis conſortij diuinæ naturæ, Eſſentialiter, & indicibili modo, accedentem, vnum ſecum perficit. ita vt ſiuè in corpore, ſiuè extra corpus ſit, neſciat. debet ergò amoris perfectio ex eo quod magis ſpiritualiter, & non ſenſibiliter mouet, conſiderari: & ex vſu doni ſapientiæ, pro vt charitatis *d* effectus eſt; vitali immanentia perfici: quo ita ceu ex ipſis viſceribus voluntatis cognitio conformis angelis, ſine diſcurſu, & ſimplici intelligentia, ſpecies, ſeu ſimilitudines, primi, & optimi diligibilis, in ſpiritu formari poſſint.

a *Bern. ſerm. 57. in Cant.* b *Bern. Ibid.* c *S. Tho. opuſc. 61.* d *Sup. dec. 1. a. 2.*

possint. interea verò poterit sensibilis diuinus amor, dum sensitiuæ passiones, & premunt & penè supprimunt; moderatè adstare, & confortare, quousque id quod animale est, euacuetur. hoc autem quam durum sit priusquam vitaliter in praxi eueniat, consequenter dicemus,

Quare hac priuatione durante, sint in Mystico tam graues animæ, & spiritus afflictiones.

ARTICVLVS SEXTVS.

AD [bonum *a* magnum quod (anima) habuit ex duplici sensu, scilicet interiori, & exteriori benè ordinato, malum magnum secutũ est; quoniam perdito bono quod intus erat, egressa est anima ad bona aliena, quæ foris erant, & pactum fecit cum delectationibus sæculi, requiescens in illis, non attendens homo boni sui interioris absentiam, eo quod consolationes suas quærat in bonis alienis. nam cum exterior sensus carnalis bono suo foris vtitur, interior sensus quasi obdormit. non enim cognoscit bona interioris sensus, qui iucunditate bonorum exteriorum capitur. nam qui in carne viuit, in carne sentit, & dolores animi fugit quantum potest; vulnera autem animæ prorsus ignorat. vndè non medicinam quærit sequitur. cum autem mortuus fuerit sensus animæ quo viuit in carne, tunc viuificari incipiet sensus ille qui intus sentit seipsum, scientia scilicet experimentali, & tunc sciet dolores suos, & sentire incipiet vulnera sua interiora tantò grauius, quantò propinquiùs. magis enim nocet malum quod magis intimum est.] hisce positis necessariò [amor *b* languens, qui nihil aliud est, quam tædium quoddam impatientis desiderij, quo necesse est affici mentem vehementer amantis absente eo quem amat,] subsequi debet. [si enim Deum *c* adipisci non liceat, neque eo tamen fraudari, aut carere animus velit, aut possit, ex his duobus in eiusmodi homine quædam foris, & intus existit, & oritur æstuosa impatientia, quæ quamdiu durat, nulla est creatura, neque in cœlis, neque in terris, in qua illi vel quietem, vel aliquod solatium, capere libeat.]

Itaque desolata sensualitate, ex cessatione prioris habitæ fruitionis, siue paruæ, mediocris, aut etiam maximè; pro vt ratio, status, & conditio profectus interni exigere poterat: remanet solummodò in anima id, quod spirituale est, & tanquam apis argumentosa, ex tam frequenti, sollicita, & amorosa disquisitione collegerat. spirituale autem hoc cum non sit nisi dispositio, præambulum, & vmbratica quædam visio, futuræ vnionis supernaturalis amoris, non est vllatenus sufficiens ad contutandam partem sensibilem, ab infinitis tentationum insultibus: quibus esto spiritus ad

Ss con-

a S. Bonau. 2. & 6. Itin. æter. d. 3. b S. Bern. c Rosbroch. de orn. spir. nupt l. 2. c. 24.

consensum non pertrahatur; attamen non sine speciali animi tristitia, naturæ vitiatæ insolentia, susque deque circumagitatur. hoc enim loco [principium *a* intellectualis visionis, quod est aliquod lumen habituale, naturali lumini rationis superadditum, ceu lumen internum, priuatur ab anima: & talis priuatio est cœcitas, quæ est pœna secundum quod priuatio luminis gratiæ vt quædam pœna ponitur.]

Est ergò hæc spiritualis dispositio bonum inchoatum duntaxat, ex quo etiam [rationem mali habet, in quantum est defectus, *b* imbecillitas, aptæque compositionis vacuitas, ac priuatio, aut scientiæ, aut fidei, aut appetitus, aut actionis boni, non quod in nobis malum insit, quasi sit aliquod malum, sed quod perfectionis bonorum propriorũ, & accommodatorum sit priuatio.] malum enim animi non est habere aliquid; sed potius non habere, non habere inquam, bonum, non, inquam, quodlibet bonum; sed bonum propriè suum, ad quod videlicet consequendum, est naturaliter inclinatus.

Est insuper eiusmodi spiritualis dispositio, non tantum vsque adeò in se nuda, vt nihil in partem sensibilem influere, eamque emollire possit; verùm etiam in se ipsa tam est solitaria, vt instar animæ in purgatorio diuinæ visionis carentiam, æquo animo ferre debeat. vndè etiam duplici malo hic afficitur, primò quidem, quod sicut in sensibilitate nihil diuinæ consolationis experitur; sic etiam in alijs quibusuis rebus creatis tædio afficitur. secundò verò, quia in ipsa spiritus sui intimitate, ab actuali amabili fruitione excluditur. sicut proindè nihil delectabilius, quam secundum optimum sui Deo potiri, ita quoque nihil pœnosius, tristiùs & magis tædiosum accidere potest, quam vndequaque, & quoquo modo amoris diuini vsu, & exercitio priuari. idque ex eo vel maximè, quod licet subindè, in praxi [aliqua diuina *c* solatia contingant,] id tamen rarius fieri soleat, & ad modicum perseuerare; è contra verò diu, hac mystica soleitate persistente.

Præterea quomodo pia anima non viuacissimè doleat; cum purgatio amoris summo dolore, in vitales affectus agat, & contrariæ, intensæque passiones sibi immediatè succedant; & charitas modò cœlica sanitate, & consolatione animam bene-afficiat, modò per sui subductionem, languore tartareo cruciet. Quandò vehementia charitatis excandescens, pro virili conatur, vt neque mors, neque *d* vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque

a S. Thom. 2.2.q.15.a.1.c. *b* S. Dion. de diu. nom. c. 4. *c* Ioan. à Cruc. de obscur. noct. l.2. c.1. *d* Rom. 8.

que profundum, neque creatura alia, possit eam à Deo separare; at nihilominus contrario sensu experiri cogitur, quod [charitas *a* vulneret, charitas liget, charitas languidum faciat, & defectum inducat.] quodque sentiat aliam legem repugnantem legi mentis suæ, & omnes tentationes *b* in hac priuatione redeant, quas superasse credebat:] quousque etiam viuere tædeat; & oret, Domine sufficit mihi, *c* tolle animam meam.

Verùm cum iam dictæ afflictiones internæ, ex proxima, & infima causa sensibilis scilicet partis, & pro vt [affectiua *d* passio fit secundum aliquam constrictionem, aut dilatationem cordis] eueniant; ad perfectiores & sublimiores causas, & pro vt à Deo in ordine ad amoris depurationem, effluunt, animus erigi debet. itaque primò [occultissimos *e* filios suos Deus, nullis aduersitatibus, nullisque tribulationibus, & desolationibus contristare potest, vtpotè ad omnia perferenda paratissimos, nisi duntaxat in his, quæ quandam obdurationem, & inuidentiam contra Deum eis ingerere videntur, hinc est, quod eisdem impugnationibus illos occultissimo suo iudicio probare frequenter experitur.] & [dolorem *f* dolori Deus superaddens, illos tandem actualiter finit persequi, despici, derideri, ac velut insanos, & obsessos reputari, etiam ab his, qui sæculari honestate, probitate, scientia, & sanctitate præditi videntur;] & quamuis [sint alij qui propriè non dant *g* causam derelictionis, & peruersitatis istius: Deus tamen permittit talia circa eos, duntaxat ad probandum funditùs amicos fideles.] ipse namque spiritus Sanctus per dona sua tanquam fortior superueniens, ex fundamento armaturam originalis peccati alligat, conterit, comminuitque; ac tandem nudatam, & debilem proscribit. quia verò [peccatum originale *h* est habitus, non quidem sicut scientia; sed sicut quædam inordinata naturæ dispositio, & languor consequens originalis iustitiæ priuationem;] quo etiam [non tantum vitiati sumus in potentijs *i* remotis, sed etiam proximis: quin etiam in ipsa voluntate, quæ omnium potentiarum est regina, & animæ essentiam per priùs contingit,] non potest tam intima, & aduersa pars, cum naturæ vitiatæ malignitate, absque rabidissima resistentia, & exulceratione suffocari: & tum verè nil efficacius esse solet ad odium suiipsius, & ad agnitionem gratiarum Dei vsque adeò deducere, quam proprij spiritus à Deo solcitas, & derelictio;

a *Richard. tract. de 4. grad. char. viol.* b *Taul. in fest. Pent. serm. 3.* c *Ion. 4.* d *S. Tho. Contr. Gent. lib. 1. cap. 89.* e *Harph. lib. 3. p. 3. cap. 25.* f *Ibidem.* g *Harph. lib. 2. part. 3. cap. 49.* h *S. Thom. 1. 2. quæst. 82. artic. 1. c.* i *Ibidem quæst. 83. artic. 3. c.*

in qua seipsam anima, vt amaritudo amarissima, & sibimetipsi in intimo sui spiritus, intolerabiliter grauis est, deguſtat. [sicut *a* autem relinquendus erat homo sibiipsi, (scilicet ante redemptionem) vt experiretur quod ipse sibi non suffic ret ad salutem :] ita prorsus in amaritudine animæ suæ, vsque ad supremum relinqui debet mysticus ; vt deinceps de magnitudine reuelationum, & gratiarum nihil sibiipsi attribuere possit, etiamsi indies non tantum in Ecstases, & raptus abiret, verum etiam vsque ad Dei claram visionem eleuaretur. secundo verò ideò vel maximè viget dolor amaritudinis corporis, & spiritus, vt discat ibi se posse summè bene-affici, vbi se sentit tam dirè cruciari. quod quidem vbi, seu mentalis situs citra experientiam, nulla ingenij subtilitate potest adipisci, cum solo gustu possit inueniri.

Et certè [istiusmodi deserto *b* homini vsuvenire solet, vt quamdiu hæc derelictio perseuerat, ne vna quidem hora, in eodem queat statu permanere, sed modò sic, modò aliter affectus sit: modò hoc, modò illud eum torqueat, quod & ipsum ad extremum vsque animo resignato perferendum est.] & pro solatio ducendum, si possit stratum suum, cum lachrymis rigare: [*c* per fletum enim, & gemitum animi intentio. quæ est circa malum ad exteriora diffunditur, fletus quoque & gemitus dolorem, & tristitiam naturaliter minuunt.] interea verò [istis mirabilis corona *d* martyrij in æterna vita præparatur : quia non potest martyrium grauius ista derelictione sustineri; quæ tam importabilis est, vt eam Augustinus, & Bernardus assimilent infernalibus pœnis:] mitiùs tamen in vno, quam in altero hæc contingere, ex sequentibus clarescit;

Non omnes sentiunt æqualiter rigorem Priuationis.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

NEmo ex dictis horrorem concipiat, aut sibi ignoranter persuadeat; pœnosam illam diuini amoris carentiam, directè à Deo infligi, ad puniendum duntaxat; nam eo quam maximè respicit hæc spiritualis mors, vt in tantum ab omni affectu rerum præsentiarum diuidatur animus, quo nihil vsum fruitionis diuinæ impediat; quapropter etiam non omnes, & singuli æqualiter rigorem hunc subeunt; sed pro vt naturalis cuiusque dispositio, ac inordinatus vitiorum appetitus, vel etiam futura reuelationum magnitudo, exposcit. Vndè alijs *d* est obscura nox, alijs concertatio, alijs priuatio, alijs diuisio animæ & spiritus, alijs spiritualis mors, alijs languor infernalis, & quædam desperatio. alij verò (quibus mansueta, humilis, & ad

a *S. Thom. Contr. Gent. l 4. c. 55.* b *Taul. in Fest. Pent. ser. 3.* c *S. Thom. 1. 2. q. 38. art. 2. c.* d *Harph. l. 2 p. 3. c. 49.* e *Vt hic n. 1.*

ad quæuis bona agenda facilitas, & benigna passionum subordinatio adstat) modicam naturæ rebellionem sentient. licet diuino solatio sint destituti, leuiusque omnia ferent illis, qui acrioribus vitiorum stimulis fluctuant. alij verò, qui in quouis tandem statu, & modo, peccatorum illecebris voluptuosè dediti fuerunt, dum in soleitate propria versantur, præteritorum factorum viuacissimas repręsentationes, passioneſque persentiscunt. fortè ideo, vt diuinæ iustitiæ, eo purgatorio satisfiat, & videant quia malum *a* & amarum est, reliquisse Dominum Deum suum. hinc etiam dicitur Dies *b* Domini, qui in igne scilicet huius priuationis reuelabitur, declarabit, vt si cuius opus arserit, detrimentum patiatur; ac si dicat, si quis puritate vitæ, sine labe affectuum inordinatorum, & graui aliqua culpa, vitam suam transegerit, in tempore huius combustionis spiritalis, manebit quoque sine magna sensualitatis tristitia constans, & immobilis, in tam arido spiritali ieiunio: si quis autem affectibus, peccatis, & vitijs, in superiori vita indulsisset, hoc tempore ab igne purgatiuo tanquam stipula, & palea, secundum animales affectus, & intellectuales commissos errores, ad purum excoquetur; vt per ea per quę peccauit, per hæc & puniatur, dum contra omnem voluntatem vitia insolescunt, & pia, puraque desideria mirum in modum fatigant: ipse autem saluabitur tandem consecutione supernaturalis operationis, quæ pro statu vnionis quasi ex periculis, & miserijs, viribus destitutum, & aduenientem, læta suscipit; post infusionem *c* gratiæ doni intellectus supernaturalis.

Nonnulli etiam sunt, qui vsque adeò post primam, & secundam Dei præsentiam, in statibus incipientium, & proficientium transactam; per resignationes, & ariditates quotidianas in interioritate ita obriguerunt: vt tempus priuationis non obseruauerint, illamque inscij quotidie omnes internas amarulentias pene deglutiendo, pertransierint, vixque de illa dicere aliquid valeant; non quod eius calicem non biberint, eoque sat superque inebriati non fuerint; sed quod ipsos latuerit, ibidem esse veras, & à Deo ad hoc directas operationes, ceu cribrum spirituale, vile à pretioso separans. & hi ergò [martyrium illud quo spiritu facta carnis mortificantur horrore *d* quidem mitius; at diuturnitate molestius] subierunt. ita tamen vt dum in his tenebris ambularent, semper anxij, & confusa interioritate, omnes propemodum actiones suas maxima inquietudine peragerent; cum potiùs pacifica in Deum fiducia, & totius compositi, omnium scilicet inferiorum & superiorum potentiarum, ac interioritatis confluxu, ad puram excoctionem scorię inordinati amoris, collimare debuissent. Interhos verò

a *Ierem.2.* b *1.Cor.3.* c *Hic n.10.* d *S.Bern. in Cœn. Dom. serm.2. & in Cant. ser.30.*

qui sub incerto currunt, (hac priuatione durante) nulli vsque adeò exagitari videntur, quàm illi qui studio prædicationis, Philosophiæ, aut Theologiæ prælecturæ, sese impendere habent. cum enim ex officij impositi natura, & conditione, intellectualem viuacitatem adhibere cogantur; priuationis verò efficacia non tantum inferiorem hominem, eiusque inordinatas passiones eradicare gestiat; sed etiam omnia perscrutetur, vsque ad diuisionem animæ, & spiritus, omnesque cogitationes, & cordis intensiones, discernat: tantam intellectus caliginem, & cæcitatem excitare solet, vt ab eiusmodi, (alias licet doctissimis viris, & perspicacissimo ingenio pollentibus,) ratio, mens, & consilium fugiant, omnisque eorum sapientia deuoretur, ac homini stupidissimo in suis functionibus assimilentur. vndè etiam subsequitur vt nisi sese diuinæ prouidentiæ, toto corde, & plena voluntate accommodauerint; in delirium, stultitiamue se abituros, penè omni momento sibi videantur. quapropter à Domino Deo, qui in sui dispositione non fallitur, omnem intellectus suppressionem humiliter suscipiant, ac singulari memoria recondant; quod licet finita hac spirituali depuratione, in sequentibus statibus, ad tam enormes intellectus tenebras relapsuri non sint: cum tamen ordinata vicissitudine, ad infimas amoris regiones deuentum fuerit, aliquam saltem intellectus retractionem, & obnubilationem, se incursuros. amor enim cum in infimis sphæris seu sitibus, sub nunc collecto, & fundo, centroue operatur, tantoperè adintima, & abdita voluntatis latibula sese recipere solet, vt intellectus actiuitatem, seu operosam actionem, vt venenum reijciat, & tanquam hostem formidet, simplicique intelligentia, & silenti notitia fulciri velit.

Denique tantum quilibet de hoc calice bibit, quantum ipsi à patre luminum dispositum est, in hac vita glorioſius transformari, in eum, qui est splendor, & figura substantiæ Patris. Fidelis interea est Deus, qui non patitur *a* nos tentari supra id quod *b* possumus; sed etiam cum tentatione facit prouentum: & ita deducit ad inferos, vt reducat; ita accedentem amore repellit, vt tamen eius affectum, & desiderium super omnia sibi alligatum, constringat: licet diu, multumque in amoris diuini purgatorio perseueret, pro vt ex sequentibus videre est.

Quot annis probabiliter duret status priuationis.

ARTICVLVS OCTAVVS.

SIcut non omnes æqualiter sentiunt rigorem priuationis, sic etiam non æquè diu apud omnes durare, vtile erit ostendere. itaque depurationem amoris, determinatos absumere

a 1. Cor. 10. *b* Vt hic art. 9.

sumere annos, constat ex nonnullis. & quidem de sancto Patre nostro Francisco duos *a* annos carentiæ, familiaritatis diuinæ legimus. Taulerus octo annis à Deo rogauit aliquem, qui in via perfectionis ipsum instrueret; & eo obtento *b* duobus annis mirabiles internas vicissitudines, & desolationes sustinuit. Suso per decennium diuina carentia ablactabatur. Decem *c* quoque annis Beata Catharina Genuensis, mirum in modum interiores diuinæ præsentiæ absentias, passa est. Beata Clara de monte Falco *d* quindecim annos huic priuationi impendit. Aluarez post *e* sexdecim annos in vita mystica exantlatos, nouam lucem, nouum gaudium, nouamque internam beatitudinem est consecutus. Maria Aegyptiaca *f* septemdecim annis in affectibus sensitiuis, & erroribus intellectualibus defœcata, ad purum decoxit scoriam suam. Sancta Mater Theresia octodecim annis, nullam singularem Dei amicitiam experta est. inter illos autem, duos *g* tam intolerabili spiritus angustia transegit, vt nulli rei aptius eam comparare posset, quam pœnis, & supplicijs damnatorum in inferno. Thomas à IESV [viginti *h* & eo amplius annis etiam euolutis diligentissimè plurimorum vitorum doctorum scriptis, solum speculatiuè percipere non potuit, quidnam esset suprema & cœlestis hæc animæ cum Deo vnio, tot Sanctorum Patrum encomijs ac laudibus celebrata, donec tandem & cætera.]

Et ne quis animum despondeat diutino labore pertæsus; hortatur *i* Taulerus, vt si vel quadraginta annis in desiderio, siti, & exspectatione Dei quemquam morari oporteret, meritò hoc libenter, ac patienter in vera resignatione, pro acceptissimo Dei beneplacito pati deberet. cuiusmodi resignationi pro solatio accedit, quod Abram *k* cum nonaginta nouem esset annorum apparuerit Dominus dicens, ambula coram me, & esto perfectus. Enoch etiam, & Elias post plurima diuina colloquia, tandem prius ad singularem Dei amicitiam translati sunt. & quidem Sanctus Bernardus ad vltimum huius, vel initium æternæ vitæ, hanc spem, & patientiam extendit; vndè, inquit, [*l* si ô homo vitam excellentem, & sanctorum appetitis, si Deum pro hac continuè deprecaris, certus esto quia si perseueraueris pulsans, ipsam haud dubie consequeris. si non in vita, saltem ante mortem, per diem, aut horulam vnam. quod si nec tunc obtigerit; inuenies ipsam in Deo in ipsa æternitate.]

Apud alios indeterminatum quidem,

a *Chron. ord.* b *Tauler. pag 833. & in vita ipsius pag. 18.* c 2. *Part Dial.* d *Apud Harph. lib. 2. part. 5. cap. 3.* e *Aluar. in vita ipsius cap. 2.* f *In vitis Patr. de vita ipsius.* g *Epist. Tiras. in eius vita lib. 1. cap. 12.* h *De orat. infusa in præfat.* i *Epist. 24.* k *Gen. 17. 18. Bern. apud Taul. serm. 2. Dom. 5. in Quadrag.*

dem, attamen in longum protractum tempus reperimus. Vndè Bernardus *a* non sine audientis commotione, [en gratia ipsius, inquit, multis iam annis castè, sobrieque viuere curo, lectioni insisto, resisto vitijs, orationi incumbo frequenter. Vigilo contra tentationes, recogito annos meos in amaritudine animæ meæ. sine querela me arbitror, quantum in me est conuersari inter fratres. superioribus potestatibus subditus sum; egrediens, & regrediens ad imperium senioris. aliena non cupio; mea potius, & me pariter dedi; in sudore vultus mei comedo panem meum. cæterum quod in his omnibus est, totum constat de consuetudine, de dulcedine nihil. quid nisi (iuxta Prophetam) vitula Ephraim sum, docta diligere trituram? denique in Euangelio qui hoc solum, quod facere debet facit, seruus inutilis reputatur. mandata forsan vtcunque adimpleo, sed anima mea sicut terra sine aqua in illis.] Barbansonius quoque noster *b* tanquam singularem spiritualis tristitiæ causam, adfert, quod tam diu, & ad annos quasi duret.

Cæterum dubio procul, nemo ad actualem vsum modi operandi supernaturaliter pertingere potest, nisi per dispositionem *c* huiusce rigidæ priuationis; (defœcato, & purificato animo) suiipsius integrè compos efficiatur, bonamque subordinationem, omnium, tam inferiorum, quam superiorum virium consequatur. id quod passim in schola mystica, & signanter à Dionysio *d* asseritur. [insistens, inquit, vestigijs eius, qui pro benignitate sua primus athletarum fuit, cum certationibus, quæ ad Dei imitationem accedant, & actiones, & res, quæ ipsi, ne ad diuinitatis societatem perueniat, aduersantur; luctando superauerit. tum denique vna cum Christo, vt mysticè dicam, in baptismo, peccato morietur.] neque mirandum est, si in praxi, & vsu mysticæ fœlicitatis consequendo, tanta subinde protrahatur mora; quandoquidem [vix in vltima *e* etiam ætate, homo ad perfectam speculationem scientiarum peruenire possit.] id quod Sapiens apertè confirmat, cogitaui, inquiens, *f* in corde meo abstrahere à vino carnem, vt animum meum transferrem ad sapientiam, deuitaremque stultitiam, donec viderem, quid esset vtile filijs hominum, quo facto, opus est sub sole numero dierum vitæ suæ.

Ordinariè tamen, secundum quod hæc priuatio per se statum, & immediatam ad modum operandi supernaturaliter dispositionem, efficit; non solet vltra quatuor, aut quinque annos durare, pro vt in diuersis mysticæ praxi singulariter dedictis experientia compro-

a *Bern. serm 9. in Cant.* b *De Occult. sem. p. 2. c. 10.* c *Hic n. 2.* d *De Eccl. Hier. cap. 2.* e *S. Thom. l. 3. contr. Gent. c. 48.* f *Eccles 2.*

comprobauimus *a* quod tempus etiam Taulerus *b* obseruasse legitur. refert enim de [quodam sui temporis Dei amico, quod Deus omnia, etiam singularissima dona sua ei subtraxerit, & per quinquennium, absq; omni consolatione, in magnis tentationibus, angustijs, & calamitatibus eum dereliquerit.]

Porrò incredibile est dictu, quantum solatij accedat ijs, qui in actuali praxi tam amarulenta diuinorum carentia, agonem suum decertant; cognoscere, & certificari, hanc durationem non tam ex ipsorum peccatis transactis, defectibus, & negligentijs in præsentiarum commissis, quam ex ordinario diuini amoris profectu, & affectuum, errorumque depuratione, oriri. cum enim frequenter animum quasi despondeant, hac vnica certitudine nonnihil respirant, humiliter exspectantes, dum moram facit sponsus venire. quod dum fit, expedit omnino, vt in mystica praxi [aliquis versatus *c* quæratur; qui auxiliatricem manum porrigat] [ad præsentis enim vitæ beatitudinem, amicorum *d* societas requiritur, vt illis ad opera vitæ actiuæ, & contemplatiuæ præstanda, iuuetur, oblectetur, & exerceatur homo] ne fortè vel etiam in hoc agone decertans, deficiat in via. & ideò etiam licet [plures anni *e* in hoc proficientium, & priuationis statu transeant: interea tamen fit aliquod subinde *f* interstitium ab intenso dolore; alioqui in paucis *g* diebus anima corpus desereret;] lassoque datur requies, & robur, vt in finem sustineat: pro vt iam consequenter dicemus,

Dono fortitudinis statum Priuationis durare tamdiu.

ARTICVLVS NONVS.

ANimum etiam infractum, quasi imbecillem facit, ac terret, diuinæ carentiæ tam diutina molestatio; sed propter nimiam corruptæ naturæ à cœlestibus separationem, non potest facilè magnum illud interpositũ chaos transmeari. prauum enim est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscet illud? & quis non, si cum Ezechiele Propheta a spiritu eleuatus in visione Dei, coinquinationes cordis humani penitiùs perscrutaretur; quis inquam, non vnam post alteram abominationem, eamque semper maiorem, ad primum vsq; à Deo auersionis principium, perfoderet? vltima enim, & pessima abominatio quam Ezechiel *h* deprehendit, erant viri dorsa habentes contra templum Domini, & facies ad orientem; qui etiam adorabant ad ortum solis. ita profectò licet plurima sint peccata; attamen [originale *i* peccatum secundum eam quam ad actum habet inclinationem, consideratum; immediatè post essentiam animæ, quæ primum

a *vt accuratiùs in praxi par. 4. a. 6.* b *Institut. c. 1.* c *Rusbroch. de ornat. spirit. Nupt. c. 30.* d *S. Thom. 1. 2. q. 4. art. 8. c.* e *Ioan. à Cruc. de obscu. noct. l. 2. c. 1. &c.* f *c. 7.* g *c. 6.* h *Ezech. 8.* i *S. Thom. 1. 2. q. 83. a. 3. c.*

mum eius est subiectum, voluntatem respicit.] voluntas autem cum sit prima potentia immediatè post essentiam animæ, sic vitiata, omnes deindè potentias, earumque actus deprauat. ita vt perquam pauca opera à nobis fiant, quę non aliquo imperfectionis neuo laborent: præsertim si ad perfectiorem modum examinentur. hæc etiam deprauatio, quantum ad vsum, & exercitium, [saporem *a* interiorem, ab ipso penè exordio generis nostri perdidit.] nam [inter naturæ bona *b* originalis iustitia in totum sublata est per peccatum; potentiæ autem essentiales esto nec sublatæ, nec diminutæ sint; ac ipsa etiam naturalis inclinatio ad virtutem, esto quidem sublata non sit, valdè nihilominus diminuta est per peccatum.] Infœlix ergò hæc animæ nostræ calamitas, triplici confusione nos illaqueat. primò quidem quod inordinata passione creaturis afficiamur: secundo verò quod in nobismetipsis vsque ad intima quæque spiritus nostri confracti, & nudati; auersionis propriæ indicibili luctu, tabescamus: Tertio autem quod Deum non expeditè amemus, nec intelligamus.

Præterea cum experimentalis notitia, non detur sine vitali gustu, & proprio spirituali sensu, oportet tamdiu sensum animalitatis, & propriæ quæsitionis dispergi, & emori; donec plena totalitate videat, quia malum, & *c* amarum est reliquisse se Dominum Deum suum, ac in originali, & actuali corruptione non fuisse timorem eius in se. idq; non solum per modum actus transeuntis; sed omnino per modum immanentis, & status. sicut non dicitur homo mortuus, quando primum mouens, siue cor ad aliquod spatium interpolatè, à pulsu deficit; sed quando ita deficit, vt amplius potentiam redeundi non habens, & motu, & natiuo calore, atque operatione destituatur. eousque ergò hæc pœnosa spiritus tristitia persistit, donec omnes ærugines humanæ sensualitatis confricatas, ad puras operationes supernas reddiderit perlucidas. sicut autem ossa arida diutius persistunt, quam fluida, emortuaque caro; sic etiá inordinata spiritus nostri deprauatio difficilius, & tardius ad susceptionem diuinæ bonitatis, emollitur tempusque ad putredinis suæ latibula curanda, longiùs absumit; & necesse habet, priusquam illi sensus cum Nabuchudonosor restituatur; ac spirituali gustu bene-afficiatur, vt super ipso mutentur, dies, anni, & tempora.

Interea verò dum [nulla eos vel in tempore *d* vel æternitate creatura solari potest; sed inter tempus, & æternitatem vel suffocari, & strangulari eos oportet; donec ab hoc animæ suspendio Deus pijssimus eos absoluat,] supersit diuinæ gratiæ auxiliatrix manus, & [dono *e* fortitudinis animi constantiam præ-

a *S. Bern. s. 85. in Cant & apud S. Bonau. 6. Itin æter. n. d. 3* b *S Thom. 1. 2. q. 85. a. 1. c.* c *ler. 2.* d *Taul. Instit. c. 12. & Thom. à IESV de orat. inf. l. 3. c. 6.* e *S. Thom. 22. q. 123. a. 5. c. & q. 124. a. 5 ad 3.*

præbet; non tantum circa quascunque molestias; sed etiam circa molestias mortis:] [& diuisionis animæ ac spiritus. quæ martyrio longè *a* acerbior est,] & [aliud martyrij genus, non illud vtiq; quo colla secantur ferro, sed horrore *b* quidem mitius, diuturnitate autem molestius.] & tales finaliter ad [amentem *c* seu insanum perueniunt amorem, ibique tantum accipiunt roboris & fortitudinis, vt parati sint ad omnia, totosque se ad Dei gloriam, ad omnem despectum, irrisionem, afflictionem offerant, quæ illis Deus occurrere volet, simulque in occultam diuinitatis sese abyssum proijciunt, offeruntque.]

Hinc etiam satis probabile videtur, donum fortitudinis mystico in infimo, & profundo desolationis constituto, plurimum roboris, & constantiæ adferre; quo ita quæuis sustinens, tanquam spiritualis quidam martyr patienter vsq; in finem agat; cuius nec fortitudo *d* lapidum, nec caro ænea est. Et certè [nisi inferioris *e* partis debilitas fuisset reformata, vires que ac robur in Deo per dulcem iucundamque cum eo conuersationem, qua alias fruita est, acquisiuisset; nec vires, nec dispositionem ad hanc depurationem sustinendam natura habuisset.] huic autem priuationi, quomodo tandem finis imponatur, clarum fiet ex sequentibus;

In fine huius priuationis infunditur animæ gratia modi operandi supernaturaliter.

ARTICVLVS DECIMVS.

TAndem, vbi pijssimus Dominus piam animam in virtutis stadio, quasi adamantinam fecerit, agoni huius amoris finem imponit, iuxta illud *f* postquam afflixit, ac probauit te, ad extremum misertus est tui; & gratiam modi operandi *g* supernaturaliter infundit; non tam pro vt [gratia ipsam *h* animam perficit, Deo assimilat, & vita animæ dicitur,] secundum gratiam sanctificantem; quàm pro vt gratia est vita æterna, & communicatio diuinæ naturæ, ad actualem vnionem, & fruitionem exercendam, per dona intellectus, & maximè sapientiæ, à Deo infusa. [prima enim vnio *i* hominis (scilicet ad Deum) est per fidem, spem & charitatem, vndè istæ virtutes præsupponuntur ad dona, sicut radices quædam donorum.] atque ita totum, quod fit in statu priuationis, est quędam *k* dispositio, & præparatio ad hanc gratiam. si enim [ad gratiam (scilicet sanctificantem) vt quoddam *l* donum habituale est in anima, quædam ex parte hominis præparatio necessaria est:] quantò magis congrua depuratione amor amicitiæ,

a *Taul ser. 3. in Pent.* b *S. Bern in Cœn. Dom. ser. 2. & in Cant. s. 30.* c *Taul in Fest plurim. Martyr. s. 1.* d *Iob. 6.* e *Ioan. à Cruc. de obscu. noct. l. 2. c. 3.* f *Deut. 8.* g *de qua sup. 1. p. Dec. 12. a. 2.* h *S. Thom. in 3. dist. 13. q. 1. a. 1.* i *1. 2. q. 68 a. 4. ad 3.* k *hic a. 2.* l *1. 2. q. 112. a. 2. c.*

tiæ, & familiaritatis diuinæ ad purum, tanquam argentum, & aurum purgatum septuplum, colari debet. hinc etiam rectè simile esse dicitur regnum *a* cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum sit totum. quæ quidem sata tria, status priuationis tres *b* subdiuisiones (secundum quas scilicet aliter in *c* initio, aliter in medio, ac aliter in fine, se habet) ceu quasdam mensuras congruè intelligere possumus: vt harum amarissima fermentatione, tandem Christi panis mundus inueniatur, & ad illam prærequisitam passionum indifferentiam, silentiumque pertingat, in quo ea quæ sunt, & quæ non sunt, æquali complacentia suscipiat.

Dum ergò hoc medium *d* silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter perageret, omnipotens sermo tuus Domine de regalibus sedibus venit, & penè emortuam animam ilicò solari incipit. quandò enim materia perfectè est disposita ad formam, eam recipit in instanti. Vndè diaphanum statim illuminatur, & Saluator noster *e* statim vt ascendit de aqua baptizatus, vidit cœlos apertos. Paulum etiam *f* subito lux de cœlo circumfulsit. quia nimirum [sub horula vna grepentè Dominus cum fulgore quodam illabitur, in eodemque fulgore amicè admodum, suauiterque occulta in ipsos bonitas venit.] sicut cuidam Dei amico contigit [qui post *h* quinquennalem internam desolationem; tanta luce subitò circumfulsus fuit, vt nullis verbis illam exprimere potuerit.]

Non tamen istiusmodi infusio semper æquè notabiliter, & intense, in praxi contingit apud omnes. nonnulli enim siue ex defectu practici directoris, siue alia quauis tandem ex causa, seu in interiori procedendi modo, ita statum priuationis percurrunt, & absoluunt; vt potius cum assidua animæ tristitia sese retrogredi, quam progredi, malè quam benè secum agi, metuant. & hac insuper priuatione finita, (cum ex illius suppressione in interiori quasi callum obduxerint) hoc ipsum nec quidem aduertant, solatium admittere non audeant, nec etiam si Deus ad ipsos riserit, credant, quod eiectum suam reduxerit. id vel ex eo maximè, quod huius infusæ gratiæ conditio, pro primo in vsu, & exercitio spirituali, nonnisi paulatim ab habita pressura, & captiuitate liberet, ac moderatè consortium diuinæ naturæ distribuat, ordinata *i* vicissitudine. iuxta illud, filij Dei sumus; sed nondum apparuit quid erimus: nemo tamen est qui finita priuatione (si hoc ipsum obseruauerit) non

a *Matth.13* b *infra paraph. 2. 3. & 4.* c *vt supra in praxi paraph. 1. 3. & 4.* d *Sap.8.* e *Marc.1.* f *Act.9.* g *Taul.ser.1.Dom.15. post Trin.* h *Taul.Instit.c.1.* i *vt in praxi paraph. 3.4.5.*

non indubitato Dei testimonio in se experiatur, in posterum se tam graui pressura, non amplius depurandum. & hisce quidem de statu priuationis, prout immediatè ad statum vnionis disponit, breuiter dictis; consequenter de ipso statu vnionis, prout per donum intellectus supernaturalis procedit, dicendum erit.

* * *

QVINTVS STATVS MYSTICVS EST VNIONIS.

DECISIO TERTIA.

SAT diuersa est inter sacros Contemplatores, de statu Vnionis, & significatio, & explicandi ratio, ac methodus. ita vt non facile dijudices, num vniones tam multifariæ, ad statum, vel ad actum, idque vel transeuntem, vel diu immanentem, vel etiam dispositionem aliquam referantur; propriè, an impropriè quæ dicuntur, accipienda sint. Quapropter, vt ordinatè procedamus, hoc loco de statu Vnionis, prout per se, non actum transeuntem, vel impropportionatum; sed statum permanentem, eumque, & à præcedentibus, & à sequentibus discretum, & ex natura sibi proprium constituit: ac [minora *a* quæ de suprema vnione dici solent,] per donum supernaturali intellectus complectitur, dicendum est. de operationibus pro Hic, & Nunc fusiùs infra *b* tractaturi; ad praxin commodiori loco Hic ergò dicitur

I. *Quid sit mystica vnio propriè.*
II. *Ex quibus signis possit scire mysticus, se hunc statum vnionis assecutum.*
III. *Spiritus soleitas, dum status Vnionis durat, non potest nec debet vitari, ex toto.*
IV. *Potest tamen & debet caueri modus Vnionis, qui est per generalem ad Deum conuersionem, & inhæsionem.*
V. *Fruitio Vnionis huius consistit in continua successione verbi mystici.*
VI. *Status vnionis paulatim à centrali, vsque ad spiritus proprij & spiritus diuini fruitionem ascendit.*

a *Ioan. à Cruc. de obscur. noct. in proloq.* b *Decis. 4. 5. & 6.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit Mystica Vnio propriè.

HIc status tantò obscurioribus, & à longè petitis verbis declaratur, quantò eius nobilitas, altiorem dictionem requirere videtur, quæ dum fiunt, accidit frequenter plurima de vnione præscribi, quæ propriè ad statum Transformationis modi descendentis, vel ascendentis; vel etiam ad eminentiorem pertinent. cuius quidem confusionis ratio potissimũ inde sumitur, quod [vnio *a* quælibet etiam profana) importet coniunctionem aliquorum in aliquo vno] sicut etiam quod [quælibet *b* gratia vniat cor immediatè vltimo fini.] & hic modus cum generalis sit, non satis à præcedentibus, & subsequentibus discrepat, multòque minus proprias rationes, differentiasque, prout status vnionis primus, & infimus est in modo operandi supernaturaliter, constituit.

Propriè ergo loquendo, vnio mystica est vitalis fruitio diuina, absque vsu phantasmatum, & discursibus rationis, per donum habituale Spiritus sancti, scilicet intellectus, maximè verò sapientiæ, excitata. & quidem fruitio, omni [amori, qui est *c* vnitiua virtus] conuenit; differentiam autem constituit quod sit de Deo, & modi supernaturalis, qui est sine vsu phantasmatum, & discursu, cum perseuerantia doni habitualis: [illud enim solum *d* habere dicimur, quo liberè possumus vti vel frui.] in præcedentibus verò incipientium, & proficientium statibus hoc ipsum non fit; nisi aut per modum actus transeuntis, aut intuitus alicuius perseuerantis quidem; sed cum vsu phantasmatum, & inferioris modi, discursus scilicet, vel indagantis quod deest, vel tendentis in id, quod à se distinctum pro obiecto intuetur; non autem per modum immanentis & inhabitantis Spiritus sancti, & ad mensuram doni supernaturalis scientiæ, potentiam intellectus sanantis.

Iam verò studiosè obseruandum venit, omnia, quæ de statu Vnionis scripta leguntur, ad euitandam confusionem, (quæ modò supremis, modò infimis, mysticæ vnionis documentis, practici animum inuoluit) in duas classes generatim distingui: primò scilicet in illam, quæ continet mediocria; & hæc tractari in hoc statu vnionis, in quo [amatum *e* est quodammodo in amante, & etiam amans per affectum trahitur ad vnionem amati. iuxta illud: *f* Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.] secundò in illam, quæ continet summa, ac suprema; & illa deduci in statu *g* Transformationis, in quo diuinus amor, vitali persistentia efficitur forma amantis, in omnibus potentijs, & toto composito; ita vt eius velle, & posse circa amoris exercitium vnum sint. [talis est enim amor *h* ex se, vt virtu-

a *S. Thom 3.p.q.2. art.9.* b *1.2.q.112 a.4.c.* c *l 1.cont.Gent.c.91.ex Dion.de diu.nom.c.4.*
d *1.p.q.43 a.3.c.* e *1.2.q.66.a.6.c.* f *1. Ioan.4.* g *vt inf. Dec.7. latius.* h *Philos.Polit.c.2.*

virtute illius, si fieri posset, ex duobus amantibus fieret vnus.] & ideo etiam [alterum amoris *a* effectum ponit Dionysius ex amatorijs hymnis S. Hierothei, vim vnientem, & commiscentem. nimirum quia amantem cum amato vnit, & commiscet in vnum, vt ex vtroque vnum sint. idque non solum affectu, sed etiam reipsa, quantum fas est, amor enim impellit amantem, vt reipsa adsit amato, eique quantum fieri potest, arctissimè se coniungat.] id qnod in statu vnionis, pro vt hic de illo loquimur, fieri non potest. hic enim in spiritu recenter baptizatus, & renatus mysticus, nondum per donum sapientiæ; sed per donum intellectus ab habita pressura se liberat, in spiritus extensiones erigitur, ac tandem ad summa eleuatur: ita tamen vt actus secundus, pro vt est vitalis inferior appetitus, & benè in Deo afficientia, circa superiora pendeat in fieri, & conseruari ab actu superioris partis, & superiore cessante, cesset inferior, quod toto hoc statu vnionis frequenter fieri, ita, vt vel ea sola de causa, soleitas in vi appetitiua, & toto composito subsequatur, dictum est infra. *b* & quia de statu vnionis magna solet esse opinio, in initio verò eiusdem, parcè admodùm diuini gustus propinentur; vt vel ideò meritò quis dubitet, num, quando in statu vnionis versetur, hinc moralem quandam certitudinem consequenter subijcimus.

Ex quibus signis possit scire Mysticus, se hunc statum Vnionis assecutum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

SPiritualis homo recenti adhuc priuationum odore perfusus, tanquam alter *c* Iob, non credit quod Dominus inuocantis vocem exaudierit; & quod ad priores spiritus amarissimas soleitates, reducendus non sit. idque ex eò vel maximè, quod licet à solitis pressurarum vinculis absolutum se habeat; in operationibus, & fruitionibus tamen, vt plurimum adhuc nudum se conspiciat. vt itaque perspicuum fiat, quam ordinata successione, interior animæ depuratio, & ad diuina coniunctio, procedat, signa quædam vnionis adeptæ, pro subdubitantis certitudine, apponimus.

Et ne quis citiùs, quàm oportet vnionis gratiam sibi persuadeat; obseruandum erit prærequiri plures, & status, & habendi modos. [cum enim aliquis in spiritualibus exercitatus fuerit, *d* & ad æterna directus per rectam rationem, vel intentionem; cum fuerit in itineribus æternitatis expeditus per frequentem meditationem, cum fuerit directus ad æterna per limpidam contemplationem, cum fuerit ad æterna inclinatus per feruidam dilectionem, cum fuerit de internis instructus per multiplicem reuelationem, cum fuerit æterna expertus per dulcem præguſtationem; quid modò restat nisi æterna ingrediatur per Deiformem, & meritoriam operationem. quid enim prædicta omnia valerent, si ea Deiformis operatio non consum-

a S. *Thom. 1. q. 28. a. 1. c.* b *Hic art. 3.* c *Iob cap. 9.* d *S. Bonau. 7. itin. æter. d. 1.*

ſummaret?] & fideliter practicatis ijs, aut ſimilibus, quæ tota prima parte à nobis tradita ſunt, finita etiam priuatione, ſeu rigido amoris examine; Dominus tandem [ſub horula *a* vna, repentè cum fulgore quodam non illaberetur?]

Hic iam ergò ad certitudinem obtinendam *b* [in admirando lumine, & in eodem coruſci luminis fulgore in interius fundum irradiantis, latens eis veritas manifeſtatur, ſimulque palam hic eis innoteſcit, quo, & qua ratione ipſos Dominus per præfatas vias tenebroſas duxerit, & nunc tandem perduxerit ad lucem, in qua idem ipſe benigniſſimus Deus, pro omni ipſorum diutina exſpectione, multaque afflictione abundè nunc eos conſolatur, refouet, recreatque.] [tum etiam nouo quodam anima illuſtratur lumine, *c* in quo omnem perſpicuè agnoſcit infirmitatem, & impotentiam ſuam, videtque liquidò ſeſe ſolum malitiæ ſuæ cauſam eſſe, nec poteſt eam ſalua veritate, vel mundo, vel carni, vel diabolo imputare. quin potius intelligit Deum, hos ſibi tentatores, & exercitatores, ex amore præcipuo adhibuiſſe, vt fortiter vincendo, abundantiorem Deo honorem, ſibi verò coronam præcellentiorem mereretur. Cognoſcit etiam & videt Deum ſolum ſua benignitate ſeruare, efficereque, vt non delectent ſe amplius vitia ſua: peccandique occaſiones ſibi auferre, ne vitijs ſuccumbat.] [& intus alloquens, ſurge, inquit, nunquam *d* deinceps iacebis; ſed ab omni captiuitate abſoluta, poſt hæc liber eris, ambulabisque fidenter, ac liberè portans grabatum tuum.]

Ad eiuſmodi ſolatium Apoſtolus reſpiciens dicebat, ipſe ſpiritus *e* teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei, quod ſi filij, & hæredes. ipſe Spiritus ſanctus vtiq; dat teſtimonium tanquam filijs, quando viuaci præſentia, omnis ſcrupuli ambiguitatem, ab animo myſtici tollit; quo ita firmiter, & certò teneat, ſe ampliùs nunquam ſimilibus preſſuris, ſoleitatibus, carentijsq; diuinis conſtringendum; at verò, hæredem conſtituit, per vſum doni, & habitus ſupernaturalis, in ordine ad communionem, & conſortium diuinæ naturæ, non in actibus tranſeuntibus; ſed permanentibus, & ad operandum facillimis.

Et ideo [gratias tibi Domine, inquit Anſelmus, gratias *f* tibi, quia, quod prius credidi te donante, iam ſic intelligo te illuminante; vt ſi te eſſe nolim credere, non poſſum non intelligere.] Quæ quidem certitudo tanta eſt; vt licet quis [certò *g* ſcire non poſſit ſe habere gratiam, niſi ſibi reueletur.] attamen ſufficere videatur, ad moralem illam certitudinem, qua in præſenti vitæ æternæ ſolatia dantur. ſi enim [ſpes certitudinaliter *h* tendit in ſuum finem, quaſi participans certitudinem à fide, quæ eſt in vi cognoſcitiua:] quantò magis

a Taulerus. b *Taul. Dom. 15 poſt Trin. ſerm. 1.* c *ſerm. 1. in feſt. S. Steph.* d *Dom. 2. poſt oct. Epiphan.* e *Rom. 8.* f *Anſel. c. 4. proſol. in fin.* g *S. Thom. 1, 2. q 112. a. 5. c.* h *2. 2. q. 18. a. 4. c.*

magis etiam charitas tendit in suum finem, participans certitudinem, ex fruitione præsentis consortij diuinæ naturæ, quæ est in voluntate radicata.

Nec quemquam in mysticis diu versatum terreat, aut pudeat, quod in statu vnionis quandoque remissiores fruitiones, & spirituales soleitates patiatur. licet enim filij Dei *a* simus; sed nondum apparuit quid erimus. istiusmodi insuper signa non ita religiosè, & sanctè spectanda veniunt; ac si omnia, & singula, vno, eodemque tempore in quilibet mystico sentiri debeant: sufficit enim eorum quædam pro modulo cuiusque, & ea ratione, qua Deo Optimo Maximo placuerit, successiuè in semetipso experiri. cum autem statui vnionis videatur repugnare, à fruitionis continuatione frequenter dilabi; hinc rationes nonnullæ ad pacificam praxin continuandã, consequenter subijcimus,

Spiritus soleitas, dum status Vnionis durat, non potest, nec debet vitari ex toto.

ARTICVLVS TERTIVS.

CVm Vnio mystica propriè sit præambulum, & primus ascensus ad summitatem illam diuinam, in qua anima plenitudinem adæquatæ fruitionis, (seu supra affirmationem, & negationem consequitur) quam alioquin aduertebat sibi deesse: sciendum est, quod mysticus toto tempore ascensus vniti-

ui, tanquam luna ex illa parte, qua soli obijcitur, lumen suscipiat; idq; ordinata *b* accretione, & decretione quatuor illarum Diuinitatis dimensionem, quibus motus vnus circularis perficitur. manifestum est autem, huiusmodi motum non esse, tam perfectum in initio, vt in medio, & in medio vti in suo optimo. Quin imò sicut cum luna omninò decreuit aliquo temporis spatio lumen non recipit; ita etiam cum motus talis circularis, ex sublimitate ad profundum declinauerit, in eoque disparuerit, priusquam in noua latitudine diuina, lumen, & vitam in inferiori homine, & fruitiua parte suscipiat; quasi futuram, proximèque sibi immanentem illam intuetur: qui tamen intuitus pro instanti nunc, minimè sufficit. [ad *c* beatitudinem enim non solum requiritur visio, quæ perfecta est vltimi, & intelligibilis finis cognitio; sed etiam comprehensio, quæ finis præsentiam respicit, & fruitionem, quæ amantis in amato quietationem importat.] vnde tædia spiritus, quæ non tam sunt molestæ diuinorum carentiæ, quam incrementi spiritualis modicitas, prout in initio deficit à perfectione medij, & in medio prout nondum completur in summo; toto hoc statu vnionis non possunt, nec debent ex integro caueri. [etsi enim gaudium *d* quod ex diuina bonitate in nobis procedit, nullam per se admixtam tristitiam habeat; per accidens tamen contingit, spirituali gaudio tristitiam admisceri: prout scilicet aliquis

a *Ioan.1.c.3.* b *infra Decis.4.* c *S. Thom.1.2. q.4.a.3.c.* d *2.2. q.28.a.2.c.*

tristatur de eo, quod repugnat participationi diuini boni.] quæ quidem repugnantia hoc loco vt plurimum contingit. Cum enim status vnionis sit prius initium modi supernaturalis, non ilicò; sed successiuè tanquam recenter à maximis doloribus, & morbis liberatus, vires, & maiorem in charitate radicationem mysticus consequitur; ita vt quadam necessitate ex sua felicitate decidat, ad seipsum prout in semetipso, ab actuali Dei vnione separatus existit, relabatur; suiipsius soleitatem reincidat. vel vt clarius dicatur, quod subinde ita ad se reuertatur nudus, & à diuina vnione separatus; ac si diuinum amorem in se nunquam expertus fuisset, quousque de nouo per actuale exercitium amoris, vnum fiat, à quo nunquam abesse cuperet.

Et secundùm hæc [in suauitate contemplationis intimæ, *a* diu mens non figitur, quia ad semetipsam immensitate lucis reuerberata reuocatur. cumque internam dulcedinem degustat, amore æstuat, ire super semetipsam nititur; sed ad infirmitatis suæ tenebras fracta relabitur, & magna virtute proficiens, videt, quia videre non potest hoc quod ardenter diligit, nec tam ardenter diligeret, nisi aliquatenus videret. non ergò stat, sed transit spiritus, quia supernam lucem nobis nostra contemplatio, & inhiantibus aperit, & mox infirmantibus abscondit.]

Nullum tamen dubium admittendum est de statu vnionis adepto; licet frequenter vnionis fruitio, per relapsum ad soleitatem proprij spiritus intersecetur. est enim talis vicissitudo, inductio quædam ad subtiliorem spiritus gustum, per contrariorum probam, sicut gustans dulce, si amarum dein comedat, ilicò ex gustu contrario dulcedinis suauitas magis adnotari videtur. quinimò cum in statu vnionis per relapsum ad soleitatem proprij spiritus, continuò intimius, & subtilius diuini spiritus præsentia, & mutua coexistentia amoris animaduertatur; magisque, vt ita dicam, spiritualizetur: sicut non potest, ita nec debet ex integro caueri relapsus, ad soleitatē suiipsius. præsertim quod sicut [in beatitudine *b* principalius bonū est ipsa visio, quam delectatio ipsam concomitans.] ita quoq; ab habita pressura spiritualis illa in Domino libertas, (quæ etiam per donum intellectus supernaturalis, quotidiè ad amplitudines, & spatia æternitatis ascendit) longè præstet, illi amori, qui in inferioribus, bene-afficere solet.

Et quia [hoc *c* demum est malum, & mentibus, & animis, & corporibus, scil. imbecillitas, propria, accommodataq; bona adipiscendi; & ab eis prolapsis;] duas ob causas singulariter, eiusmodi soleitas, non potest, nec debet caueri; Primò quidē, quia hoc loco vix aliundè tanta soleitas prouenire solet, quam ex imbecillitate, propria, accommodataq; bona adipiscendi, & generali, aut confuso modo interius operandi. ex hoc enim non tantum soleitas, id est, nuda caren-

a *S. Gregor. l. 5. moral. c. 23.* b *S. Thom. 1. 2. q. 4. a. 2. c.* c *Dion. de diuin. nom. c. 4.*

carentia actualis vnionis, & vitalis in Deo afficientiæ; sed etiam obscura, & tædiosa mentis crassities, positiuè subsequitur, quam ipse relapsus ad propriam nuditatem directè corrigit, dum animũ semisopitum à tali quali generali fruitione, aut potius ab obscuri phantasmatis inhæsione expergefacit. Secundò nõ potest nec debet caueri eiusmodi spiritus soleitas; tum quia vita humana non in vna continua eademqúe; sed dissecta, & varia actione, transigitur: tum etiam quia non in instanti; sed paulatim fit maior radicatio in charitate; sicut ferrum igni iniectum candere incipit, in vna quidem parte naturam ignis participans, in contigua autem summè calens, nondum tamen candens.

Iam verò prẹter hæc singulariter obseruandum venit, quod scil. toties quoties ab actuali vnione fit prolapsus, per interruptionem continget quidem separatio, & soleitas; non tamen semper positiua tristitia, aut tædium sensuale; sed aliquando nuditas tantum, seu carentia amicabilis vnionis. vnde etiam non cessat progressus ipsius status vnionis; quia moderata erectione per centralem, & mediam, ad summam vsque spiritus diuini sphæram, mentali situ, vel vbi perficitur. cum autem continua sit inclinatio ad fundum, seu principium dilectionis (licet ex originali peccato vitiatum) & ante debitam actionem, mysticus per quietem incongruè diuinis frui gestiat, hinc consequenter dicimus,

Quod possit & debeat caueri modus Vnionis, qui est per generalem ad Deum conuersionem, & inhæsionem.

ARTICVLVS QVARTVS.

COntemplantibus, vel adspirantibus, generalem *a* modum auersionis ab ijs quæ quasinihil sunt, & conuersionis ad ea quæ Dei sunt, relinquamus; hisce enim modis, illi, quibus velle adiacet, at perficere non inueniunt, tanquam in vmbraculo cucumerarij, sese ab ardenti molestia appetituum inordinatorum tutantur; quo ita aliquid Dei, quantumcunque illud crudum, & indigestum fuerit, venentur. vt insuper, sicut lupinæ fami, quæ pellem, carnem cum cute, pilis, & ossibus deuorat; ita ipsis quoquo modo, quidquid tandem aliquid diuinæ olentiæ habuerit, dulce, & saporosum videatur.

Verùm hoc loco & statu, in quo mysticus in vnitate vnum est, longè aliter procedendum erit; & mundum ab immundo, pretiosum à vili, spirituale ab animali, operationes conformes ad nunc præsens, à generali tali quali inhæsione, separari debent. *b* & hoc ideo, tum quod [cognitio *c* quæ de Deo habetur communiter, sit imperfectissima;] tum quod [à conceptione *d* vniuersali, non fiat motus, & actio;] tum quod quies, quæ fit per modum obliuionis, & inhæsionis, motu, & actione

a *De quibus prima part. decis. 6, 7 & 8.* b *Hic art. 5.* c *S. Thom. l. 3. cont. Gent. c. 38.* d *l. 2. cont. Gent. c. 4.*

priuans; extra boni communionem constituat. Vndè etiam hisce attentè consideratis, manifestè apparet, fruitionem, quæ per inhæsionem, & ad Deum conuersionem assumitur; esse otio, tædio, & obscuritati internæ, ac distractionum facilitati, expositam: prout indies propria experientia gustare poterit, qui in incertum currit, quasi aërem verberans; quin imò, ea vel maximè de causa, vsque ad summum spiritus diuini, in statu vnionis fit relapsus ad soleitatem propriam; vt eius viuaci carentia, quasi punctionibus à torpore inhæsionis, & generalis fruitionis euigilet.

Est ergò ipsa auersio, ab omnibus quæ Deus non sunt, quàm maximè necessaria; sicut etiam conuersio, seu recordatio ad eum, qui est super omnia: sed vt in conuersione ad Deum post primam bene-afficientiam ilicò quies, inhæsio, seu fruitio assumatur, hoc omninò cauendum est. cum enim eiusmodi conuersio recenter subsequatur ipsam rerum materialium grossitiem per auersionem reiectam; concomitantem adhuc habet olentem materialium qualitatem aut imagines; vt vel ideò minus de Deo participent. [Bonum enim, *a* in quibus perfectè inest, ea perfecta facit, & simplicia, atque integra bona. quæ verò minus eò participant, ea & minus perfecta sunt bona, & permixta propter boni priuationem.

At si conuersio, seu actualis Dei memoria, proueniret ex specie infusa, aut ex præuia motione voluntatis, aut quocunque actu à Deo excitato; tum fruitionis tanta etiam foret viuacitas, & actio; vt nihil inutilis, & tædiosæ: sed operantis, & melius appetentis quietis, plurimum contineret. quod quamdiu factum non est, à nobis tanquam cooperatoribus Dei, suppleri debet, & ipsa conuersio, in eaque præsens bene-afficiei, non per actum quietis concludi, sed per extensiones, vel supra, vel infra, vel sinistrorsum, vel dextrorsum, vel motu recto, vel obliquo, aut circulari, in spirituali alleuiatione suspendi, & subtilizari; moderatè tamen, ne dum falsum otium deuitare studet, nimia operatione, aut caput debilitet, aut etiam intra se regnum Dei existens, prætereat. & ideò hæc tranquilla cooperatione præstanda erunt; quousque si Hic, & Nunc Deo placuerit, & hæc, & seipsam mens excedat, superetque.

Generalis itaq; hic modus fruitionis per conuersionem, & inhæsionem debet, & potest caueri. debet quidem, eò quod naturalis actiuitas proprij spiritus generali conceptu non satis allecta, ad alia quæuis placentia soleat vagari. ideò per operationes expressas, seu verba interna locutionesvè, seipsum excitare, & in actione sustentare ac alere debet: quousque in progressu, amore intimiùs actuato, fruitionem liceat absq; distractione phantasmatum vsu, seu quoquo tandem discursu, imperturbatè, continuare. vt latiùs dictū est infra. *b* potest verò fruitio, quæ fit per firmam inhæsionem,

a *Dion. de diu. nom. c. 4.* b *Hic art. 5. & decis. 6.*

sionem, caueri: quia duntaxat iam communicati consortij diuinæ naturæ [motus, seu operatio est *a* causa delectationis, quo ad omnia quæ in ipsa delectatione requiruntur, idque ob transmutationem boni delectabilis, & delectantis, quod in nobis fit successione partium, non autem totius.] & hinc iuremeritò talis motus est fons ipse, ex quo species mysticæ fabricantur, ad Nunc præsens operationis at peraccommodæ; pro vt hic consequenter latiùs dicemus.

Fruitio vnionis huius consistit in continua successione verbi mystici.

ARTICVLVS QVINTVS.

LIcet [verbum Dei nihil habeat *b* formabile, quod esse etiam posset informe;] longè tamen alia est ratio, in verbo nostro, quod frequenter est informe; habens conceptum confusum, vel cogitationem volubilem, & incertam, ac veritatem inquirentem. Vndè [cogitatio nostra *c* perueniens ad id quod scimus (id est attingens obiectum) atque indè formata, verbum nostrum verum est: vel vt clarius, [tunc verbum *d* fit verum, quando illud, quod diximus volubili cogitatione iactari ad id quod scimus peruenerit, atque indè formatur, eius omnimodam similitudinem capiens.]

Facta ergò auersione, quæ dissimilitudinem aufert, & conuersione, quæ pro obiecto ad actum fruitionis eliciendum, bonum repræsentat; loco inhæsionis, & quietis ad fruendum, proferendum est verbum mentis; quod est conceptus interior, non auersionis, aut conuersionis; sed illius ex conuersione adeptæ vitalis bene-afficientiæ: quæ per similitudinem sui in mente producta, subtiliùs, & ad perfectionem substantiæ spiritualis magis proportionatè, existit; & per continuam operationem in diuina, vel latitudine, vel longitudine, vel sublimitate, vel profundo, vel in harum aliqua intimiùs actuatur, & bene-afficientiam, quæ vera fruitio est, eiusmodi operatione, alit, & conseruat. [operatio *e* enim est actio, & bonum substantiæ operantis.] eius autem [malum est, *f* quod absque modo, & proportione se habet ad confluxum, scilicet actionis.] Mysticus ergò suo muneri satisfacit, quando pro re nata, & vt in præsentiarum fieri poterit, per donum intellectus (licet inadæquatè, id est plus intelligendo quàm diligendo) procedit. & hoc vt magis euidens fiat, considerandum est. quod [intellectus *g* sit potentia apprehensiua, voluntas verò appetitiua.] ita vt intellectus suo muneri satisfaciat cognoscendo, licet virtus appetitiua simul non excitetur, aut moueatur. quod sæpissimè fit. quandoquidē potentiæ intellectus, & voluntatis sint realiter distinctæ. quū verò [intellectus non moueat nisi *h* mediante appetitu.] [amoris *i* autem passio

a 1.2.q 32.a.2.c. b S. Aug l.15.de Trin. c.16. c Ibid. d Ibid. c.15. e S.Thom l 2.Cont. Gent c.91. f 1.p.q.48 a.5.c. g S.Thom 1.p.q 82.a.4.ad 1. h S.Th.opusc.35. i 2.2.q.27.a.2.c.

sio hoc habeat, quod non subitò exoriatur, sed per aliquam assiduam inspectionem rei amatæ. hinc tamdiu intellectus agit, & laborat donec appetitum moueat, ac verbum conceptum, seu operationem amoris diuini excitare possit. non enim nisi [ex *a* bono bonitatis imago,] fabricari valet. cum autem mysticus in statu vnionis non ex dono sapientiæ, sed intellectus duntaxat, (ordinariè saltem procedat) amplius quoque circa bonum apprehendendum, & cognoscendum, quàm vitaliter amandum laborat: quoadusque tandem in statu transformationis, in voluntate adornetur dono sapientiæ, quod tanquam [habitus per *b* essentiam suam sit principium talis actus,] scilicet eliciendi speciem vitalem coexistentis consortij diuinæ naturæ.

Cæterum cum mysticus nondum consortio diuinæ naturæ, ex integro vnitus sit, & faciliùs in praxi agat, quod agendum est; quàm vt notitia perfecta, seu explicita scientia, securè, & ordinatè per formationem verborum mysticorum fruitionem suam continuet: de operationibus instantaneis, & ordinata successione, per locutionem internam non accuratius hoc loco, sed *c* infra dicendum erit. quam ordinatè verò status vnionis perficiatur, ex sequenti articulo constabit,

Status vnionis paulatim à centrali, vsq; ad spiritus proprij, & spiritus diuini fruitionem ascendit.

ARTICVLVS SEXTVS.

EO ordine, & iure, quo vnus status est dispositio, *d* præambulum, & inductio subsequentis, in hoc statu vnionis, ab inferioribus per media, ad suprema vsque conscenditur; & pro primo ascensu modi supernaturalis, vnum cum Deo, non vt prius à se distincto, efficitur. [cum autem prius sit *e* ascendere, quam descendere,] per statum priuationis sufficienter in fundo depuratus, & dispositus, ad spirituales amplitudines, extensiones, & spatia, ex nunc erigitur mysticus, postea in statu transformationis descensurus. Vndè hoc loco circa fruitionem centralem nihil singulare agendum occurrit, cum status priuationis diutina sua confricatione fundum, seu centralem amorosam ad Deum inclinationem, satis superque ad purum collimauerit. hinc etiam priuatione rigorosa finita, non ad fundum, sed ad spiritus libertatem, & actiuitatem transitur, ita vt ad diuina conspicienda, intellectus paulatim facilior, & lucidior reddatur. tum enim [per intelligentiam *f* sinus mentis in immensum expanditur, & contemplantis animi acies acuitur, vt capax sit ad multa comprehendenda, & perspicax ad sublimia penetranda.]

In initio itaque status vnionis quasi furtiuè, & sollicita obseruatione, cordis aure venas susurri Domini Dei suscipit; quousque ad habita pressura in libertatem

a S. Dion. de Diu. nom. c. 4. b S. Thom. q. 10. de ment a. 9. c infra Dec. 6. d sup Dec. 1. a. 11.
e S. Bonau. Itin. ment. c. 1. f Idem 3. Itin. ætern. d 3.

tem spiritus ingressus, vt in illa tanquam in medio de nouo reales Dei contactus experiatur; ac pro summo seipsum tandem excedens, in spiritu diuino habitaculum ponat, donec aspiret dies, & a inclinentur vmbræ vicissitudinis, ex diuino in spiritum proprium relapsu: ac in statu Transformationis Spiritu sancto perfusus, deinceps in vitali consortio diuinæ naturæ, omnium fruitionum summum, medium, & infimum habeat, absque relapsu ad soleitatem propriam, & à Dei fruitione separationem. de spirituali autem profectu, duratione, & transitu à statu vnionis, ad statū Transformationis, accommodatiori loco dictum est supra. b iam verò consequenter de operationibus supernaturalis modi dicendum erit.

a *Cant. 4.* b *paraph. 8.*

DE OPERATIONIBVS SVPERNATVRALIBVS

PROVT IN INFIMO SVI IN SPHAERAS, SEV DIMENSIONES QVASDAM DIVINAS resoluuntur ad ordinatam formationem operationis, seu verbi mystici.

DECISIO QVARTA.

PRosequutionem statuum modi operandi supernaturaliter, vt ad praxin hic peraccommodo loco de operationibus ordinatè dicamus, tantisper se ponere oportebit; & hoc priusquam fiat, singulariter ad praxin obseruandum venit, longè aliud esse, de statu aliquo mystico loqui, illumq; pro vt in actus exercitio contingit explicare: & longè aliud esse, de operationibus, quæ conformiter ad statum, (in quo quisq; fuerit) efformandæ sunt, tractare. status enim est tantum propria dispositio generali quodā modo ad annos perseuerans, seu regio quædam mentalis, in qua, & circa quam mysticus, spiritus actiones multo tempore vniformiter vt plurimum, (licet continuò perfectius) instituit: operatio autem est singularis, & quasi momentanea actio, quæ idcircò, quod tam citò perficiatur, nec diu durare possit, aliter, atque aliter pro Hic, & Nunc formari debet:

debet: tamq; subtiliter fit, vt ipsemet practicus, (licet benè litteratus) sæpè illam, vel non animaduertat, vel pro voto benè ordinare non valeat. pari modo singulariter ad praxin obseruandum venit, non pro omnibus statibus operationes in particulari tractatu, positas esse; nam omnes status primæ partis,& status priuationis in secunda parte, operationes suas conformes habent positas in ipsis subdiuisionibus,& deductionibus statuum, pro vt ad longum consequenter explicati sunt: at status vnionis, & Transformationis vtriusq; modi, cum modo supernaturali procedant, in illisque spiritus mystici dispositus, capax,& appetens sit; vt in absconditis Dei consilietur,& minutissima quæq;, ac etiam profunda Dei scrutetur, non in communi; sed in particulari, & ad longum exponere oportuit singulares actiones, pro vt perfectissimè,& ordinatissimè, ad actualem diuinam fruitionem incipiendam, continuandam & vsque ad summa quæq; perficiendam, necessariæ sunt. id quod hucusq;, non tam ex volentis, & currentis desiderij negligentia; quam ex miserentis,& gratiam mysticam nondum tam affluenter dantis defectu, fieri non potuit. hoc enim loco, seu cum mysticus sic potest, sicut vult; vt candidè loquamur, (saltem secundum perfectam viuendi rationem) priùs videtur mystica vita incipere.

Vt itaq; de operationibus particularibus ordinato progressu dicamus, sciendum est; quod cum modi formationis ipsius verbi mystici, seu operationis locutionisue internæ, ad mentis regiones, seu ad sphæras, & dimensiones spiritus, eiusq; diffusas actiuitates; sicut species ad genus,& actus perfectus ad imperfectum, quodammodò referri possint; iuxta ordinarium à magis notis, ad minus nota, procedendi modum, deinceps considerandum esse, qualiter ea quæ supremo,& indicibili modo circa verba mystica contingunt; in imaginatione,& infimo spiritus, tanquam vestigia, particulæ,& diuinæ sapientiæ interpretes, in dimensiones quasdam resultent. Et licet, de his ante statum vnionis loqui non inutile fuisset: attamen cum nos ordinem practicum super omnia seruare statuerimus, eo singula collocamus, vbi commodius in exercitio actus, & obseruari, & intelligi solent; contenti suis locis lectorem ad hæc,& similia remisisse. Hic itaque dicitur.

1. Quod

I. *Quod effectus doni sapientiæ, sint vigiliæ mysticæ, & depurati fundi infatigabiles diuinæ naturæ communiones.*

II. *In statu Transformationis comprimis prosunt industriæ, & articulatæ notitiæ, secundum exactum ordinem ad particulares operationes.*

III. *Quid sit dimensio mystica.*

IV. *Sine dimensionis aliqua similitudine, nec verbo, nec scripto quidquam tractari posse de mysticis.*

V. *Quod loco phantasiæ apud mysticum sint dimensiones Diuinitatis, scilicet latitudinis, longitudinis, sublimitatis, & profundi.*

VI. *Quamdiu sit opus conuersione ad phantasmata.*

VII *De mystico motu circulari recto, & obliquo.*

VIII. *Eiusmodi motuum multiplicatione, digeri vsum habitus, ad sequentem perfectius in charitate radicandum, per statum Transformationis, modi ascendentis.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Quod effectus doni sapientiæ sint vigiliæ mysticæ, & depurati fundi infatigabiles diuinæ naturæ communiones.

NVnc ergò qui *a* pro consuetudine exercitatos habent sensus, & consortium diuinæ naturæ, ceu effectum doni sapientiæ, vitali afficientia, & perseuerantia obtinuerunt; ita vt [Deum *b* per memoriam audiant, per intelligentiam videant, per affectum amplexentur, & attingant:] hi quoque [in memoria effigiem *c* quandam æternitatis habent;] [semper *d* enim, perpetuoque, ac Deiformiter ad Deum, ex quo profluxerunt, aspirant; & semper absque cessatione Deum contemplantur, diligunt, & fruuntur.] sunt enim ipsis interiora ad facilem, & promptam sequelam Spiritus Sancti, vsque adeò gratia sanata, vt ad nutum adstent, ceù [prima *e* principia, quæ sunt naturaliter nota, & absque discursu rationis statim intelliguntur, seu cognoscuntur.]

Apud eiusmodi ergò admodùm iucundè sunt illæ vigiliæ mysticæ, ac depurati fundi infatigabiles diuinæ naturæ communiones; per quas spirituales illorum oculi, ad instar aquilæ interiores dispositiones, operationes, immissiones, incrementi & decrementi vicissitudines, & quidquid eiusmodi est, acutissimè discernunt: omni tempore comprimis apti, vt in abscondita Dei consiliari possint, reali, & secura spiritualis hominis perspicacitate, diiudicantes omnia; an scilicet sursum, vel deorsum, sinistrorsum, vel dextrorsum, sit eundum, an ad ea quæ anteriora sunt se se extendere, an verò eorum, quæ retro sunt, obliuisci debeant. quo ita [bonum *f* aut malum ex seipsis Dei imitatione iudicantes diuinæ sint

a *Hebr. 5.* b *Richard. l. 4. Cont. c. 15.* c *S. Bonau. itin. ment. c 3.* d *Taul.* e *S. Thom. opusc. 13.* f *S. Dion. de Eccl. Hier c. 4.*

suauissimi, iucundissimique odoris, imagines]

Nec verò tantum [vigilijs mysticis Deus *a* admirabili nouitate animam mouet] quandò à somno liber est; sed etiam subindè cum quiete, & somno sensus ligatos habet. nam [ex parte *b* illa qua anima à supernis accipit, per somnium non ligatur; imò magis libera redditur, quanto fit à corporalibus curis magis absoluta: & ideò ex influentia superni luminis, aliqua de futuris percipere potest dormiens, quæ vigilans scire non potest. ex parte autem illa, qua à corpore recipit, oportet quod ligetur quantum ad vltimum iudicium, & completum, ligatis sensibus, à quibus eius cognitio initium sumit; quamuis eius etiam imaginatio non ligetur, quæ in mente species rerum ei submistrat.] [in cognitione *c* enim duo sunt consideranda: scilicet receptio, & iudicium de receptis. quantum ad iudicium, potior est vigilantis cognitio, quia est liberum, iudicium dormientis verò ligatum sed quantum ad receptionem, cognitio dormientis est potior; quia quiescentibus sensibus interiores impressiones magis recipiuntur, siue sint ex substantijs separatis, siue ex corporibus cœlestibus. & sic potest intelligi illud Num. 24. de Balaam, qui cadit scilicet dormiendo, & sic aperiuntur oculi eius.] licet ergò quiescat corpus, vigilat tamen animus [qui frequenter *d* in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda pronuntiat.] [homines ergò *e* dormientes, & ecstatim patientes, sublimiori quodam modo intelligunt, quia sunt inter tempus, & æternitatem.] [in somno enim ligatis sensibus exterioribus, interiores vires qua, si quietæ ab exteriorum *f* sensuum tumultibus, magis percipere possunt interiores impressiones factas in intellectu, & imaginatione ex illustratione diuina, vel Angelica.] sic etiam mysticus meretur in somno ex libero arbitrio, aliqualiter saltem; cum in somnis possit esse liberum arbitrium licet [absque *g* completo motu;] in quantum ergò inchoatus erit motus, in tantum merebitur; vt etiam *h* infra dictum est. cum itaque donum sapientiæ modi supernaturaliter operandi in statu transformationis infatigabili distributione præstantis mystici animum illustret; & quasi ignitos imbres eloquij diuini emittat, consequenter dicendum erit, quanta industria opus sit, vt in operationibus quodammodò infinitis, ordinatè procedatur;

In statu Transformationis comprimis prosunt industriæ, & articulatæ notitiæ, secundum exactum ordinem ad particulares operationes.

ARTICVLVS SECVNDVS.

SAcrorum [*i* sapiens disciplina, & scientia, primum quidem eos diuinorum

a *Ioan. à Cruc. Flam. Amor. Cant. 4. v. 1. de Veritat. q. 12. a. 3. ad 1. & 2.* d *S Damasc. l. 4. c. 15.* e *S. Thom. cont. Gent. l. 2. c. 81.* f *Et in fol. ad 2.* g *1. 2. q. 113. a. 5. ad 2.* h *Dec. 6. a. 16.* i *S Dion. de Eccl. Hier. c. 3.* b *S. Thom. 4. sent. d. 9 q 1. a. 4. ad 2.* c *S. Thom.*

rum scriptorum quæ formandi, vitæq; dandi vim habet, cibo, qui instituendo & introducendo valet, fouet: cum autem eorum naturam ad diuinum ortum absoluit, tum denique vtiliter eis ordine concedit aditum, ad ea quæ illustrant, & perficiunt.] & ideò quamuis nullus sit status, in quo non habeantur aliqui modi, & industriæ humanæ, aut agendi, aut patiendi, aut quomodolibet sese habendi; nunquam tamen hoc ipsum magis ordinatè, perfectiorique realitate contingit, quam in hisce vigilijs mysticis, in quibus spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei. nam in præcedentibus statibus, *a* frustra existimabat vt cognosceret hæc, sed labor erat ante se: donec hoc loco intret *b* in sanctuarium Dei, & intelligat in nouissimis eorum. tum enim in absconditis suis consiliabitur, spiritu sapientiæ repletus: vt hoc [dono *c* cognoscat altissimam causam per quam possit iudicare de omnibus.]

Et quia nonnulli [omnibus diebus *d* vitæ suæ cum habitu religioso, in suis proprijs persistunt institutis; ita vt vbi in his consueuerint, nesciant adhuc quo in statu res suæ sitæ sint: & si Deum non sentiant, non admodum curent, & id putent esse resignationē; cum potius sit dissoluta quædam, & remissa negligentia; atque interim alia se ipsorum interioribus insinuent, siue id ipsi sint, siue aliquid suum, & Dei locum occupent in eis.] interea verò obseruationes internas vt spiritus quieti (verè autem ipsorum falso otio) aduersantes, reijciant, nec prorsus admirabilem spiritus nostri actiuitatem suaui modo cohibendam, & ordinandam esse, obseruare velint: vtilè videtur hoc loco, quid viri maximè spirituales de industrijs mysticis sentiant, audire. & primò quidem Richardus [tres *e* gradus contemplationis constituens quamplurimum industrijs concedit. Primus, inquit, surgit ex industria humana, tertius ex sola gratia diuina, medius autem ex vtriusque permixtione, humanæ videlicet industriæ, & gratiæ diuinæ. In primo gradu quasi Arcam nostro labore fabricamus, quando contemplandi artem nostro studio, & industria comparamus. In secundo gradu Arca supportantium humeris subleuatur, & quasi præcedentis nubis vestigia sequitur, cum industria satagente, & reuelationis gratia cooperante, & quasi præeunte, contemplationis radius dilatatur. In tertio gradu Arca in Sancta Sanctorum infertur, & quasi intra velum collocatur, quando contemplationis acumen ad intimum mentis sinum colligitur, & ab exteriorum memoria, obliuionis & alienationis velo secluditur.] Rosbrochius præterea [principium, inquit, *f* seu originem suam vndè profluxit, iugiter contemplabitur, atque in ipsam totis viribus redire nitetur; denique quid sit, vbinam sit, vndè venerit, quo prola-

a *Psalm.72.* b *Eccl.39.* c *S.Thom.22.q.9.a.2.* d *Taul.in fest. S. Laurent.serm.vnic.* e *l.5 Cont.c.2.* f *In summ.vitæ spirit.*

pſus ſit, quo mox vocandus ſit, quid agat, aut qua de cauſa quæque agat, ſagaciter attendens, in virtute atque veritate ad vltimum vſque ſpiritum conſtantiſſimè perſeuerabit. rurſum etiam, *a* inueſtigare, & explorare conatur, quidnam obſiſtat ſibi, quo minus, neque in Deo, neque in ſeipſo conſiſtere, aut durare queat; ſtatuit ergò à ſummo vſq; deorſum totum perluſtrare, ac perſpicere animæ ſuæ regnum, & hic rationis magna eſt celeritudo pro aſcenſu. cernens autem *b* nihil ſe proficere, vel conſequi, ſed ſemper omnem perdere operam, & conatum, iam ſublimis memoria de toto animæ regno cogitat: ſi quid in eo vſpiam deſit, quod diſponi, ordinari, regique oporteat, quamobrem duos mittit nuncios deorſum in animæ regnum; quorum vnus, eſt ratio diuina illuminata ſapientia; alter, eſt agilitas, ſeu celeritudo acta, & impulſa, tum à Patris contactu, ſiue inſtincto, tum ab amoris in anima exiſtentis æſtu.]

Accedit his Taulerus dicens [in expedita, *c* & libera ſui in fundum introuerſione aperiuntur, atque oſtenduntur homini viæ, & modi, quibus pertingatur ad Deum: intelliguntur etiam viæ, ac modi Dei ad hominem, quantoq; magis ab omnibus expeditur, & liberius introuerſus eſt homo: tantò veriùs, lucidiusq; has vias cognoſcit. quiſquis autem vel in ſeipſo, vel in aliquo alio iſtam gratiam minimè reperit, nouerit ſe hanc viam, vel aliam non tenuiſſe: id eſt, non locum, nec tempus, nec otium illi præbuiſſe, non etiam quęſiiſſe eam intus.] maiori dein inſtãtia ſimiles induſtrias proſequitur; dicens: [certo quiſq; ſcire, atque *d* veraciter ſentire debet: quia vera ſciẽtia ſi quis prædituſ non ſit, quærat ex Sanctis, & prudentibus hominibus, vt certò ſciat, non autem opinione ducatur. & paulò poſt; debet igitur in hac vita hoc noſtrum eſſe exercitium, vt plus aſſequamur eſſentiæ, & magis, ac magis ad perfectionem accedamus; quamobrem qui modò viam viriliter perruperunt, ac penetrarunt, quique ſeipſos ſupra tempus, benè ſuſtollere norunt, omnemque vitam ſuam ordinarunt ad Deum, & familiaritatem capeſſendam, & iuxtà illius inſtituerunt beneplacitum, & voluntatem, hos eo minus temporalia quæque, & quæ à tempore accidunt, diſpergunt, diſtrahunt, multiplicant, impediunt. quantò enim mens intus in Deo fixa eſt; tantò in omnibus, quæ agunt, tranquilliores, ordinatiores, & immobiliores ſunt, minuſque intricantur, ac impediuntur.]

Harphius idem confirmat; cui [amor otioſus *e* eſſe non poteſt. ſed ſcitu, pariter, & guſtu ſcrutari nititur inſcrutabiles diuitias in ſuo fundo viuentes; & tunc virtus intellectiua propè remanet ſedens ſub vmbra illius, quem deſiderabat.] anima enim noſtra eſt tantum felix [ſecũdum eſſe *a* actuale,

a *De Regn amant. Deum c. 25.* b *Ibidem.* c *Taul. ſerm. 1. in Feſt. S. Laur.* d *Ibidem.* e *Lib. 3 p. 4. c. 29.*

le, quod in operibus perfectionis, vel etiam in operositate perfecta virium suarum initium sumit. hoc etiam esse, est quædam adornatio, & perfectio essentiæ ipsius animæ : non enim anima nostra à Deo facta est, vt velut truncus insensibilis, otiosa quædam substantia, sine omni operatione permaneat, sed vt opera viuida perficiat. Et in hoc esse actuali magis propriè vera nobilitas animæ consistit, quam in esse suo essentiali: quia propriè secundum esse suum actuale, facta est ad imaginem, & similitudinem Sanctissimæ Trinitatis.] Gersonius *b* autem tantum tribuit industrijs mysticis, vt totam suam Theologiam practicam duodecim industrijs comprehendat. sic & Canseldt noster in supremis etiam operationibus *c* subtilissimas industrias requirit.

Horum porrò doctrina, in Sancto Dionysio fundatur, qui sentit [non *d* esse diuinarum rerum, quæ contingere possit, negligendam scientiam. atque in hanc nos scientiam adduxerunt, nõ solum mentium appetitus, qui à natura tributi, amanter semper cupiunt rerum præclararum, quæ esse potest, cognitionem, & scientiam; verùm etiam ipsa diuinarum legum optima præscriptio : quæ ea quidem quæ supra nos sunt, ne curiosiùs exquiramus, vetat; quod & merita nostra superent, & comprehendi non possint. ea autem omnia, quæ nobis permissa, & concessa sunt, tum diligenter discere iubet, tum benignè cum alijs communicare.] & alibi *e* [si quis posset, inquit, pulchritudinem, & dignitatem, quæ intus latet, aspicere, is mysterij plena, & diuina, magnique, ac Theologici luminis plena inueniet omnia : sed hæc solis viris sanctitatis studiosis, & amatoribus aperiuntur] nimirum quia indagationem perfectam, in solis supremis, consequitur quis statibus.

Et certè cooperationes, & industriæ humanæ omninò videntur necessariæ. hæc *f* est enim [differentia inter Angelum, & hominem, quod Angelus simplici apprehensione veritatem intuetur; homo autem quodam processu, ex multis pertingit ad intuitum simplicis veritatis. sic ergò vita contemplatiua, vnum quidem actum habet, in quo finaliter perficitur, scilic. contemplationem veritatis, à quo habet vnitatem; habet autem multos actus quibus peruenit ad hunc actum finalem : quorum quidam pertinent ad acceptionem principiorum, ex quibus procedit ad contemplationem veritatis. Alij autem pertinent ad deductionem principiorum, in veritatem eius cuius cognitio inquiritur. Vltimus autem contemplatiuus actus est, ipsa contemplatio veritatis.] quod autem [intellectus noster *g* singulas res per singulas species proprias cognoscat, & potentiam cognoscat pro vt est in potentia,] hoc non tantum est ex natura conditionis

a *Ibidem c.24 p.3.* b *Theol.pract.in Prol.* c *De volunt.Dei 3 p.c.3.* d *S Dion de diu.nom. c.3.* e *Epist.ad Tit.* f *S.Thom.2.2.q.180.a 3.c.* g *L.1 cont.gent.c 71.*

humanæ, sed etiam vt penitiùs singulares actiones, & cognoscat, & regat.

Est ergò industria humana quasi *a* [purgatio, illuminatio, perfectio, quæ est diuinæ scientiæ assumptio] quę quidem *b* [scientia est donum Dei, quo homo certum, & rectum iudicium habet de rebus diuinis, ac etiam *c* humanis, vel creaturis, quatenus de ijs per altissimam causam iudicatur.] ea propter per sapidam hanc scientiam, discit mysticus quæcunque sunt abscondita, & improuisa status, & instantaneæ vicissitudinis internæ; cum in illa *d* sit spiritus intelligẽtiæ, sanctus, vnicus, multiplex, subtilis, discretus, mobilis, incoinquinatus.

Tandem tot, quot à scriptoribus mysticis, doctrinæ, distinctiones, regulæ, instituta, seu documenta præscribuntur, & quidquid in ipsis legitur, aut cognosci potest; semper aliquem modum ab hoc, vel illo differentem exponit, & astutiam, siue industriam quandam aperit. est enim sapientia thesaurus *e* desiderabilis in ore sapientis; stultus autem deglutit eam. quasi diceret: sicut cibus in ore masticatur, comminuitur, & vti à meliori, aut ignobiliori discrepet, degustatur: ita diuinæ naturæ consortium, à studioso mystico ruminatur, examinatur, erigitur, vel deprimitur, sinistro, vel dextro lateri adstare animaduertitur. stultus autem, & qui generali conuersione quoduis Deum, aut sensibilem amorem redolens, quasi integrum, & indifferenti intuitu arripit; in absconditis diuinis consiliari nescit, nec pretiosum à vili separare nouit.

Cæterum quod impossibile sit, continuò vniformiter in mysticis operari, quodque indies alia, atque alia animaduertentia, & industria opus sit, quo ita plenè, perfectęque in Nunc instanti, &, vt ita dicam, toto se in Deo, & agat, & agatur; ex eo vel maximè prouenit; tum quod verbum nostrum, de quacunque tandem re instituatur, non semper sit formatum, quodque citiùs, vel tardius; & pro conditione discursus, & cogitationis intermediæ *f* formetur; tum quod [anima perueniens ad vniformitatem Angelorum, tum demum *g* promoueatur ad coniunctionem primæ veritatis;] tum quod mens in vno actu amoris continuato, nõ diu duret; variatione enim, & mutatione naturaliter delectatur, & non varia vix percipitur ab operante, & nec delectat, nec animum quietat. ideò etiam amor, vel accenditur, vel renouatur, vel per nouos actus exercetur.

Sicut ergò circa gratiam gratum facientem, operandum est etiam secundum gratiam præuenientem, concomitantem, & subsequentem; ita quoque in fruitionibus internis considerandum venit, cum alia, atque alia sit operatio fruitionis, pro vt incipit, proficit, & perficitur, & pro vt ad has facilè, vel difficulter pertingitur, ac insuper, pro

a *De verit. q. 26. a. 1.* b *22 q. 9. a. 1.* c *& a. 2.* d *Sap. 7.* e *Prou. 21. vt sept. Int.* f *Hier. per totum.* g *S. Dion. de diu. nom. c. 4.*

pro vt diu, vel modicum durat, alta, vel infima complectitur; quorum quidem obseruatio, (eo fine vt magis conformiter interioritas instituatur) industria quædam est. Et quia [quantò humanus intellectus est altior, tantò ex *a* paucioribus plura cognoscit,] & [ex hoc quod aliquis habet alicuius scientiæ habitum, ex ipsa præsentia *b* habitus est potens percipere illa, quæ subsunt illi habitui,] hinc [excitatus cum reuerentia motus cordis se quasi per distincta *c* verba explicat, dum sese per innumeros modos admirationis formar,] ita vt quantò plura intellecta actu in fece nobis fecerit tantò perfectius intellectus agens continuetur in nobis;] & eiusmodi [industria *d* iuuabitur contemplatio, vt separetur homo ab omni eo, quod Deus non est, etiam à seipso.] non enim [hæc visio inquietam *e* curiositatem excitat, sed sedat.] sic namque essentia cuius odoris suauitas mentem superat ab igneis, mundissimisque mentibus, sursum ferri cognitionis causa vult, diuinosq; afflatus suos in beatissimis illis diuisionibus & effusionibus ijs largitur, [qui ipsam *f* ita excellenti modo excitant.] Iam verò ex dictis cum satis colligi possit, industrias mysticas pro instituenda, & continuanda fruitione omninò necessarias esse; consequenter dicendum erit, vndè, & quomodo similes industriæ formari possint,

Quid sit Dimensio Mystica.

ARTICVLVS TERTIVS.

VT ergò ordinatè, industriæ ex mysticis vigilijs exurgentes, ad actus exercitium deducantur, & fruitioni diuinæ continuandæ inseruiant; oportet altissimas, & summè spirituales mentis perceptiones, & transformantia diuinæ naturæ consortia, in [primum *g* principium nostræ cognitionis, quod sensus est quodammodo resoluere;] vt omnia de quibus iudicamus, & certò, & ordinatè discamus intelligere. hinc [mens nostra tanquam *h* mensura dicitur, eo quod alia omnia metiatur dans singulis formam, & pondus suum, cunctaque distribuat, atque partiatur;] atque ita in imaginatione Empedoclis de Dei infinitate resultabat dimensio sphærica cum diceret: Deus est circulus, cuius centrum est vbique, circumferentia nusquam. sic etiam dicitur. [Deus magnus, *i* Paruus, Idem, Similis, Dissimilis:] imò etiam iuxta Apostolum habet *k* latitudinem, longitudinem, sublimitatem, & Profundum. quæ quidem, & similia nomina de Deo, licet [quantum ad modum *l* significandi deficiant: tamen, quantum ad significatum substantiale, vera sunt, & verum dicunt.]

Infinita ergò illa, & interminabilis diui-

a *S. Tho. l. 2. cont gent. c. 98.* b *q. 10. de ment. art. 8. c.* c *Greg l. 2. mor. c. 5.* d *S. Bonau. ser. 2. de Lum Eccl.* e *Idem 7. Itin. in prol. d. 5. & Bern ser. 23 in Cant.* f *S. Dion. de Eccl. Hier c. 4.* g *S. Thomas q. 12. de verit. a. 3. ad 2.* h *Taul. Dom. 13. post Trin. ser. 2.* i *S. Dion. de diu. nom. cap. 9.* k *Ephes. 9.* l *S. Thom. 1. p. q. 13. a. 2. & a. 3. c.*

diuinæ essentiæ perfectio, cum in mente purissimè illuxerit, sui aliquam similitudinem imprimit, quæ vbi ad imaginationis infima descenderit, dimensionis alicuius imaginem subit. [magis enim vniuersalia, *a* & communia, sunt priora in nostra intellectuali, & sensitiua cognitione.] Vndè & dici potest, Dimensio mystica est particula, vestigium, seu interpres notitiæ diuinæ in imaginatione resultans. quod sit dimensio quædam, hoc commune est ad res omnes finitas; at quod diuinæ naturæ sit repræsentatio infima, nostram descriptionem respicit. ita vt reuera [sint *b* ea quæ videntur, eorum quæ sub aspectum non cadunt, certæ, claræque imagines.] ordine itaque retrogrado, id quod de Deo, & communicatione primi boni in hac vita accipitur, in infima potentia substantiæ spiritualis, habet imaginem spatij, & circumferentiæ cœli cœlorum, aut alterius alicuius situs, vel dimensionis; in intellectu agente speciem intelligibilem, in intellectu patiente verbum mentis, & rationem rei cognitæ; in Transcendentia autem intellectuali, seu amatiua parte, simplex bene-affici.

Sunt ergò dimensiones mysticæ, [sensus *c* amoris diuini, & quędam particulæ rationis, ac sapientiæ,] quæ loco phantasiæ exemplari, & *d* vmbræ deseruiunt futurorum. quo ita [hominis cognitio *e* à sensu oriatur] [etiam in ijs quæ *f* sensum excedunt,] eiusque ratio per signa veritatem colligat, ac etiam vt terminus creaturarum, primo rerum principio vniatur; & quadam circulatione perfectio rerum concludatur.] quam autem ad praxin hæc sint scitu necessaria, magis constabit ex sequentibus;

Sine dimensionis aliqua similitudine, nec verbo, nec scripto quidquam tractari posse de mystico.

ARTICVLVS QVARTVS.

IPsa causa prima cum sit omni *g* narratione superior, nec aliquid sufficiat ad narrationem eius, propter magnitudinem esse ipsius [*h* vnum ipsum id quoque, quod incognitum est, quod est essentia superius, *i* bonum ipsum quid verè sit, trinam vnitatem dico, quæ vna Deus est; & simul bonum, nec dici potest, nec cogitari neque eius sensus est vllus, neque visio, neque opinio, neque nomen, neque oratio, neque tactus, neque scientia: difficilisque diuinorum nominum tractatio.] & ideò [de rebus *k* simplicibus loqui non possumus, nisi per modum compositorum, à quibus cognitionem accipimus; & de Deo loquentes vtimur nominibus concretis, vt significemus eius substantiam. quia apud nos non subsistunt nisi composita, & vtimur nominibus

a 1.p.quæst.85.a.3.c. *b* S.Dion.Epist.ad S.Ioan.Apost. *c* S Dion.de diu.nom.c.7. *d* Hic a.5. *e* Hebr.8. *f* S.Thom.cont.gent. *g* Ibid.l.1.c.12. *h* Aristot.in lib.de cau. *i* S.Dion.de diu.nom. c.1. *k* S.Thom.1.p.q.3.a.3.ad 1.& 3.Bonau.3.Itin.cap.d.5.

minibus abstractis, vt significemus eius simplicitatem. quæ quidem diuersitas ex parte intellectus nostri, & non ex diuersitate rei fit.] sic etiam [spiritualis *a* amœnitas (qua anima sic vnitur Deo) vt sit nec volens, nec valens, aliud sentire nisi Deum, non potest per aliquas imaginabiles describi similitudines, nec per sensibilium depingi comparationes : quia purè spiritualia tantum differunt à sensibilibus, sicut & spiritus à corpore.] hæc tamen difficultas maximè spectatur [circa operationes interiores *b* in affectu, quæ non ita clarè proferuntur, nec ita possunt scriptis tradi, sicut sentiuntur. atque hæc est ratio, quare Apostolus dixit, se audiuisse arcana verba, quæ non licebat homini loqui: quoniam illa minus poterat tradere.] hinc ergò [mihi *c* propè semper sermo meus displicet: melioris enim auidus sum, quo sæpè fruor interiùs, antequam eum explicare verbis sonantibus cœpero. quod vbi minus, quam mihi notus est, eualuero, contristor linguam meam cordi meo non posse sufficere. Totum enim quod intelligo, volo; vt, qui me audit, intelligat: at sentio me non ita loqui, vt id efficiam: maximè, quia ille intellectus, quasi rapida coruscatione perfundit animum : illa autem loquutio tarda, & longa est, longeque dissimilis.] [pergat autem quis forsitan quærere à me, etiam verbo, quid *d* sit? scilicet, quod in spiritu de Deo maximè sublimiter percipitur; respondeo, quærat potius expertum, à quo id quærat. Aut si & mihi experiri daretur, putas me posse eloqui, quod ineffabile est? Audi expertum: siue inquit, *e* mente excedimus, Deo: siue sobrij sumus, vobis: hoc est, aliud mihi cum Deo solo arbitro: aliud vobiscum mihi illud licuit experiri, sed minimè loqui: in hoc ita condescendo vobis, vt & ego dicere, & vos capere valeatis.]

Quapropter [diuinæ scripturæ, *f* vt inferiorum speculationi alludant, & humanæ fragilitati condescendant, res inuisibiles, per rerum visibilium formas describunt; & earum memoriam, per quarundam specierum concupiscibilium pulchritudinem, mentibus nostris imprimunt. Hinc est, quod nunc terram lacte, & melle manantem, nunc flores, nunc odores nominent: nunc per cantus hominum, nunc per concentus auium, cœlestis gaudij harmoniam designent. legite Apocalypsim Ioannis, & inuenietis Ierusalem ornatam per aurum, & argentum, & margaritas, & alias quaslibet gemmas multipliciter descriptam. Et scimus, quod horum quidem ibi nihil sit: vbi tamen omninò nihil deesse potest. Talium quippè nihil est ibi per speciem, vbi tamen totum est per similitudinem.] [cum enim *g* omnis cognitio fiat per aliquam similitudinem,] [sensibilis

a S. *Bonau. proces. Relig. 7. l. 2. c. 72.* b *Gers. Theol. spec. cons. 6.* c *S. August.* d *S. Bern.* e *2. Cor. 5. 13.* f *Hugo Vict. serm. de hom. inter.* g *S. Thom. Cont. Gent. lib. 2. cap. 63.* h *Ibid. lib. 3. cap. 53.*

cognitionis nomina ad intelligibilium cognitionem transumimus, præsertim visus.] & eo sensu *a* [in interiori homine sua quædam terra, suum habet cœlum; nec vnum tantum, sed secundum post primum: & tertium post primum, & secundum. Et vt hoc triplex cœlum congrua possimus distinctione discernere, primum dicatur imaginale, secundum rationale, tertium intellectuale. Tenet itaque imaginatio vicem primi cœli, ratio secundi, intelligentia verò vicem tertij. Et horum quidem primum, cæterorum comparatione, grossum quiddam, & corpulentum, & suo quodam modò palpabile, atque corporeum; eo quod sit imaginarium, atque phantasticum, post se trahens, & in se retinens formas, & similitudines rerum corporalium. reliqua verò duo huiusmodi comparatione admodum subtilia, & omninò incorporea, & ab eius crassitudine multum longinqua. sic sanè cœlum hoc exterius, quod nos dicimus firmamentum, absque vlla dubitatione constat esse visibile, atque corporeum, & ipsum quidem primum, & omnium infimum. Quod autem est terra ad hoc visibile cœlum, hoc est sensus corporeus ad illud internum phantasticum, & imaginarium cœlum. Nam sicut hoc visibile cœlum, omnium quæ terra gignit, atque nutrit, multitudinem, sinus sui magnitudine comprehendit: sic omnium, quæ sensus attingit, appetitus suggerit, similitudines intra sinum suum imaginatio includit. In primo itaque cœlo comprehenduntur omnium visibilium imagines, & similitudines; ad secundum verò pertinent visibilium omnium rationes, definitiones, & inuisibilium inuestigationes: ad tertium autem spectant spiritualium ipsorum, etiam diuinorum comprehensiones, & contemplationes.] [intelligimus etiam Deum intra *b* omnia, sed non inclusum: extra omnia, sed non exclusum: & ideò interiorem, vt omnia contineat: ideò exteriorem, vt incircumscripta magnitudinis suæ Maiestate omnia concludat.]

His itaque positis clarum est, nihil nec scripto, nec verbo de mysticis dici, aut tractari posse, secundum illam quam in spirituali perfectione habent existentiam; sed tantum prout illarum eminentia, ab intelligibilibus, & sensibilibus formis, ac imaginibus eleuata, vsq; ad inferiores rerum sensibilitates diffluit afficit, rerum similitudines ac imagines producit, & existere facit: Vndè etiam] rudiora spiritualia tantum, scripta sunt, tum quod vulgus (perfecta) *c* non capiat;] tum quod verbis humanis, & rebus materialibus magis, quam spiritualibus substantijs proprijs vti oporteat, intellectus quippè noster propter nimium sensuum, sensibilium commercium, in hac vita ad intelligibilia pura sit ineptus. ideò prudentes Theologi sensibilibus quibusdam, & his quidem honestioribus intelligibilia vestiunt, ita demum intellectui nostro magis accommodata: qui lumen intel-

a Richard. l. 3. de Cont. c. 8. *b Isid.* *c Taul. Instit. c. 32.*

intelligibile ita temperatum, tam facilè cernit, quam oculi lumen quodlibet in corporibus vident quodammodo solidis, alioquin minimè discernendum; demum ita intellectus temperatur; sicut sol ipse, qui alioquin tolerari non potest.

[Quicunq; *a* ergò aliqua cognoscit intellectuali lumine, quod est ei effectum quasi connaturale, vt forma in eo consistens; oportet, quod de eis fixam cogitationem habeat: quod esse non potest, nisi ea inspiciat in principio, in quo possunt cognosci; quamdiu enim non fit resolutio cognitorum in sua principia, cognitio non formatur in vno; sed apprehendit ea quæ cognoscit secundum probabilitatem quandam.] cum autem cognitio nostra à sensibilibus incipiat [(obiectum enim intellectus nostri est, quod quid est in materia existens,) oportet vt in traditione eorum, quæ purè intelligibilia sunt, in sensibilia, vtpotè cognitioni nostræ viciniora, resoluantur. & ideò etiam [de Deo non nisi balbutiendo *b* loqui valemus,] & in diuinis explicandis, [elementis *c* syllabis, verbis, scriptis, sermonibus; sensuum causa vtimur. Quia [impossibile *d* est lucere nobis diuinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumuelatum;] scilicet [quantum ad primam *e* intellectus informationem. iuxtà illud Philosophi, intelligentem oportet phantasmata speculari.]

[Sanctæ tamen diuinæque *f* generationis perfectio, vt in signis posita, nihil in se deforme, aut fœdum continet, vel earum imaginum quæ sensu percipiuntur, sed diuinæ contemplationis naturalibus, digniſque nominibus speculis adumbratas obscuritates. sunt enim ea, quæ sensu percipiuntur, eorum quæ animo cernuntur imagines, & ad ea via. & introductio: ea autem quæ ratione intelliguntur, eorum hierarchiæ, quæ sub sensum cadunt principium, atque scientia.] sicut & [quæ sub *g* sensum cadunt interpretes sunt earum proprietatum, quæ ratione intelliguntur.] Quod cum ita sit, & quælibet, quantumcunque etiam sublimis nostra cognitio, vsque ad sensibilia naturaliter se dimittat, omnis industria, & praxis facilitas, tam circa seipsum, quam circa alios, in eo versari videtur; vt superexcedentes illæ intellectus cognitiones, etiam mente superiores, pro vt in visibilium imagines, dimensiones, seu sphæras quasdam resultant, dijudicentur, & discernantur: ne dum secundum spiritum procedendum est, aliquis fundo se includat, aut dum deorsum eundū est, sursum eatur; si sinistrorsum, dextrorsum pergat. de his porrò, & similibus pro ampliori notitia, latiùs consequenter dicendū erit,

a *S. Thom. de Proph. q. 12. a. 1. c.* b *S. Greg. Moral. l. 5. c. 16.* c *S. Dion. de diu. nom. c. 4* d *Idem de Cœl. Hier. c. 1.* e *Dion. Carth. in Comment. myst. Theol. a. 2.* f *S. Dion. de Eccl. Hier. c. 2.* g *Ibidem.*

Quod loco phantasiæ apud mysticum sint dimensiones Diuinitatis, scilicet latitudinis, longitudinis, sublimitatis, & profundi.

ARTICVLVS QVINTVS.

IAm verò cum intellectus noster sine imagine aliqua, dum per intellectum agentem, & ordinario modo procedit, (in initio saltem operationis) intelligere nequeat; eiusmodi [sacra *a* signa, non fortuitò, temerè, & casu confundenda sunt: sed explananda congruenter causis, & essentijs, aut facultatibus, aut ordinibus, aut dignitatibus earum rerum, quarum sunt interpretes, indicesque imagines.] vndè cum Paulus sublimissimam, quam de Diuinitate habebat notitiam, alijs communicare vellet, [flecto, *b* inquit, genua mea, ad Patrem Domini nostri IESV Christi, vt scilicet in charitate radicati, & fundati, possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum.] atque ita immensum dimensionibus metitur, infinitum finitis lineamentis describit. quia nimirum [id *c* quod est simplex, & vnum, non potest repræsentari, nisi per multa.] sic [Diuina *d* Essentia res vna cum sit, est tamen latitudo propter charitatem, longitudo propter æternitatem, sublimitas propter maiestatem, profundum propter sapientiam.] vel [latitudo diuina *e* dicenda est immensa Dei ad omnia perfectio: longitudo autem vis, quæ ad omnia pertinet: profundum verò obscuritas, & ignoratio, quæ à rebus omnibus comprehendi potest.] & eiusmodi planè dimensiones, apud mysticum sunt loco phantasiæ: ceu [sensus, qui sint *f* interpretes rationis,] habentes *g* particulam quandam sapientiæ,] in tantum, vt sicut naturali ordine, intellectus non potest intelligere, nisi per conuersionem ad phantasmata; ita quoque mysticus, cum ex toto ad nouam aliquam formationem procedit, necessariò in imaginatione aliquam dimensionis similitudinem, (vt tenebras in quibus Deus posuit latibulum suum) vsque ad eius, & desertionem, & transcendentiam, patiatur. & ideò in initio operationis, [omnis cognitio *h* fit per modum similitudinis;] ita vt licet [cum diuinitus *i* aliquid raptim, & veluti in velocitate coruscì luminis interluxerit menti, spiritu excedente; siue ad temperamentum nimij splendoris, siue ad doctrinæ vsum: continuò tamen (nescio vndè) adsint imaginariæ quædam rerum inferiorum similitudines, infusis diuinitus sensibus conuenienter accommodatę, quibus quodāmodo obumbratus purissimus ille, ac splendidissimus veritatis radius, & ipsi animæ tolerabilior fiat,

a S. Dion. Epist ad Tit. b Ephes. 3. c S. Thom. 1 p. q. 3. a. 3 ad 2. d S. Bern. l. 5. de consc. c. 13. e S. Dion. de diu. nom. c. 9. f S. Dion. de diu. nom. c. 7. g de Eccl. Hier. c. 2. h S. Thom. l. 2. Cont. Gent. c. 98. i S. Bern. serm. 41. in Cant.

fiat, & quibus communicare illum voluerit, capabilior.]

[Similitudines *a* itaque diuino lumine illustratæ, habent rationem speculi:] in quo, quæ eminenter sunt intelligibilia, alta, summa, & abscondita; vt vestigia, & particulo diuinæ sapientiæ sub dimensionibus quibusdam videntur. Sunt autem eiusmodi dimensionis similitudines, idcircò loco phantasiæ; quia in modo supernaturaliter operandi, ad exercitium actus, nec sensus, nec quæ à sensibus abstrahuntur, quidquam conferunt; sed id quod eminenter de Deo in supremo modo cognoscendo occulitur, hoc ex abundanti lumine proportionatè ad imaginationem dilabitur, & immensitatem Nunc æterni in harum, & similium aliquam similitudinem, sphæram, seu cœli amplitudinem resoluit. & sic tales dimensiones, ceu [phantasmata *b* in imaginatione hominis formantur diuinitus, magis exprimentia res diuinas, quam ea quæ naturaliter à sensibus accipimus.]

Diuersæ autem, & plures inueniuntur similes dimensiones; quia [ad comprehensionem *c* totius entis requiruntur plures similitudines.] cum enim [humanus intellectus *d* Deũ nequeat, vt est, cognoscere; sic sub diuersis rationibus, multas sibi de ipso propositiones veras format.] de diuinitate quidem, quod sit quædam latitudo, eo quod latè, & absque vllo defectu, ad omnes SS. Trinitatis personas æqualiter sese diffundat; de Patre æterno autem, quod sit quædam longitudo, eo quod in longitudine dierum, & duratione æterna, filium sibi æqualem generet; de Filio verò, quod sit quædam sublimitas, figura, & substantia Patris in sublimitate dexteræ eius collocatus; de Spiritu S. tandem, quod tanquam ab vtroque procedens, pondus quoddam sit amoris vtriusque, ex profundo actionum, & operationum ad intra procedens.

Et licet interea, in imaginatione repræsentetur Deus, velut quantum, figura, aut colore præditũ; iudicat tamen intellectus eiusmodi nihil in substantias contineri; sed meliorem illas habere naturam, eamque spiritualem. Vndè etiam hæc non contingunt secundum virtutem superiorem, & pro vt in exercitio actus, omnem negationem, & affirmationem transcendit, & supra virium operositatem Deo vnitur, sic enim similibus non intendit: sed pro vt in inferioribus versatur, & sese ad operationes disponit. quæ quidem [inferior *e* virtus licet se ad plura extendat, tamen multiplicata minus intelligit:] sicut è contra [virtus *f* superior, licet ad plura se extendat, est tamen vnica.] & sic demum [hæc est illa quadruplex regio, videlicet Orientalis, Occidentalis, *g* Aquilonaris, & Meridionalis, quam tu ô anima debes quotidiè peregrinando intrare, & tuum dile-

a *S. Thom. 2.2 q. 173. a. 1.* b *1. p. q. 12. a. 13. c* c *Lib. 3 cont. Gent. c. 75.* d *1. p. q. 13. a. 12.* e *L. 1. cont. Gent. c. 65.* f *Ibidem.* g *S. Bonau. in prol. Soliloq.*

ctum specialissimum in ea speculando quærere, & inuestigare:] [*a* ante tamen elaboratis typicorum signorum simulacris.] ita vt imaginatione benè ordinata, dein citò deseratur, & ad puras operationes liceat transire; quod vt ordinatè fiat, consequenter dicimus;

Quamdiu sit opus conuersione ad phantasmata.

ARTICVLVS SEXTVS.

EXpositis sensibus mysticis, & cœlestium vmbris, iam videndum est, quamdiu his sensibus loco phantasiæ, aut conuersionis ad phantasmata, vtendum sit; vt dein ilicò perfectioribus diuinis similitudinibus informetur [memoria enim habens effigiem æternitatis ex retentione præteritorum, præsentium & futurorum, non solum habet ab exteriori formari, per phantasmata: verùm etiam à *b* superiori, suscipiendo, & in se habendo simplices formas, quæ non possunt introire per portas sensuum, & sensibilium phantasias.] [simplex porrò intelligentia *c* tunc dicitur, quando absque rationis discursu contemplamur: pura verò, quando sine imaginationis interuentu; siue omninò excludatur imaginationis operatio, siue ita sit exigua, & imperceptibilis, vt ferè dici possit, non esse imaginum interuentum.]

[Quod *d* si verò, quærat aliquis, cur omnibus imaginibus renuntiandum sit? respondetur eam ob causam, quod non nisi via quædam sint, ad nudam, & simplicem veritatem. si ergò ad veritatem ipsam pertingere quis velit, paulatim abdicanda via est.] [imago *e* enim non recipit nisi corporum similitudines;] itaque sicut imaginationis vsus, ad intelligentiæ principia confert: vlterius obstat; sic cum primum intelligibilia per actionem adhuc imagine aliqua vestitam, consecutus fueris; post habenda est imago; hucusque enim tantum confert: vlterius impedit. & idcò intellectus agens sibiipsi similitudines quasdam, vel ex rebus sensibilibus, aut imaginabilibus format, propter dependentiam intellectus agentis ad phantasiam, in principio suæ operationis. Verùm vbi ad modum supernaturaliter operandi pertigerit, vsus phantasiæ amplius locum non habet: ita vt purè contemplans, eis nec vti, nec earum coexistentiam aduertere debeat. cum enim phantasia, & intellectus sint potentiæ distinctæ, & diuersi generis; non obstat, quin vna sine altera, suam functionem peragat post informationem intellectus agentis. quando ergò intellectus agens omnes cœlos, sphæras, sonosue, aut quidquid eiusmodi aduerti solet, transcenderit; ilicò absque eorum vsu intellectus sua purè operatur. atque ita [non implicat *f* contradictionem intelli-

a *S. Dion. epist. ad Tit.* b *S. Thom. de verit.* c *Dion. Carth. l. 1. de cont. c. 1.* d *Taul. instit. c. 35.* e *S. Thom l. 1. cont. Gent. c. 20.* f *Suar. tom. 2. de Rel. l. 2. de orat. c. 14. cum omnibus Theologis vt Sandæus 165. Theol. Myst. p. 165.*

eleuari mentem hominis, in hac vita, ad hoc contemplationis genus, in quo intelligibile contempletur, sine vllius sensus cooperatione.]

In praxi tamen res non caret difficultate; vt scilicet aliquis in exercitio actus ita phantasmata, & horum omnem similitudinem delerens purè, & substantijs separatis conformi modo diuina contempletur. tum quod [magis dependeat intellectus *a* à phantasia, quam hęc à sensu exteriore in sua operatione. quia cum phantasma, quod formatur à phantasia, sit similitudo rei particularis, non indiget phantasia ad functionẽ suam alia similitudine particulari sicut indiget intellectus humanus in corpore existens, cuius proprium obiectum est quidditas, seu natura, in materia corporea existens:] tum quod [cognitio nostra licet à sensu ortum sumat, & prius sint cognoscibilia quæ sunt sensui viciniora: vlteriùs *b* tamen terminum cognitionis habeat in eo, quod est maximè à sensu remotũ:] tum quod [humana cognitio gratiæ, etiamsi sit per reuelationem diuinam, non tamen eleuetur, quantum ad modum cognoscendi, nisi status mutetur. modus autẽ, *c* quo naturaliter cognoscit intellectus, est, vt à phantasmatibus accipiat. vndè nisi homo in alium statum mutetur, oportet quod etiam in cognitione gratiæ, quæ est per reuelationem diuinam, semper intellectus inspiciat ad phantasmata:] hinc etiam [nobilitas, & dignitas contemplationis, non tam à phantasmatibus, *d* etiam diuinitùs infusis, quam à pleniori, & eminentiori lumine intelligibili, quod confirmat, & eleuat potentiam intellectualem, desumenda est.]

Status autem tum mutari dicitur; quando quis se habet medio modo, viæ, & patriæ, seu [quando quis est inter tempus, & *e* æternitatem, sicut sunt dormientes, & ecstasim patientes.] quam quidem passionem non semper violentam necessariò esse; sed suaui mentis excessu familiarius contingere, dictum est infra *f* ad hunc tamen excessum, non semper in actuali exercitio arcani amoris peruenitur; licet enim in supremis statibus procedatur ex sapientię dono, quod dat delectabiliter, facilè, & cum quis voluerit, operari; hoc tamen non ita perfectè semper fit, vt purissimæ contemplationis supremus actus exerceatur; sed tum demum, quando omnia specula deserens, angelico modo simplici intelligentia illustratur.

Interea verò dum cœlestia exemplaria mundantur, & ad puram intelligentiam tenditur, istiusmodi coadstantes [imagines *g* sanctæ nihil habent fœdi;] nec etiam summo contemplatori, quique aliàs etiam ad tertium cœlum

a S. Thomas prima part. quæst. 84. art. 7. ad 2. b 2. 2. quæst. 27. art. 4. c. c S. Thom. de verit. quæst. 18. art 5. d Prima part. quæst. 12. art 13. ad 2. e S. Thom. lib. 2. contr. Gent. cap. 81. f Dec. 6. art. 14. & Dec. 7. art. 3. g S. Dion. de Eccl. Hier. cap. 2.

lum sæpius raperetur, nihil indignum. vndè & [Christus ipse in scientia acquisita, fuit vsus conuersione ad *a* phantasmata, ne sensus phantasiæ esset fruſtra.] quæ etiam [scientia Christi est infra scientiam *b* Angelorum, scilicet quantum ad modum cognoscendi, qui est naturalis animæ suæ; qui scilicet est per conuersionem ad phantasmata, & per collationem, & discursum.] & ideò cum [ex hoc *c* anima hominis viatoris indigeat ad phantasmata conuerti, quod sit corpori obligata, & quodammodo ei subiecta, & ab eo dependens] [sacra *d* signa non fortuitò, temerè, & casu confundenda sunt.] hinc etiam concedendum est, quod dimensiones diuinæ latitudinis, longitudinis, sublimitatis, & profundi, quamuis in statibus supernaturalibus non formentur, sed in imaginatione, vt sensus, imagines, seu particulæ quædam eminenter communicatæ diuinitatis, resultent; propter ipsas dimensionum sphæras, erectas, vel depressas, summas, vel infimas, aliquid comitantis phantasiæ habere; vt per illas intellectus, sicut sensus de albo, & nigro, dulci, & amaro; ad propriam interioritatis suæ dispositionem, & prosecutionem diiudicare valeat, donec illas deserendo purè contempletur.

Videant nunc illi, qui nec quidem statum modi supernaturalis in exercitio diuini amoris attigerunt, quam miserè delirent; dum superficiali negatione, ita omnia transcendunt; vt conceptum positiuum, aut vitalem speciem, ne quidem admittant, magisque eligant continuam negationem, quousque in obscurum otium, & nihilum, ex illis autem ad quoduis impertinens, aut immundum diffluant, vel etiam cum Lucifero in propriam complacentiam, Dei actuali consortio, ac vnione omninò vacuam, nudamque deflectant. & ideò [si *e* nudo spiritu Deo aliquis adhæreat, & bonis imaginibus valefaciat, priusquam eas plenè agnoscat, stolidè quidem, & noxiè agit. quia veritas, quæ per quamlibet bonam imaginem innotuisset, cognitioni subtrahitur.] quam variè autem intellectus per diuinas quasdam imagines, & motus ad puras operationes deducatur, consequenter dicendum est, videlicet

De mystico motu circulari, recto, & obliquo.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

NOn tantum nostris, *f* sed etiam Angelicis contemplationis, tres assignantur motus spirituales; videlicet circularis, rectus, & obliquus; licet enim contemplatio tantum ad quietem pertineat, & motus quieti opponatur; hoc tamen solum [intelligitur de motibus corporalibus, & occupationibus exterio-

a *S. Thom. 3. part. quæst. 11. art. 2. ad 3.* b *Ibid art. 4. cap.* c *3. part. quæst 11. art. 2. cap.*
d *S. Dion. Epist. ad Tit.* e *Taul. Instit. cap. 35.* f *S. Thom. 2. 2. quæst. 180 art. 6. & in cap. 4. de Diu. nom. sicut & alij commentat.*

exterioribus: motus autem *a* intelligibilium operationum, ad ipsam quietem contemplationis pertinet.]Et quia horum motuum, in praxi quotidiana, penè alia, atque alia est eleuatio, vel depressio, intensio, vel remissio, non absre fuerit, diuersa quædam de his motibus adducere.

Itaque, [operatio intellectus *b* in qua contemplatio essentialiter consistit, motus dicitur, secundum [quod *c* motus est actus perfecti.] quia verò [per sensibilia in *d* cognitionem intelligibilium deuenimus, operationes autem sensibiles sine motu non fiunt: indè est, quod etiam operationes intelligibiles quasi motus quidam describuntur, & secundum similitudinem diuersorũ motuum, earum differentia assignatur.] cum etiam [in *c* motibus corporalibus, perfectiores, & primi sint locales,] [ideò sub *f* eorum similitudine, potissimè operationes intelligabiles describuntur.]idque tripliciter. [quidam est circularis, *g* secundum quem aliquid mouetur vniformitur, circa idem centrum. Alius autem est rectus, secundum quem aliquid procedit ab vno in aliud. Tertius autem est obliquus, quasi compositus ex vtroque. Et ideò in operationibus intelligibilibus id quod simpliciter habet vniformitatem, attribuitur motui circulari: operatio autem intelligibilis, secundum quam proceditur de vno in aliud, attribuitur motui recto. operatio autem intelligibilis habens aliquid vniformitatis simul cum processu ad diuersa, attribuitur motui obliquo.]

Richardus porrò, eiusmodi motus, diuerso auium volatu explicat, [viuacitas intelligentiæ, inquit, in *h* contemplantis animo mira agilitate modò it, atque redit: modò se quasi in gyrum flectit: modò autem se quasi ad vnum colligit, & velut immobiliter figit. Huius sanè rei formam si rectè perpendimus, in cœli volatilibus quotidie videmus. videas alia nunc se ad altiora attollere: nunc se in inferiora demergere, & eosdem ascensionis, descensionisue suæ modos sæpius repetere. videas alia nunc dextrorsum, nunc sinistrorsum diuertere: & nunc in hanc, nunc verò in aliam partem declinando, in anteriora parum, vel penè nihil se promouere, & easdem discursuum suorum vicissitudines multa instantia multipliciter reiterare. videas alia sub magna festinantia se in anteriora extendere: sed mox sub eadem celeritate in posteriora redire: & sæpè idipsum agere, eosdemque excursus, atq; recursus diutina frequentatione continuare, atque protrahere. videre licet alia, quomodo se in gyrum flectunt, & quam subitò, vel quã sæpè eosdem, vel similes, nunc autem paulò latiores, nunc paulò contractiores circuitus repetunt, & semper in idipsum redeunt. Videre licet alia, quo-

a *S.Thom.ib.ad 1.* b *2.2.q.180.a.6.c.* c *Arist.3.de Ani.text.28.tom.2.* d *S.Th.l.3.tex.28. tom.2* e *Arist.8.physic.tex.57.* f *S.Th.l. 8. tex.55.& 57.tom.2.* g *S. Thom.Hic in c.ad ment. S.Dion.de Diu.nom.c.4.* h *l.1.de Cont.c.5.*

modo tremulis alis, sæpèque reuerberatis, se in vno eodemq; loco diutiùs suspendunt, & mobili se agitatione quasi immobiliter figunt: & ab eodem suspensionis suæ loco, diu, multumque hęrentia penitus non recedunt, ac si operis, & instantiæ suæ executione prorsus videantur exclamare, & dicere: bonum est nos hic esse.]

Iuxta hoc sanè [propositarum *a* similitudinum exemplar contemplationis nostræ volatus multiformiter variatur, & personarum, negotiorumque varietate vario modo formatur. Nunc de inferioribus ad summa, nunc de superioribus ad ima ascendit, & descendit: & nunc de parte ad totum, nunc de toto ad partem considerationis suæ agilitate discurrit: & ad id, quod sciri oportet, nunc à maiori, nunc à minori argumentum trahit. modò autem in hanc, modò in oppositam partem diuertit, & contrariorum notitiam ex contrariorũ scientia elicit: & pro vario oppositorum modo ratiocinationis suæ executionem variare consueuit. aliquandò in anteriora currit: & subito in posteriora redit: dum modò ex effectibus, modò ex causis, & qualibuscunq; antecedentibus, vel consequentibus cuiuslibet rei modum, vel qualitatem deprehendit. quandoq; verò quasi in gyrum speculatio nostra ducitur, dum vnicuiq; rei quæ sint cum multis communia considerantur: dum ad vnam quamlibet rem determinandam, nunc à similibus, nunc à similiter se habentibus, seu communiter accidentibus ratio trahitur, & assignatur. Tunc autem in vno eodemque loco considerationis nostræ defixio, quasi immobilis sistitur, quando in qualiscunq; rei esse, vel proprietate perspicienda, atque miranda, contemplantis intentio libenter immoratur.]

Et licet [sacer Dionysius Richardo multò sufficientius, & subtilius motum contemplationis descripserit; illæ tamẽ diuersitates *b* motuum, quæ accipiuntur secundum differentiam eius, quod est sursum, & deorsum, dextrorsum, & sinistrorsum, ante, & retro, & secundum diuersos circuitus, omnes *c* continentur sub motu recto obliquo. nam per omnes designatur discursus rationis. Quod quidem si sit à genere ad speciem, vel à toto ad partem, erit (vt ipse exponit *d*) secundum sursum & deorsum. si verò sit ab vno oppositorum in aliud, erit secundum dextrorsum, & sinistrorsum. si verò sit à causis in effectus, erit ante, & retro. si verò sit secundum accidentia, quæ circumstant rem propinquam, vel remotam, erit circuitus. Discursus autem rationis, quando est à sensibilibus ad intelligibilia, secundum ordinem naturalis rationis, pertinet ad motum rectum. Quando autem est secundum illuminationes diuinas, pertinet ad motum obliquum: vt ex dictis patet. *e* sola autem immobilitas, quam ponit, pertinet ad motum circularem.]

Quin

a *Rich. ibid* b *S. Thom. 2. 2. q. 180. a. 6. ad 3.* c *Idem ad 3.* d *loc. cit. in Argum.* e *in solut. ad 2, locis in Argum. 1. & 2. cit.*

Quin imò similes (Deo tamen dignos) motus, à Deo, & in Deo fieri Gregorius quoque testatur: [Ipse *a* inquit, scilicet Deus, manet intra omnia, & extra omnia, ipse supra omnia, & infra omnia: superior per potentiam, inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem: sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interius penetrans: nec alia parte superior, alia inferior: aut alia parte exterior, alia interior: sed vnus & idem, totus vbiq; præsidendo sustinens, & sustinendo præsidens: circumdando penetrans, & penetrando circumdans.]

Simili quoq; modo in amoris diuini exercitio, [est mirus quidam intellectualis circulus in circulo. nam & ipse Deus sponte se spiritui *b* comprehensibilem reddit, dum se illius capacitati in supernaturali quadam contemplabili luce temperat, seque per contemplationem in intellectuali illo circulo, id est, in circulari, siue ambiente spiritus capacitate, comprehendi sinit. est præterea Deus ipse verus, immensus, ac interminabilis circulus qui ampliſſimum hominis spiritum, (qui in sua comprehensione cœlo, terraque latior est) in se velut punctum includit. qui tamen spiritus ad illius maximæ, ac incomprehensibilis immensitatis Dei comparationem, ita paruus censetur, & exiguus, vt vix aliquid dici possit.] Et quia [contemplatio *c* magnificat charitatem, vt sit maior ex ijs quæ in intellectu vidit, dein ex maiori amore fiat maior cognitio:] hinc in actione cognitionis, & amoris est quidam circulus. quod autem horum motuum resultent in imaginatione similitudines, tanquam vestigia, & impressiones summæ, & abstractissimæ intelligentiæ, & actionis mentalis, ex eo prouenit, quod [forma *d* nobilissima in inferioribus sit anima, quæ maximè accedit ad similitudinem principij motus cœli: vndè & motus ipsam consequens, simillimus est motui cœli. sic enim est motus cordis in animali; sicut motus cœli in mundo.]

Iam verò obseruandum venit, quod, quotiescunque ordinario modo, & per operationes intellectus agentis proceditur; ita vt paulatim, & moderato progressu supra omnia quæ sunt, & quę non sunt, pertingi possit; toties hoc ipsum mediante vno trium motuum dictorũ fieri. & quidem ad facilem intellectum, & practicum exercitium consequendum, sciendum est, quod quamdiu indagamus, discernimus, & quouis modo siue sursum, siue deorsum, sinistrorsum, vel dextrorsum, antrorsum, vel retrorsum, ad Pulchrum & Bonum tendimus: tam diu motu obliquo, & indirectè adhuc feramur tanquam ad bonum nobis in exercitio actus nondum sufficienter vnitum. quoties autem illud actu apprehendimus, toties recto motu, absq; ambage in instanti illi coniungamur: quoties verò in instanti apprehensum per actualem bene-afficientiam nobis manet; toties motu circulari per continuationem fruitionis, in circumuolu-

a *S. Greg. lib. 2. Moral. c. 12.* b *Taul. Instit. c. 12.* c *S. Th. 2, 2 q. 180. a. 1.* d *S. Th. opusc. 35.*

tione boni, & pulchri, alamur & viuamus.

Recogitent itaq; etiam nunc (si placuerit) illi, qui per nudam auersionem eorum quæ Deus non sunt, & conuersionem quandam generalem, seu primo obiectam, ilicò Deum, seu potius obscurum quoddam phantasma, (quoadusque tandem, ab ipso ad impertinens, si nõ nocens dilapsi fuerint) sibi fixum, firmumque statuunt: an ilicò & antequam nouerint, num sursum, vel deorsum, ante, vel retro, sinistrorsum, vel dextrorsum, circulari, vel obliquo, seu recto motu, eundem sit; ad veram, & realem fruitionem contingere possint, absque specie à Deo infusa, aut commotione voluntatis immediatè à Deo excitata. hæc autem infusio & commotio sicut rariùs contingit, & eminentiorem statum, quam ipsi consecuti sint, decet; ita quoque homines à vita arcani amoris adhuc longè distantes, & obscuris phantasijs delusos, quàm maximè dedecet. vt autem constet quàm ordinato progressu charitas per hosce tres motus continuò magis radicetur, consequenter dicimus,

Eiusmodi motuum multiplicatione, digeri vsum habitus, ad sequentem perfectius in charitate radicandum, per statum Transformationis, modi ascendentis.

ARTICVLVS OCTAVVS.

IAm verò, cum [charitas possit *a* augeri tota vita,] varijs hisce motibus, ipsa [fruitio, quæ ad virtutem *b* appetitiuam pertinet,] quadam insatiabilitate, ac motuum, actuumque perfectorum successione, & formatur, & alitur, in spiritu; purè, & supernaturali, ac à sensibilibus superexaltato modo: in parte inferiori autem ad practicum ordinem, ad minima quæq; ceu ad particulas diuinæ sapientiæ, & vestigia, motu admodùm ordinato, in successiuis sphæris, circulis, seu spiritualibus regionibus dimittitur ad degustandas quatuor illas *c* diuinitatis dimensiones; scilicet latitudinis, longitudinis, sublimitatis, & profundi: vt iterum in centro, seu puncto latitudinis intensiorem radicationem in charitate, per similes quatuor diuinitatis inactiones amplificet, digeratque. [subiectum enim *d* charitatis de illa magis, ac magis participans: in illius actum magis reducitur, eiq; subditur.]

Ac tum sic est regnum *e* Dei, quemàdmodum si homo iaciat sementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte & die, & semen germinet, & increscat, dũ nescit ille; quousq; tandem post insignem spiritualem progressum, *f* multiplicatis eiusmodi diuersis dimensionibus, & motibus; ad subsequentem statum transformationis, scil. modi ascendentis, profundius in charitate radicatum, & altius in dono sapientię eleuatũ, transeat. quod vti fiat, priusquam dicatur; oportet hic consequenter de diuinis similitudinibus, pro vt modum supernaturaliter operandi perfectiùs attingunt, nonnulla tractare.

DE

a S.Th.22.q.24.a.4.c. b 1.2.q 11.a.1.c. c hic a.5. d 2.2.q.24.a.5.c. e Mar.4. finf. Dic.8.a.4.

DE OPERATIONIBVS SVPERNATVRALIBVS VERBI MYSTICI, QVANTVM AD MODVM FORMATIONIS EX DIVERSIS SPECIEBVS.

DECISIO QVINTA.

DE operationibus ſupernaturalibus, prout in imaginatione,& infimo ſpiritus ceu veſtigia, particulæ, & interpretes diuinæ ſapientiæ in dimenſiones quaſdam reſultant,cum iam dictum *a* ſit; oportet modò de ijſdem, pro vt in perfectiori potentia, in intellectu ſcilicet agente, in ſpecies intelligibiles, in intellectu autem patiente, in verba myſtica formantur, breuiter agere, *Et quidem primò*

Verborum myſticorum tres eſſe ſpecies; ſcilicet expreſſas,reſultantes & infuſas.

II. *Species myſticas expreſſas oriri ex voluntate, prout voluntas intellectum præcedit triplici reſpectu.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Verborum myſticorum tres eſſe ſpecies; ſcilicet expreſſas, reſultantes, & infuſas.

PRincipio itaq; ſciendum eſt, quod [Deus *b* inſpirando nõ exhibeat eſſentiam ſuam ad videndũ, ſed aliquod eſſentiæ ſuæ ſignum, quod eſt aliqua ſpiritualis ſimilitudo ſuæ ſapientiæ;] & [ſpecies *c* intelligibilis,quę ſit forma intellectus, & intelligendi principium.] quæ dein à phantaſmatibus abſtracta,ſe habeat ad intellectum, vt id quo intelligit intellectus,non autem id quod intelligitur, niſi ſecũdariò. res enim [*d* cuius ſpecies intelligibilis eſt ſimilitudo, eſt id quod primò intelligitur:] cum etiam [intellectus ſingulas res *e* per ſingulas ſpecies proprias cognoſcat,] & [intelligere noſtrũ indigeat ſpecie *f* intelligibili propria,& ei coæquata,vt habeat ſimilitudinem eius quod intelligit;]ordinatè ſpecierũ diuerſitas ponenda eſt. & harù in arcano amore tres inueniuntur. Prima eſt ſpecies expreſſa, quando videlicet intellectus agens abſtrahendo à rebus ſenſibilibus format ſimilitudinem, ſeu ſpeciem intelligibilem, per operationem ſibi propriam. vt illa

a *ſupra Dec.4.* b *S.Thom.de verit q.18 a.3. 1.cont.Gent.c.71.* f *l.2.cont. Gent.c 98.* c *lib.1.cont.Gent.c.1.* d *1.p.q.85.a.2.c.* e *lib.*

dein in intellectu patiente perficiatur in verbum mentis. & ideo intellectus agens *a* luci assimilatur, eò quod faciat intelligibilia in actu: sicut lux quodammodo visibilia facit in actu.] cum autem intelligere nostrum indigeat specie intelligibili propria, & ei coæquata, vt habeat similitudinem eius quod intelligit, sic est *b* infimum in intellectualibus substantijs.] & hæ species scilicet expressæ ordinario naturę cursu, habent adiunctam phantasiam, vel seruientem vel concomitantem: nam oportet [*c* contemplantem phantasmata speculari,] quoadusque nimirum pertingat ad notitiam intellectu rationali *d* superiorem. interea verò licet dictæ species expressæ, seruientem, vel concomitantem habeant phantasiam; sunt tamen bonæ, & vtiles, in amoris diuini exercitio, & [causa delectationis, quia bonum *e* conueniens aliquo modo præsens constituunt.]

Secunda verò est species resultans scilicet in intellectu passiuo. [species enim alicuius rei inuenitur in alio dupliciter, *f* vno modo sicut præexistens ante rem cuius est species, alio modo sicut à reipsa resultans.] quando scilicet intellectus prius à voluntate suppressus, tandem feruore excedente remisso; ideam, speciem, vel similitudinem recipit, illius superspiendentis, & quodammodo excœcantis boni: quod quidem bonum, lumen mentis est. & per hanc speciem verbum Agalmatis formari diximus *g* infra; eò quod sit pulcherrima, quæ in hac vita; (citra species infusas, raptus, aut ecstases) susci pi possit. est insuper huiusmodi speciei lumen, propè accedens ad lumen *h* gloriæ, & mystico propria formatione inaccessibile; nisi postquam intellectu cessante, suaui *i* amoris excessu diuinę naturæ consortio vnitus; ac tandem intellectus patiens restitutus fuerit: & tum dictæ speciei resultantia, licet nunquam fallat, à nemine tamen, nisi qui eminenti modo amoris suauem excessum subierit, inuenitur, aut agnoscitur; cum sit imago bonitatis illius, quæ in amoris profundo supra omnes intellectus operationes, Deo magis operante, *k* mystico autem magis patiente, communicatur. & tum [mens nostra immediatè *l* ab ipsa veritate formatur;] quam intellectus patiens in se reperit, postquam amoris excessus tantillum remiserit, vt & ipse superexcellenter suę pulchritudinis particeps fiat. Vndè licet intellectus agens hoc loco nihil ad resultantiam speciei Agalmatis cooperetur, tanquam illius ad illuminandum nullam speciem habens, suamque actiuitatem longè superexcedens; diuina tamen hæc species vti imago in speculo, [in intellectu patiente *m* resultat,] vt vestigium, seu impressio relicta, ab oppessione maiestatis à gloria: quo ita intel-

a *Aristot. 3. de Anim. text. 18.* b *S. Thom l. 2. cont. Gent. c. 98.* c *Aristot.* d *Inf. dec. 6. a. 10.* e *1. 2. quæst. 32. art. 3. c.* f *De Proph. quæst. 12. art. 6. c.* g *Dec. 6. art. 17.* h *ibid. art. 19.* i *vt inf. dec. 6. art. 15. & dec. 7. art. 2.* k *inf. dec. 6. art. 13.* l *S. Bonauent. itin. ment. c. 5.* m *Ioan. à Cruc. ascen. mont. l. 2. c. 32.*

[intellectus *a* (scilicet patiens) intelligat per formam quam penes se habet.]

Tertia autem est species à Deo infusa, seu impressa. quando scilicet mysticus ex diuina benignitate, extraordinario modo, quam sit donorum, & habituum supernaturalium, Deo vnitur. & ex [*b* perfectione gratiæ, non ex visibilibus creaturis, sed per inspirationem internam, ex irradiatione diuinæ sapientiæ, & ex quadam similitudine suæ menti impressa, Deum cognoscit;] vti in statu innocentiæ; Est autem species per se infusa talis naturæ, & conditionis; vt ad vsum, & exercitium ipsi non opus sit conuersione ad phantasmata: cum [per *c* sensus comparari nequeat, nec cum phantasmatibus affinitatem habeat.] vnde etiam nullo humano intellectui debetur; à nullo intellectu agente, quamuis perfectissimo, vel ex phantasmate, vel aliundè educi potest. intellectus tamen patiens, illam quam maximè postulat, & appetit; vtpotè summè abstractam, intelligibilem, & luminis gloriæ vices supplentem: sicut enim species infusæ per se, & ex natura sua petunt abstrahi à formis sensibilibus; ita quoque & recipi, & in intellectu patiente, vt in proprio loco in verbum mentis perfici desiderant. quāuis ergò species infusæ, nec ex phantasmate educantur, nec ab intellectu agente intelligibiles videantur, cum ab agente non porrigantur: [diuina *d* tamen species est effectrix speciei, in ijs quæ specie carent, vt speciei principium;] ita tamen vt licet [species *e* infusæ sint per seipsas propriæ, & quiddatiuæ rerum, repræsentantes eas sicut reuera sunt,] & intuitiuam animæ cognitionem, quantumcunque præcelsa videatur, constituant; non tamen [propriè *f* Deum repræsentent, sed tantum mensuram humanę comprehensibilitatis, & intelligentiæ;] [Deus enim mouet intellectum creatum, & dando ei virtutem ad intelligendum, & imprimendo *g* species intelligibiles, quibus actu intelligat.] nam [intellectus non potest intelligere nisi secundùm quod fit actu per hanc *h* similitudinem, sicut nihil aliud potest operari secundùm quod est tantum in potentia; sed secundùm quod fit actu per aliquam formam;] qua scilicet [Deus *i* se fingit ad imaginem menti contemplandam.]

Iam verò cum verba mystica inter se, secundùm *k* has species, earumque maiorem, vel minorem, perfectionem differant, pro vsu practico, aliter, atque aliter formabiles inueniuntur. & quidem species expressæ, cum inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellectu, repræsentent; iuxta infinitatem eorum quæ sunt, & quæ non sunt, vel esse possunt, innumerabiles censentur. & [de nouo *l* adueniunt ex intellectu agente,] in vitali diui-

a *S. Thom. l. 2. cont. Gent. c. 49.* b *S. Thom. de verit. quæst. 18. art. 2.* c *3. p. q. 11. art. 2. & q. 3. art. 2 ad 3. eadem Dionys. Carthus.* d *S. Dionys. de diuin. nom. c. 2.* e *S. Thom 3. p. q. 9. art. 2. ad 3.* f *Harph. l. 3. p. 3. c. 23.* g *S. Thom. 1. q. 105. a. 3. c.* h *S. Thom. opusc. 53. de intellectu & intellig.* i *S. Dion. de Eccl. Hier. c. 2.* k *vt hic art. 2.* l *S. Thom. l. 2. cont. Gent. c. 84.*

diuino affici, seu vsu doni sapientię fundata, ac speciem suam elicente; resultantes verò (seu Agalmatis) quando post excessum amoris, intellectus restituitur, pro eo Nunc nunquam desunt, semperque ex natura dispositionis huius amoris resultant; in tantum, vt licet à prima puritate deficiant, & diuino amore præstans animus, ad inferiores, ratione, aut etiam imaginatione, vestitas operationes, dimissus fuerit; adhuc tamen concomitantes illæ de iam habito amore reliquiæ cogitationis diem festum agant, efficacius moueant, ac magis clarè videre faciant, quam si per alia media extrinsecus incidissent. at species infusę illius sunt puritatis, vt Deo magis, quam contemplanti sint notæ; cum in eo Nunc, quo ab anima aliqua accesserit earum notitia, à prima puritate iam defecerint, & quidem hæ species à Deo infusæ, non sunt ita frequentes, sicut species per habitum charitatis, modo supernaturali, seu absque phantasmate, & discursu faciliter formatæ. [Diuina *a* siquidem virtus, in animam species intelligibiles imprimit quandoque.] ergò non semper aut ad libitum. vndè etiam mysticis documentis non subijciuntur; sed à gratuita Dei benignitate ad actum transeuntem, à Deo immediatè dependent. iam verò cum circa species *b* resultantes, & infusas nulla singularis intercurrat difficultas; resultantes enim semper eueniunt, cum post amoris excessum intellectus suis functionibus restituitur; infusæ etiam infallibiter suum præstant: hinc consequenter circa species expressas (quod quidem ad praxin quam maximè scitu necessarium est) paulò fusiùs inquirendum erit, & dicendum,

Species mysticas expressas, oriri ex voluntate, pro vt voluntas intellectum præcedit triplici respectu.

ARTICVLVS SECVNDVS.

SOlennem illam scholasticorum, contra mysticos disceptationem, de eo quod voluntas intellectum præcedat; non tam nostri instituti est decidere, quam quod ad practicam facilitatem tendit, clarum reddere. Ante omnia verò diligenter considerandum venit; primò in supernaturali modo amandi, (de quo duntaxat hoc loco nobis est disquisitio) species mysticas in voluntatis bene-afficientia fundari, & radicari: Secundò nos non dicere voluntatem intellectum præcedere, quando intellectus intendit aliquam conceptionem intellectualem formare, seu verbum mentis pronuntiare; tunc enim intellectus agens incipit à rebus sensibilibus ad intelligibilia, ordinario, & connaturali modo procedendi, quo ita voluntas excitata, & illuminata possit moueri: tali ergo progressu seruato, qui assereret voluntatem intellectum præcedere, indubiè absurdum diceret.

His igitur præmissis, dicimus species mysticas oriri ex voluntate, & voluntatem

a *Caiet. in 2.2.q.173.a.3.* *b* *de quibus latius inf. Decis.6.art.17.*

tem intellectum præcedere, idque triplici respectu, seu modo: Primò quidem per habitum charitatis, non pro vt confert gratiam gratum facientem, seu ius ad vitam æternam; sed pro vt per donum sapientiæ dat vsum, & fruitionem diuinæ naturæ, & post essentiam animæ ipsam voluntatē vitaliter beneafficit; non secus ac [peccatum *a* originale prius est in essentia animæ,] per modum carentiæ, & defectus boni conuenientis; dein per prius voluntatem, quam intellectum vitaliter malè afficit [*b* fomite peccati, concupiscentia,] & cæteris eiusmodi inclinationibus vitiatis. in animo itaque gratia sanato, [prima *c* mentis ad diuina motio, & contentio, Dei est charitas: sanctæ autem charitatis progressus, qui principatum obtinet ad diuina perficienda præcepta, est diuini in nobis status, quæ verbis exprimi non potest, effectio. diuinus enim status diuino ortu, &, vt ita dicam, generatione efficitur.] quando videlicet] contemplationis *d* emanationum, ipsum Bonum est principalissimum fundamentum] & [ad ipsam visionem primi principij, scilicet Dei, incitat *e* amor ipsius.]

Obseruandum insuper est, hanc primam voluntatis præcedentiam, non profluere ex verbo aliquo mentis, & prius ab intellectu formato, & dein intellectum excedente, pro vt fit in secunda hæc præcedentia; sed tantum præcedere, vt id, [vndè cognitio *f* concipitur] seu vt à quo, verbum mysticum formare incipit intellectus agens; ita vt sicut peccatum originale est principium, & vitalis origo, vt ab ipsa vitaliter exeant cogitationes malæ; homicidia, furta, adulteria, & alia innumera mala: ita etiam [sapientia *g* pro vt est donum Spiritus sancti, & charitatem præsupponit;] [*h* causam, nimirum charitatem, habeat in voluntate.] & quum gratia mystica modi supernaturalis, per modum habitus maximè doni sapientiæ, *i* ad vsum, & fruitionem in Nunc præsenti, vitaliter bene-afficiat, & [Deus velut *k* vita animæ nostræ sit:] eo principio mysticus omni instanti in ipsa voluntate habet, vndè intellectus agens mysticas species formare, & intellectus patiens verbum bonum, & diuinæ naturæ communiones, pronuntiare possit. non secùs ac homo peruersus, ex malo originalis iniustitiæ continuò inclinationes, & machinationes vitiosas apud se fabricat. species autem modi supernaturalis, ordinariè non aliundè, quam ex ipsa voluntate vitaliter consortio diuinæ naturæ perfusa, accipi; & quousque ipsa voluntas sic vitaliter sit excitata, non nisi imperfecta, & præambuli verba formari, & dici, præter ea quæ ex his positis colliguntur, latiùs infra *l* dictum est.

a S. Thom. 1. 2. quæst 83. art. 2. & art. 3. c. b 1 2. quæst 83. art. 3. c S. Dionys. de Eccles. Hierar. c. 2. d S. Bonauent. itin. ment. c. 6. e S. Thom. 2. 2. quæst. 180. art. 1 ad 2 f de ment. quæst. 10 a. 9. c. g 2. 2 quæst. 45. art. 4. 5. h ibid. a. 1. c. i sup. dec. 4 art. 1. k S. Thom. opusc. 61. l dec. 6. art. 2. 3. 4. 5. & 6.

Secundò verò dicimus, voluntatem præcedere intellectum: quando intellectus,& amor simul gradiuntur; & intellectus cõtinuò obiectiuè mouet voluntatem, & tandem amor sui præstantia intellectum excedit; Deus autem amoris inactione magis est operans,mysticus verò patiens; quod fit, quando amor intellectum excedens,mentemq; deserens, in perfectissimo modo *a* accipiendi,Deo fruitur. eo autem finito, sibiipsi nondum aliter restituitur; quam vt à consortio diuinæ naturæ resultantem speciem in Nunc præteritæ, & excessiuæ voionis deficientia, recipiat, ad formandum verbum illius superexcedentis amoris; quod verbum Agalma diximus infra, *b* & ita [patet plane *c* quod actus dilectionis excellit, & præcedit actum cognitionis intellectualis in aliquo gradu. in quantum autem eum excellit, in tantum eum excedit, attingendo Deum in aliquo gradu dilectionis, ad quem actus intellectualis extendi non potest, quia superintellectualis est saltem in hac vita, quia in patria videbimus Deum sicuti est.]

Tertiò autem dicimus voluntatem intellectum præcedere, quando eleuatur voluntas ad verum Dei amorem vitalem,& actualem, voluntate non excitata, neque obiectiuè mota per intellectum; sed immediatè à Spiritu sancto: hoc autem non *d* impossibile; sed per Dei gratiam, & modum supernaturalem facillimum esse, colligitur, primò. quia [potentiæ intellectus, & voluntatis sunt *e* realiter à se distinctæ.] ergò vna sine alterius iniuria potest aliquid suscipere, saltem modò supernaturali. Secundò, quia [Deus potest producere affectus causarum secundarum absque ipsis *f* causis secundis.]Tertiò, quia quando Deus repræsentat bonum vt apprehensum, & causam appetitiui motus, non est necesse habere apprehensionem, seu cognitionem, [vt alioquin & ordinario *g* cursu] vt causam amoris.

Quartò, quia [multa requiruntur ad perfectionem *h* cognitionis, quæ non requiruntur ad perfectionem amoris:] [voluntas enim mouetur ab intellectu tantum quo ad specificationem *i* actus, non autem quo ad exercitium actus:] & [penitiùs *k* voluntas, quam intellectus Deo coniungitur:] ex vniuersali insuper scholasticorum consensu,charitas diuina in hoc potissimum cæteris virtutibus, etiam Theologicis antecellit,quod ipsum Deum per se attingat; cęteræ autem ad eum per interiectas res proferantur; vndè non est quod ita peregrinum videatur, Deum mouere voluntatem, absque omni præuio intellectu; qui scilicet talem motum causet, præsertim quòd nemo illorum qui tam præstanti modo diuina experitur, dicat, se fuis-

a *Dec. 6. art. 15.* b *Dec. 6. art. 17.* c *S. Bonau. Itin 5. Ætern. d. 5. ex* Wercell. & Linc. d *Contra Suares. de Relig t. 2. l. 2. tr. 4. c. 13.* e *S. Thom. 1. p. q. 59. art. 2. c.* f *Et Thomistæ communiter.* g *S. Thom. 1,2. quæst. 51. art. 4. c.* h *1 2 q 27. art. 2. ad 2.* i *Ibid. quæst. 9. 8. art. 1. 6.* k *Calag. Theol. myst. c. 1.*

se fuisse extra intellectum, aut memoriam, instar trunci alicuius, quando vitalem motionem voluntatis sensit in se excitari: imò contrarium dicunt, fieri scilicet inter *a* legendum, scribendum, aut dum aliud quidpiam agitur. licet de tali amoris excitatione in centro voluntatis, minimè *b* cogitetur. atque ideò non excluditur cognitio, aut memoria vt desit necessario, experientia, aut recordatio. ipso enim instanti quo voluntas eleuatur ad verum Dei amorem vitalem, & actualem, non excitata, neque obiectiuè mota per intellectum, sed immediatè à Spiritu sancto: sicut sciunt se legere, scribere, aut aliud quippiam facere, ita sciunt, recordantur, ac sentiunt, eiusmodi vitalem motum in voluntate excitari supernaturali gratia, & modo, absque omni præuio intellectu, scilicet ad talem actum eliciendum, proximè directo. facilitat etiam hanc præcedentiam voluntatis, quod [perfectio appetitus *c* amoris non exigat tot cognitiones boni, sed prima sufficiat illi: scilicet quod bonum secundùm se apprehendatur, quoniam appetitus ad bonum vt est, tendit. nimirum quia bonum perficit appetitum, secundum quod inuenitur in rerum natura: apprehensionem autem secundùm intellectus negotiationem; ideò amor potest esse perfectus cognitione existente imperfecta: sat enim est appetitui repræsentatio illius boni, quæ non sufficit intellectui:] Quintò quia si quis sentiret [*d* potentias animæ non esse qualitates distinctas ab essentia animæ; sed ipsam essentiam animæ, quatenus per se vim habet in se producendi varios actus, subire rationem multiplicis potentiæ;] illi nulla prorsus foret de voluntatis (sine intellectu) actuatione difficultas; imò magna facilitate sese in multis difficultatibus explicaret mysticus.

Iam mysticos Doctores tam sanctitate, quam praxi, ingenio, & scholastica disciplina eminentes, audiamus. Sanctus Augustinus [sensi, ait, *e* quiddam in me, resplendens animæ meæ: quod si perficeretur in me, dicere non dubitarem, id vitam esse æternam: occultat se, & nihilominus manifestat se: furtiuè venit, quasi omnia animæ furaturum, ablaturumque: manifestat se, & indicat ex parte, vt per hoc animam alliciat, prouocet, & post se trahat, imò & auferat sibiipsi.]

Sanctus Bernardus [fateor, *f* inquit, & mihi aduentasse verbum, & pluries, cumque sæpius intrauerit ad me, non sensi: aliquoties cum intrauerit, adesse sensi, adfuisse recordor, interdum, & præsentire potui introitum eius, sentire nunquam, sed ne exitum quidem, nam vnde in animam meam venerit, quovè abierit, denuo eam dimittens, sed &

a *Ioan. à Cruc. Explan. Cant. 17. & Ascens. mont. c. 26.* & b *Barbanson. de occult. semit. p. 2. c. 13.* c *Caiet. 1. 2. quæst. 27. art. 2.* d *Scot. in 2. sent. d. 16.* & *Gerson Theol. myst. spec. cons. 9.* e *Apud Tauler. Domin. post Natiu. serm. 1.* f *Serm. 74. in Cant.*

qua, vel introierit], vel exierit etiam ignorare me fateor, secundùm illud: Nescis vnde veniat, aut quo vadat; nec mirum tamen, quia ipse est, cui dictum est, & vestigia tua non cognoscentur, &c. Ita igitur intrans ad me aliquoties verbum sponsus, nullis vnquam introitum suum indicijs innotescere fecit, non voce, non specie, non incessu, &c.]

Sanctus Bonauentura [*a* nonnunquam, ait, quasi clausis oculis bone IESV ad te inhianti mittis mihi in os cordis, quod non licet mihi scire quid sit,] quia nimirum [ille verus amor qui est Spiritus sanctus tertia *b* persona in diuinis, & vltima respectu ordinis personarum, nobis est propinquior, & prima in consurrectione affectiua in Deum. vnde ipse Spiritus sanctus per ignem amoris tangit, & inflammat supremum affectiuæ apicem, & indicibiliter sine omni cogitatione, vel rationis discretione ad ad se trahit. vndè sicut lapis suo pondere trahitur, & fertur naturaliter ad suum centrum inferius, sic apex affectus suo pondere, & directione immediatè, & sine aliqua obliquatione absque omni præuia, vel concomitante cogitatione, sursum fertur in Deum. vndè illa potentia, quæ est affectus, & supremum in hominis spiritu, Spiritui sancto mediante amoris vinculo est vnibilis.]

Ioannes à Cruce [tactu, *c* inquit, delicatissimo dilectus animam nonnunquam contrectat, etiam tunc cum minus ipsa cogitat, adeo vt cor eius amoris igne ita succendat, vt scintilla ab igne emissa, videatur animam absumpsisse.] est autem [voluntas *d* in qua fit hic tactus:] etiam [siue distincta *e* præuia notitia, prout experti sunt multi spirituales.] [anima tamen ad similia *f* non debet conari, sed se Deo committere, ad perficiendum suum opus quando voluerit.]

Harphius. [mirabilis, *g* ait, & occulta sapientia, vnitiua, sine omni meditatione, & inuestigatione præuia, amantis affectum sursum trahit: quia spiritus rationalis à Deo recipit influentiam, primò, & principaliter, in quantum est ipsi affinior, sed affectus per amorem dispositus, est supremus in spiritu rationali, & per consequens increato spiritui propinquior. Hic primò tangitur apex affectus à Deo per immissionem igniti amoris in spiritu, tanquam Deo propinquior, antequam apprehendat eum intellectus: qui est multò plus à supremo Creatore distantior, quam affectus. quare multò excellentior, amabilior, & ad obtinendum dilectum facilior est ardor amoris. Primumque conscendit ad dilectum tangendū, osculandum & amplexandum: sicut à simili, ordo Seraphin, qui interpretatur ardens, est Deo vicinior quam Cherubin, ac per consequens vberius, perfectius, & prius influentiam à Deo recipit, quam Cherubin, qui interpretatur plenitudo scien-

a Solil. c. 2. ex Bern. b *Auctor Theol. myst. apud S. Bonau. q. vn. in fine.* c *Explan. Cant. 17. & ascens. mont. l. 2. c. 26.* d *Ibid.* e *Ibid. Cant. 18.* f *Idem Ascens. mont. l. 2. c. 26.* g *l. 3. p. 1. c. 8.*

scientiæ.] at Barbansonius noster vitalem motionem sine omni præuio intellectu (ad voluntatem eo tempore excitandam directo) à Deo admirabili, sibique familiaribus amicis, digno, & peculiari modo fieri, expressè, latè, & verissimè *a* docet. & ita quidem incogitanter hoc fieri, vt ilicò ad eiusmodi vitalem voluntatis excitationem, calamus ex manu labatur, loquela, & vires deficiant. imò intellectum restitutum dein mirari, vndè talia in centrum voluntatis venerint, cum per se non transierint. hæc autem sibi contigisse, ex ore ipsiusmet Patris nostri Constantini Barbansonij (beata memoria digni) accepimus, cum de mysticis pro mutua familiaritate, secretiùs ageremus.

Sunt porrò eiusmodi in voluntatem absque præuio eo directo intellectus actu, à Deo excitatæ commotiones, ceu arrhæ quædam, & familiaritatis diuinæ specialissima dona, ac munera, extraordinario modo diuino amori vnientia. nam [secundum *b* virtutē motam à Spiritu Sancto immediatè est multò maior de Deo cognitio, quam per omnem intellectum , vel rationem inuestigando. Vndè primum tangitur supremus apex affectus, secundum quem mouetur per ardorem in Deum , & ex isto contactu relinquitur in mente verissima cognitio intellectus , nam illud solum quod sentit de diuinis , verissimè apprehendit intellectus.] scilicet postquam ab excessu istius amoris ad operandum à suspensione suorum actuum restitutus fuerit, & verbum Agalmatis formauerit, vti hic in secunda acceptione dictum *c* est.

Pientiores itaque scholastici , cum intelligerent viros tum doctrina , tum sanctitate , & singulariter arcano amore , se præstantiores ; asserere voluntatem vitaliter quandoque à Deo, absque omni præuio intellectu (ad talem excitationem directo) moueri , & alia quæ ipsorum intellectum excederent; piè, & humiliter de ipsorum dictis sentiendum esse duxerunt : quo ita pro reuerentia accederet illis bona gratia. vt supra *d* dictum est. quid autem de Suaresio huic sententiæ sese *e* mordicè opponente, dicendum sit, ad iudicium viri, diuino animo præstantis, & in arcano amore multifariò , ac multis modis exercitati ; nec non in sacra doctrina eximiè versati, remittimus. & hæc quidem cum originem specierum, (quæ ad realem , & vitalem operationem formandam , aut suscipiendam , necessariæ sunt) tantum respiciant, consequenter modo explicandum est, vti operationes singulares , ipsam actualem cum Deo fruitionem (per successiuas intimioresque inactiones) continuent , renouent , perficiantque.

DE

a *De occult. semit. p. 2. c. 13.* b *S. Bonau. 2. tom. opusc. tract. de myst. Theolog.* c *& inf. Dec. 6. a. 17.* d *Dec. 1. a. 5* e *De Relig. t. 2. l. 2. t. 4. c. 13.*

DE OPERATIONIBVS SVPERNATVRALIBVS VERBI MYSTICI QVANTVM AD HIC ET NVNC.

DECISIO SEXTA.

TAmetsi in quolibet statu, (siue ex actu infuso, siue elicito) toties quoties anima ad conceptum Dei exprimendum, seu ad fruitionem continuandam pertingit, operationes instantaneæ, & verba mystica, Hic, & Nunc, plena realitate, etiam ipso mystico se desuper non reflectente, proferantur: de illis tamen, eo quo hic, accurato ordine, citiùs dici non debuit. ea maximè de causa, quod nemo in mysticis instructionibus constanter, & reali bene-affici & intelligere, gustum capiat; nisi de ijs, quæ sibi iam penè naturalia, sui iuris, & ad iucundum vsum præsto fuerint. Vndè sicut indoctus, licet in suis sermonibus, omnia plena sint argumentationibus, illationibus, & conclusionibus, non ideò tamen exactam, & scientificam habet syllogizandi rationem; quousque. & ingenio, & exercitio eam addiscat. ita quoque in particulari, & omnimoda Dei fruitione accidit; in tantum vt quamuis in suis modis, institutis & operationibus, ex parte rei perfectæ sint dispositiones; non tamen possit mysticus industrio, perfecto, & planè iucundo modo, scienter, & securè Hic, & Nunc procedere, quousque in sequentibus exercitatus, propria experientia didicerit, quid sit in *a* absconditis Dei consiliari, & scire ea quæ à *b* Deo donata sunt nobis. hic ergo dicitur

I. *Quomodo exercitium actus verbi mystici ad Hic & Nunc intelligendũ sit.*
II. *Quid sit Verbum mysticum.*
III. *De imperfectis Verbis mysticis, prout sunt præambula ad verbum perfectũ.*
IV. *Quid, & quotuplex, sit Verbum mysticum perfectum.*
V. *Ad formationem Verbi mystici perfecti, quatuor esse necessaria.*
VI. *Quod Verbum mysticum formetur in instanti.*

VII.

a Eccl. 39. b 1. Cor. 2.

VII. Quod hinc facilitas pronuntiandi verbum mysticum, oriatur.

VIII. Per operationem successiuam verborum mysticorum, continuari fruitionem ordinata, & perfecta quiete.

IX. Adhuc enim mysticus patitur phantasmata concomitantia; licet non seruientia.

X. Quod nimirum sacræ quædam imagines coadstent, quousq; mysticus assequatur conceptum quidditatiuum Essentiæ Diuinæ in abstracto, seu quod Quid non est.

XI. Quod finaliter in altiori (scilicet amatiua) virtute, vniatur Diuinæ Essentiæ, vt in se est.

XII. Quod nimirum stante hoc amoroso voluntatis excessu, saltem coexistat in mente Diuinum lumen intellectu superius.

XIII. Quod hic Deus sit potissimum agens, mysticus autem patiens.

XIV. Videlicet in hac passione esse silentium, quo mysticus se habet medio modo, viæ, & patriæ.

XV. Tum demum mysticum esse in summo modo huius vitæ, non operandi, sed à Deo accipiendi.

XVI. Hunc modum, si maneat cum libertate sensuum, non diu durare.

XVII. Quod, cum suauis hic mentis excessus lumine formali ecstatico non perficiatur, intellectus patiens suscipiat speciem resultantem ad perfectissimum verbum Agalmatis formandum.

XVIII. Quod durante formatione verbi Agalmatis Mysticus secundum vtramque potentiam adæquatè, & optimo modo huius vitæ operandi, viuat supra affirmationem, & negationem.

XIX. Quod eiusmodi adæquata fruitio propriè accedat ad beatitudinẽ Patriæ:

XX. Quod quantò magis à tam perfecta operatione ad reflexas, medias, aut infimas species contemplatio dilabitur, tanto imperfectius quoque Diuinitas repræsentetur.

XXI. Quod sint interim Mystico perfecto, omnia bona valde, siue suprema, siue media, siue infima sit operatio.

XXII. Quod mysticus perfectus fruitionem facillimè reassumat per nouam formationem verbi mystici, cuiuscunque speciei.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quomodo exercitium actus verbi mystici ad Hic, & Nunc intelligendum sit.

NEmo miretur nos ea, quæ in spiritu citissimè contingunt, accuratiore ordine, & declaratione longiore prosequi. quamuis enim operationes modi supernaturalis omnibus mobilibus mobiliores sint; & ab infimis per medias, vsque ad supremas perfectiones,

nes, iuxta conditiones donationum intellectus, vel sapientiæ, penetrent: ita vt vix aliquot passus conficere liceat, quin subinde mens & seruientis, & concomitantis phantasiæ vsum deserat, seque super se eleuet, ac pondere amoris à propria actiuitate deprimatur; quousque efficacia arctissimæ vnionis remittente, intellectus denuò admittatur: hoc ipsum tamen ad illorum qui instruendi sunt, intelligendi modum, non ita paucis explicari potest, si quis accuratum, ordinatum, & ad Hic, & Nunc exercitium actus, omninò necessarium modum, consequi debeat.

Principio itaque diligenti memoria recondendum est; quod [omnia appetant esse actu, *a* quia esse actu rationem boni constituit: non actu, ratione mali, aut corruptionis.] ac etiam quantò perfectiùs visio, & amor in Nunc præsenti, & instanti actuantur, tantò etiã amplius de bono sibi proportionato participẽt; & quantò magis incerto, confuso, & generali modo procedunt, tãtò minus de eo habeant, remissiusq; agant, & beneafficiant. sic enim ea quæ ad Deum cognoscendum, & amandum faciunt, solũmodò in continua quasi potentia manent. hinc etiam [intellectus *b* habitualis) seu qui est adhuc in potentia, & in fieri) non est vltimatè felix; sed quando est in actu.] cum etiã [instans *c* in toto tempore fit idem re, differẽs in ratione] magis videmur premi, vt quomodo exercitium actus ad Hic, & Nunc intelligendum sit, exponamus.

Nostrum ergò Nunc operationis nõ accipiendum est secundum quod Nunc præteritum, præsens, vel instans cognoscitur. [cognoscere enim *d* præteritum vt præteritum, est eius, cuius est cognoscere præsens, vt præsens, vel Nunc vt Nunc; hoc autem est sensus. sicut enim intellectus non cognoscit singulare vt est hoc, sed secundum communem quandam rationem, vt in quantum est homo, vel albus, vel etiam particulare, non in quantum est hic homo, vel particulare hoc; ita etiam intellectus cognoscit præsens, & præteritum, non in quantum est Nunc, & hoc præteritum.] ab his enim in actualis operationis progressu abstrahit intellectus; sicut & ab alijs phantasmatibus, imaginibus, ac speciebus minus perfectis. Vndè etiã actu non cogitat, sum ne in Nunc perfecto actu operationis: hoc enim, & similia cogitare ad dispositionẽ perfecti actus, seu ad verba præambuli, imperfecta, *e* & ad perfecta prius formãda pertinet: quandò sc. mysticus ordinato progressu intellectus procedit, à magis notis ad minus nota, idque seruiente, aut saltem concomitante phantasmate.

Perfectum autem illud exercitium actus, quod nos intendimus, duo continet. primò, vt sit perfectum proprium, & accommodatum ad Hic id est, ad regionem, vel sphæram, situm, vel vbi; circa quæ in exercitio actualis vnionis fit circumuoluti, & con-

a S. *Thom. contr. Gent. l. 1, c. 37.* b *Ibid. c. 56,* c *Opusc. 36. c. 2.* d *De ment. q. 10. Art. 1.* e *Hic n. 3.*

conseruatio, seu continuatio virtutis appetitiuæ: in qua fouetur fruitio, per ordinatam successionem verborum mysticorum. primò enim pulchrum summi Boni videtur ab intellectu; dein amatur à voluntate; & amoris beneafficientia, ab intellectu iterum clariùs cognoscitur, ac à voluntate dein intimiùs amatur; & ita consequenter, vsque ad actualis vnionis, vel remissionem, vel interruptionem. atque hoc modo exercitium actus ad Hic continet, situm, vel vbi, proprij spiritus: in quo accommodatè, & propriè, iuxta mensuram donorum intellectus, vel sapientiæ operari potest. pro vt latiùs dictum est supra. *a* Secundò vt sit perfectum ad Nunc non temporis, sensus, aut super Nunc reflectionis, sed Nunc operationis: id est, vt per verba imperfecta, seu indagantia, accommodato, & proprio progressu clarius videndo, penitiùs diligat: quousque omnis circumstans imperfectio actionis, cum phantasmatibus, imaginibus, & discursibus abeant, & absque aliqua imperfecta specie motus, fruitio per perfectum processum de actu, in actum; seu de verbo mystico perfecto, in verbum mysticum magis perfectum continuetur. quæ quidem duo, licet in speciebus *b* infusis, & in speciebus *c* Agalmatis, seu post excessum amoris in intellectu resultantibus, non sint necessaria, cum in speciebus infusis, Deus perfectiones ad Hic, & Nunc, suppleat, & in Agalma ex natura rei concomitentur; quando tamen ordinario modo proceditur, & intellectus agentis industria; tum & imagines loco phantasmatum, & ad Hic regio, ac propria sphæra, situs, vel vbi; nec non & Nunc operationis per industrias, & certo ordine, distribuenda sunt. cum verba nostra non sint semper perfecta, sed sæpè imperfecta, informia, & à formatis, ac in Dei vnione perfectis, dilabentia.

In progressu autem amoris, & perfecto Nunc operationis hæc, & similia omnia cessant. tum enim [eleuat *d* animam Deus supra omnes corporales, atque labentium rerum imagines. Quamdiu enim vel minimæ creaturæ imago cum delectatione animæ inhæret, tamdiu suus ei conditor nulla ratione vnitur. Porrò vbi anima Deo reuera vnita est, ibi nihil ei præteritum, nihil futurum est, nihil eam vel tædio, vel delectatione afficit. omnia namque in illo incommutabili Nunc, in æternitate illa, quæ Deus ipse est, habet. In hac nimirum felicissima vnione, & sui ipsius, & omnium extra Deum obliuiscitur.] cum autem frequenter mentio fiat de verbis mysticis, consequenter explicandum erit,

Quid sit verbum mysticum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

CVm [intellectualis *e* naturæ scilicet humanæ, angelicæ, & diuinæ,

a *Decis. 4. per totum.* b *Sup. Decis. 5.* c *Hic art. 18.* d *Taul. Instit. cap. 39.* e *S. Thom. opusc. 13.*

verba longè ab inuicem sint distantia: & cuiushibet naturæ suum sit proprium; scilicet humanum, angelicum & diuinum.] nos de humano, siue mentis verbo eatenus tantum aliqua dicimus, vt penitiùs ea, quæ de verbis mysticis ponuntur, intelligi queant. itaque [illud propriè dicitur *a* verbum interius, quod intelligens intelligendo format.] vel verbum mentis est illud. quo mens sibi interius rem exprimit, repræsentat, & velut eloquitur: hoc autem facit formaliter per ipsum rei conceptum, qui nil est aliud, quam rei notitia, & cognitio. atque ita omnis cognitio, seu conceptus rei, est verbum mentis: quando scilicet res ipsa immediatè interius menti exprimitur. [de duobus porrò *b* mens sibi aliquid exprimit, scilicet vel de seipsa, vel de rebus alijs. de seipsa, nulla ratione negari potest cum mens rationalis seipsam cogitando intelligit, imaginem ipsius nasci in sua cogitatione, imò ipsam cogitationem sui esse imaginem ad sui similitudinem, tanquam ex eius impressione formatam. quamcunque enim rem mens, seu per corporis imaginationem, seu per rationem cupit veraciter cognoscere, eius vtique similitudinem, quantum valet, in ipsa sua cogitatione conatur exprimere; quod quantò verius facit, tantò rem ipsam verius cogitat. De alijs autem, cum cogito notum mihi hominem absentem, formatur acies cogitationis meæ in talem imaginem eius, qualem illam per visum oculorum in memoria attraxi: quæ imago in cogitatione, verbum est eiusmodi hominis, quem cogitando dico. Habet igitur mens rationalis, cum se cogitando intelligit, secum imaginem suam ex se notam, id est, cogitationem sui ad suam similitudinem, quasi sua impressione formatam.]

Verbum mentis autem siue sit de rebus alijs, siue de ipsa anima, aut proprio esse spiritali, hoc ipsum eris vel in imaginatione, [sicut *c* phantasma Carthaginis est verbum Carthaginis;] imperfectum tamen [cum in verbis quæ in imaginatione fiunt, non sit ratio verbi expressa.] vel erit in memoria; scilicet [*d* cum intellectus accipit à memoria, quod ab ea sibi offertur, non eam spolians, quasi in ea nihil relinquens: sed similitudinem habiti in se assumens. & hoc est verbum memoriæ; adhuc tamen non habens perfectam rationem verbi. vel erit in intellectu: quando scilicet in principio actionis, intellectus, & species non sunt duo, sed vnum est in se intellectus, & species illustrata: & vnum in fine relinquitur, similitudo scilicet perfecta, genita, & expressa ab intellectu. quod quidem totum expressum, est verbum, & vltimum quod potest intellectus in se operari: & sic est verbum cordis.] & ita [mens *e* in anima nostra dicit illud quod est altissimum in

a *Ibidem.* b *Anselm. in monol. cap. 31.* c *S. Thom. opusc. 14. ex August.* d *Ibidem.* e *De verit. quæst. 10. art. 1.*

in virtute ipsius:] siue [*a* conceptum suum, qui est interius verbum.] Et horum quidem [verborum quædam oriuntur ex alijs: sicut verbum *b* conclusionis ex principijs: quædam verò non: sicut in rebus quæ non habent connexionem ad inuicem: vt patet de lapide, & ligno: quædam statim offeruntur intelligenti. quædam etiam cum maiori, quædam cum minori discursu. Ideò verba nostra quędam plus, quædam minus habent de cognitione: & quædam citiùs, quædam tardiùs formantur: sicut scire quarundam conclusionum tardiùs & difficiliùs, quarundam verò faciliùs, & citiùs acquiritur.]

Iam verò ad verbum mysticum quod attinet, licet omnes has conditiones mentis, & dictionis internas admittat; non tamen creaturam, sed Deum perfectè concipit: longeque eminentiùs operatur, dum lumen superexcedentis luminis participat: & hoc ipsum paulatim explicitè deserendo, magis principio amoris se iungit. [verbum *c* ergò, quod nos insinuare intendimus, cum amore notitia est,] & quod, post institutionem, vel instructionem intellectus, prorumpit in affectum amoris diuini. vndè etiam Patris Æterni [Filius *d* est verbum non qualecunque, sed spirans amorem,] & *e* imago bonitatis illius. sicut ergò quoties de re creata aliquid affirmatur, toties verbum mentis ab anima dicitur; ita etiam quoties de re increata, seu de Deo, eiusq; natura, persona, vel attributis in ordine ad excitandam, vel fouendam dilectionem Dei aliquid intellectu exprimitur, toties verbum mysticum profertur. siue hoc fiat seruiēte, siue comitante, phantasia, siue intellectu magis agente, siue magis patiente, siue mediante lumine infuso, siue resultante, siue expresso.

Itaque generaliter loquendo, verbum mysticum est id, quod anima intelligendo, de Deo sibi interiùs quoquo modo exprimit, vt eum diligat: siue eius perfectionem affirmet; siue eius imperfectiones neget. Verùm cũ verba mystica etiam cuilibet vocaliter attentè orante sint in vsu, siue orans hoc sciat, siue nesciat; & apud incipientes, & proficientes mysticos, vt plurimum habeant phantasiam seruientem, aut notabiliter concomitantem, accuratiori examine hic consequenter opus est, quo verbi mystici imperfecta, perfecta, & perfectissima ratio, penitiùs inspiciatur.

De imperfectis verbis mysticis, pro vt sunt præambula ad verbum perfectum.

ARTICVLVS TERTIVS.

IAm verò cum [intellectus noster semper *f* habeat apud se verbum informe, id est, indistinctam, & confusam cognitionem; non autem verbum semper formatum: ipsum autem verbum

a *Et q. 4. in Concl. 1. p. q. 107. a. 1. c.* b *Opusc. 14.* c *S. Augustl. lib. 9. de Trin. c. 10.* d *S. Thom. 1. p. q. 43. a. 5.* e *Sap. 7.* f *S. Thom. opusc. 53.*

bum sit triplex, scilicet verbum cordis, verbum memoriæ, & verbum imaginationis. Verbum autem cordis duntaxat, sit vltimum *a* quod potest intellectus in se operari. ad ipsum enim, in quo quidditas rei percipitur; imò quia ipsemet est quidditatis similitudo, terminatur intelligere: plenamq; habet rationē verbi, cum in ea quidditas rei intelligatur.] constat clarè, quod verbum imaginationis, & memorię sint præambula, & relatiua ad verbum perfectum cordis; imò quam maximè præambulum est *b* [processus ille qui in cognitione verbi est, cum intellectus accipit à memoria, quod ab ea sibi offertur. quin imò adhuc etiam præambulum est intellectus, qui in lumine suo capit à memoria parata capienti à se.] super omnia autem [dantur præambula *c* ad intellectum, potentiæ scilicet sensus interni, & externi.] [quamdiu *d* ergò intellectus ratiocinando discurrit, huc illucque iactatur; necdum formatio perfecta est, nisi quando ipsam rationem rei perfectè cōceperit. & indè est quod in anima nostra est etiam cogitatio, per quam significatur ipse discursus inquisitionis; & verbum quod perfectum est: scilicet perfecta contemplatio veritatis, in qua intellectus intelligendo aliquid format. & sic verbum nostrum prius est in potentia quam in actu.] & imperfectum quam perfectum, & præambulo indigens.

Verba porrò inquisitionis, seu præambuli, tamdiu durant, quamdiu intellectus versatur circa suos actus, quasi reflectendo se super illos, & cogitando quid egerit, agat, agere debeat: benè, vel remissè succedat, & similia. sicut etiam quando intellectus vtitur adhuc phantasmate, aut illum vel imaginatio, seu species aliqua infima ruditer concomitatur. in quibus sæpè diu, multumque hæretur, priusquam omnibus, siue per affirmationem, siue per negationem transcensis, ac depuratis, super omnem affirmationem, & negationem perfectum aliquod verbum dicat. quæ quidem retardatio, & imperfectorū verborum pronūtiatio, non tam defectui operantis, quam conditioni nostri intellectus adscribi debet. [intellectus *e* enim humanus, non statim in prima apprehensione capit perfectam rei cognitionem, sicut Diuinus, & Angelicus; vndè necesse est eum intelligere, componendo, & diuidendo, & ratiocinando.] licet ergo hęc rationis intellectualis imperfectio moram adferat; non tamen impedit, quo minus etiam rationis inquisitio, per verba præambuli suum finem, & proportionatam dilectionem, seu in Deo bene-afficientiam cōsequatur [intellectus *f* enim & ratio differunt quantum ad modum cognoscendi: quia scilicet intellectus cognoscit simplici intuitu, ratio verò discurrendo de vno, ad aliud: sed tamen ratio per discursum peruenit ad cognoscendum illud, quod intellectus sine discursu cognoscit,] & consequenter amorem excitat: licet nondum perfectè, simpli-

a Et opusc. 14. b Ibid. 14. c 1. p. q. 78. d opusc. 13. e 1. p. q. 76. a. 5. c. f Opusc. 53. de intel. & intellig.

simpliciuè intelligentia, ac subtiliter, substantijsque separatis conformi modo. nostræ itaque operationis conditio, moderatè procedit; ita vt sicut vita ante se essentiam postulat, ita cognitio vitam, & amor cognitionem, & vnio amorem.

Quamdiu ergò [homo *a* perfectè scire non valet, quid sit Deus, nec ignorare tamen quid ipse non sit: eaque omnia abstrahendo negat; tam diu, nulli intellectus obiecto immoratur, sed exspectat semper quemadmodum materia formam; nam vt materia non quiescit donec omnes suscipiat formas; ita nec intellectus quiescit, nisi in illa veritate, quæ omnia in se concludit, continetque: illius essentia sola eum abundè satiat, redditque contentum.] quin etiam [quamdiu *b* veritatem substantiæ alicuius propriè non inuenit, & ipsum fundum necdum attingit, ita vt pronuntiare queat, istud est hoc, & ita est, haud secus; tam diu adhuc inquisitioni vacat, & exspectat adhuc, necdum se inclinat, nec quiescit, sed laborat continuè, & ipsam inuestigationem in quadam exspectatione deponit; atque hoc modo nonnunquam vno, vel amplius anno, vni naturali inuestigandæ veritati incumbit, scire volens quid ea sit: sed multò adhuc diutiùs laborat in abstrahendo, quod ipsa quam inquirit veritas non est, & interim sine obiecto, & sustentaculo persistit: nec vllum indè pronuntiat verbum; quippe cum necdum ad plenum hanc cognoscat veritatem: atque hoc modo nunquam in ista vita intellectus, supernaturalis veritatis, quæ Deus ipse est, fundum attingit; vndè semper manet in quadam exspectatione suspensus; semperque laborat, vt veriùs ignorantia quædam, quam scientia dici possit, quidquid hic percipit de Deo. nunquam enim ita manifestum se exhibet Deus, etiam amicis suis in hac vita, quin nil sit in comparatione illius, quod ipse est in seipso. Et licet veritas in ipso fundo sit, intellectui tamen manet abscondita, & operta: interim verò non detinetur intellectus, vt quiescat tanquam in aliquo obiecto; necdum finem ponit operi suo, sed adhuc præstolatur, & laborat circa vnum, nunc quidem absconditum, sed tamen quandoque reuelandum, cognoscendumque. Vndè etiam verbum perfectum non exprimit: sed circumspiciendo cognoscit.] [non enim dicimur intelligere, sed cognoscere *c* potius aliquid intelligendo, antequam conceptio aliqua in mente nostra stabiliatur.] ideò etiam [spiritui *d* commotionis, & igni non in esse Dominus dicitur: esse verò in sibilo auræ tenuis non negatur. quia nimirum mens, cum in contemplationis sublimitate suspenditur, quidquid perfectè perspicere valet, Deus non est. cum verò subtile aliquid conspicit, hoc est quod de incomprehensibili substantia æternitatis audit. quasi enim sibilum

a *Taul serm. 2. in circumc.* b *Ibid.* c *S. Thom. Opusc. de intellectu & intellig.* d *S. Greg. l. 5. Moral. c. 26.*

sibilum auræ tenuis percipimus, cum saporem incircumscriptę veritatis contemplatione subita, subtiliter deguſtamus tunc ergò verum est quod de Deo cognoscimus, cum plenè nos aliquid de illo cognoscere non posse sentimus.]

[Spiritu ergò *a* præparato, sine vlla dilatione idem ipse Deus scilicet ingreditur, & sine vlla mora gratiam largitur.] ad quam quidem præparationem [& perfectam contemplationem exigitur: quod duplex eius *b* difformitas amoueatur; primò quidem illa, quæ est ex diuersitate externarum rerũ; prout scilicet relinquit exteriora: secundò autem, ea, quæ est per discursum rationis: & hoc contingit, secundum quod omnes operationes animæ, reducuntur ad simplicem contemplationem intelligibilis veritatis. Et tunc istis duobus præmissis, tertiò ponitur vniformitas conformis Angelis: secũdum quod, prætermissis omnibus, in sola Dei contemplatione persistit.] & tum [ex *c* bono realiter coniuncto] prouenit [delectatio quæ nihil aliud esse videtur, quam *d* quietatio voluntatis in bono conuenienti; sicut desiderium (seu verbum præambuli) est inclinatio voluntatis in aliquod bonum consequendum.] & ideò etiam verba præambuli imperfectè tantum delectant; prout scilicet bonum proportionatum absens, per desiderij inquisitionem quodammodo præsens constituitur, vsque ad verbum perfectum quod vitaliter bene-afficit ex bono, quod perfectè, & realiter coniungit, & gaudium facit.

[Si quis igitur dati *e* sibi modicè, exiguique luminis fines transeat: & aduersos radios id quod eius aspectum superat, temerè intueri conetur; lumen quidem nihil præter id quod est accommodatum, efficiet: ipsum autem liberum arbitrium, quod perfectis rebus minus perfectè studet, datque operam, nec ad ea quæ ipsius non sunt perueniet; nec mediocritatem illam, quod immoderatè se offerat atque iactet, per se assequetur.] & ideò tam diu modico lumine verbi, seu operationis præambuli, pia anima se contentare debet quousque vitaliter excitata, voluntas dilecto frui valeat. [intellectus enim non mouetur per hoc quod *f* recipit formas, sed magis quiescens perficitur, & intelligit,] ac per hoc ex maiori amore, maior cognitio procedit, ad fruitionis continuationem. hisce dictis, ergò de imperfectis verbis consequenter dicendum est,

Quid, & quotuplex sit verbum mysticum perfectum.

ARTICVLVS QVARTVS.

LIcet secundum quod Essentia diuina est obiectum intellectus quod quid est, non possit proferri à nobis in hac vita, verbum de Deo perfectum; cum

a Taul. serm. 1. infr. oct. Epiphan. *b S. Tho. 2. 2. q. 180. a. 6. ad 2.* *c Li. 1. Cont. Gent. c. 10.* *d Li. 2. Cont. Gent. c. 26.* *e S. Dion. de Eccl. Hier. c. 2.* *f S. Thom. l. 2. Cont. Gent. c. 50.*

cum nos viatores Dei quidditatem non nisi in abstracto intelligamus; hoc ipsum tamen non obstat, quin aliquod verbum mysticum perfectè proferri possit. Verbum enim mysticum perfectè sumptum, non est aliud, quam repræsentatio Dei quo ad significatum substantiale, per conceptum quidditatiuum in abstracto, totam capacitatem intellectionis, & dilectionis animæ, adæquato actu adimplens.

Verbum porrò tam perfectum, non ita facilè formatur: [nostrum enim verbum non est semper *a* formatum; sed quandoque habituali notitia ad illud se habet; sicut potentia ad actum. plenam autem rationem verbi habet cum in eo quidditas rei intelligitur:] non quidem claræ visionis: hoc enim in Scholastica Theologia in actu transeunte duntaxat, Adamo, Moysi, & Paulo contigisse [vix *b* credimus.] hinc etiam statim supra ponitur, quantum ad substantiale significatum, non autem partiale, scilicet sapientiæ, misericordiæ, infinitatis, omnipotentiæ &c. sed sub ratione omnis Boni. quidditatiuo quidem conceptu, repræsentante ipsam essentiam diuinam, sed in abstracto, & notitia media claræ visionis patriæ; & in Nunc instanti, consortij diuinæ naturæ, idque adæquata intellectione, & dilectione, qua quidem non plus intelligit quam diligit, nec plus diligit, quam intelligit: quæ fruitio maximè conformis est ad modum operandi substantiæ separatæ, & perfectissimæ animæ.

Cæterum verba mystica perfecta, secundum quod specificè considerantur, tria sunt: primò, quando per species infusas Deus supplet ordinarium modum operandi, scilicet intellectus, *c* & diligit. secundò, quando Deus immediatè mouet vim amatiuam in centro voluntatis, sine præuio intellectu, in Nunc actus exercitio ad amorem, excitandum *d* directo. Tertiò, quando intellectus agens gratia mystica sanatus, & donis supernaturalibus intellectus, & maximè sapientiæ à Deo inductus, per species *e* expressas operatur, & Deum sibi repræsentat.

Porrò huius tertiæ speciei verba ita sunt perfecta; vt tamen vnum sit alio perfectiùs: & primò quidem, quando intellectus agens à phantasmatibus abstrahit, & speciem, vel similitudinem Diuinitatis in intellectu patiente in verbum formandum porrigit, ad beneaffici ex vtroque resultans, & sic describi potest: verbum mysticum est fruitio, seu vitale, beneque afficiens consortium diuinæ naturæ, per operationes intellectus expressum. secundò, quando per istiusmodi operationes verbi, seu verborum, ipsum bene-affici, seu fruitio diuina, penè inaduertenter augetur, & tandem operationibus intellectus præualet, ita vt non nisi notitiam intellectu superiorem compatiatur; cum longè arctiùs amori, quam notitiæ

a *S. Thom opusc. 14.* b *Thom. à Iesu de Cont. l. 5. c. 14.* c *Sup. decis. 5. art. 1.* d *Ibid. artic. 2.* e *Ibid. art. 1.*

titiæ intendat: in eo enim actu, necdum perfectum verbum intellectus à lumine maiestatis suppressus pronuntiat, & sic describi potest: verbum mysticum est consortium diuinæ naturæ vitaliter bene-afficiens sine *a* verbo intellectus plenè formato. videtur enim ad eius perfectam dictionem ipso lumine ecstatico opus fore. hoc verbum à præcedenti in eo differt, quod intellectus nullum verbum exprimat, affectu superexcedente. ideo etiam fruitione durante, *b* mysticus est in optimo modo huius vitæ, non quidem operandi; sed accipiendi: id quod pro tanto longè perfectius est, quam primum verbum: cum amor bonum magis realiter coniungat, quam intellectus. Tertiò, quando affectu hoc remittente, in intellectu patiente resultat species intelligibilis iam habitæ communionis Diuinæ naturæ; quæ quidem species est *c* Agalma, seu pulcherrima præstantissimaq; imago seu repræsentatio benè illius afficientiæ: quæ licet intellectum excedebat, non tamen ab omni *d* intellectuali lumine & capacitate, trunci alicuius instar priuabat, & sic describi potest. Verbum mysticum est communicatio Diuinæ naturæ per speciem resultantem. differt hoc verbum ab vtroque præcedente; non enim per intellectum agentem prima eius species fabricatur. sed ipsam speciem, ipso instanti, quo intellectui patienti videre permittitur, ex superexcedente amore resultantem recipit; dein idem ipse intellectus patiens sua actiuitate perficit dicendo ilicò ipsum verbum mysticum; per quod etiam à secundo verbo differt, quod affectu transcendente, dici non potuit: hinc etiam naturæ magis gratum, & proportionatum est, cum vtramque potentiam in adæquato *e* actu, scilicet intellectionis, & dilectionis, admittat. quod autem, vel ad vnicum verbum mysticum perfectè formandum, plura requirantur, consequenter dicemus,

Ad formationem verbi mystici perfecti, quatuor esse necessaria.

ARTICVLVS QVINTVS.

NVlla res, qua simpliciter est, efficit opus aliquod; sed quà benè est, beneque se habet. [res ergò creata cum suam *f* perfectionem non in vno; sed in multis in supremo vnitis, possideat: eo quod bonitas non in suo esse solum consistat; sed in omnibus alijs, quæad suam perfectionem requiruntur.] oportet in verbo mystico, sicuti in verbo diuino quatuor considerare. Verbum namque diuinum repræsentat essentiam diuinam, & tres personas. vndè (per impossibile) posita diuina natura, sine operatione ad intra; certè otiosa, & vt ita dicam, indigesta maneret. [nisi enim in summo Bono æternaliter esset productio *g* actualis, & con-

a *Hic a.12.* b *Hic a 18.* c *Hic a.17.* d *vt Hic a.12.* e *Hic a.18.* f *S.Thom.l.3.Cont.Gent. c.20.* g *S.Bonau. Itin.ment.c.6.*

consubstantialis, non esset summum Bonum, quia non summè se diffunderet.] ad naturam ergò Diuinam, & substantiam spiritualem pertinet, proportionatum bonum habere: & iam habitum per operationes perficere; ita vt quies in vnitate essentiæ, actio in Trinitatis distinctione simul sint. nec enim [summum Bonum potest *a* rectè cogitari, quin cogitetur trinum, & vnum.] simili itaque ratione verbum mysticum quatuor repræsentat, scilicet consortium diuinæ naturæ, & tres operationes. & horum quidem primum est [sensus *b* Diuinus,] seu vitale bene-affici, existere, aut habere, summi Boni. siue hoc contigerit ex verbo imperfecto, siue perfecto, siue ex immediato Dei influxu, voluntatis commotione, aut alio extraordinario, & supremo, quocunque tandem modo experimentali: secundum quem [in rebus spiritualibus (licet non corporalibus) prius *c* gustatur, postea autem videtur: quia nullus cognoscit, qui non gustat; & ideò prius dicit, gustate, & postea, videte.] vndè non obstat quod dicit Augustinus, incognita nequaquam possunt amari: quia est notitia aliqua non intellectualis; sed *d* affectualis, seu experimentalis;] ita vt sicuti [sensibilia sunt *e* prima principia cognitionis humanæ,] ita quoque sensus Diuinus, seu præexistens, & animum sanans bene-affici in consortio diuinæ naturæ per prius in ipsa voluntate, sit primum motiuum cogitationis, & formationis verbi mystici, seu principium [eius, vndè *f* cognitio concipitur.] & quia [participatio diuinæ bonitatis, & gratiæ, quæ non est principale *g* mouens ad Deum,] est in animæ essentia; voluntas autem per prius ipsam animæ essentiam contingens, est potentia indeterminata, & consequenter, non potest exire in actum (ordinario cursu,) nisi determinetur, scilicet per operationem intellectus agentis; & conformiter ad intensionem, vel remissionem vitalis præexistentiæ, speciem elicientis; hinc eiusmodi elicita species est secundum. sicut enim vita ante se essentiam postulat; nisi enim sit, non viuit; ita cognitio vitam, nempè non cognoscit, nisi prius viuat. in tantum vt omnis cognitio mystica, in voluntate, seu vitali communione diuinæ naturæ fundamentum habeat. atque ita [*h* intellectus possibilis deindè per speciem rei informatus, intelligendo format in seipso quandam intensionem rei intellectæ.] & hoc est tertium. quia verò in mystico verbo, ex vtroque intellectu [spiratur *i* amor, qui est nexus amborum.] hinc sequitur quartum, in quolibet verbo mystico.

Quisquis igitur primò per communionem Diuinæ naturæ, in essentia:

a *Ibid.* b *Ioan. à Cruc de obscu. noct. l. 2 c. 9.* c *S. Thom. in Psalm. 33* d *S. Bonauent. 1tin. 5. ater. d. 5.* e *22. q. 154. a. 5 act. 3.* f *q. 10. de mente a. 9. c.* g *Opusc. de Beatit.* h *l. 1. Cont. Gent. c. 53.* i *S. Bonau. 1tin. Ment. c. 2.*

& per tres operationes, intellectus scilicet agentis, patientis, & voluntatis ab vtroque vitaliter excitatæ ; [Deum inuenit, ab eo quatenus Deus est discedere non potest. dumque hoc intellectus apprehendit, ibi & memoriam, & voluntatem, seu amorem subsequi oportet.] [quod enim Deus in anima *b* nascitur, ipsam plenè felicem, & beatam non efficit: sed illud potius, quod cum amore intimo, & vnione interna cognitionem illam sequitur, quæ in ipsa generatur, & in eam reuertitur originem, vndè nata est, & profluxit, illi adhærens, & quod suum est deserens abneganſque; beata nunc atque felix effecta, non de eo quod suum, sed quod illius ; habet enim Anima si velit, & Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum intra se præsentem: & sic in eam, quæ in ipsa est, vnitatem promanat, nuduſque ei Deus in ipsa nuda anima manifestatur.] [licet autem opera Sanctæ Trinitatis *c* ad extra sint indiscreta ; tamen vnicuique personæ in diuinis appropriatur actio sua propria in tribus superioribus viribus animæ. quia spiritus Sanctus suo tractu operatur in voluntate seu virtute amatiua superiore : Filius in vi intellectiua: Pater in memoria. Et tunc anima apta efficitur ad contemplandum Deum. Cæterùm quia spiritus Sanctus nobis propinquior est secundum effluxum Sanctæ Trinitatis, eò quod procedat à Patre & Filio ; idcircò amatiua vis primò agitur, & trahitur, deindè intellectus & memoria.]

Nec mirandum est, formationem verbi mystici, ante operationes intellectus, vitalem communionem diuinæ naturæ prærequirere. Vndè enim, nisi [ex bono *d* bonitatis imago] habebitur? & vndè species ad actualem beneafficientiam elicietur, nisi sit ex præexistentia boni communicati per donum habitus supernaturalis, & maximè sapientiæ? ita vt talis [habitus per *e* essentiam suam sit principium talis actus] & vitalis communionis, ad eliciendam speciem pro Hic, & Nunc vnicè propriam: & ad operationem intellectus agentis conformem? Sed dices primò, intellectus sine eiusmodi vitali afficientia, potest mouere voluntatem ad seruanda mandata Dei, & Sanctæ Ecclesiæ, & ad actus charitatis spirituales, & corporales proximi exhibendos; sicut & alios actus virtutum. Respondeo, cum gratia Dei optimè hæc fieri; sed tales actiones esse operationes, effectus, seu verba gratiæ Sanctificantis, & vitam æternam pro futuro merentis. Secundò, Intellectus potest formare multas conceptiones de Deo, vti est vnus, & Trinus, immensus, æternus, omnipotens, & his similia multa, absque dicta vitali communione diuinæ naturæ. Respondeo, & hæc optimè

a Taul. ser 2. in Circumc. b Idem ser. 2. in natiu. c Harph. l. 2. p. 4. c. 63. d S. Dion. de diu. nom c. 4. e S. Thom. q. 10. de ment. art. 9. c.

optimè, sanctéque fieri ab illis, quibus credita sunt eloquia Dei; sed eiusmodi esse tantum Theologicas, & conformes fidei reuelatæ: vbi intellectui ex natura actionem satisfit, à veritatis positione; videns enim intellectus verum esse, scilicet quod Deus sit vnus, & Trinus, habet quod ex natura illius operationis intendit. & talia verba sunt speculationis, quæ pro vlteriori fine non habet actualem excitationem voluntatis, ad vitale consortium diuinæ naturæ. mystica autem operatio, loquutioué spectat comprimis talem afficientiam: aliasque dictas operationes gratiæ sanctificantis, & fidei reuelatæ exercet, quando decet, & mysticis functionibus, in exercitio actus, summè non intendit.

Difficiliùs insuper formantur operationes, seu verba mystica, quam alia verba iam dicta. cum enim [intellectus sit potentia *a* apprehensiua, voluntas appetitiua;] [intellectus autem, & sensus non moueant nisi mediante appetitu,] oportet in negotio mystico (vbi sensus diuinus tanquam cœlica sanitas præsupponitur) prius sensum, & vitam habere, antequam vitaliter possit operari, vel loqui. quia nimirum [essentialis, & substantialis, vnio fit in *b* anima, & potentijs, & in fundo substantiæ animæ, & potentiarum dulcissimè complexus *c* celebratur supremæ Transformationis,] & [regnum Dei quod intra nos est, in ipso videlicet intimo fundo supra *d* omnium virium operationem, seu actualitatem oritur.] itaque [sicut occulta Deitatis natura secundum modum personarum æternaliter contemplatur, & amat; sic secundum essentiæ suæ vnitatem in quodam semper complexu fruitur personarum. in quo nimirum complexu deuoti spiritus vniuersi vnum cum Deo profundo amoris profluuio protinus efficiuntur.] ne quis autem sibi imaginetur, hæc quatuor multiplicitatem causare, dicimus consequenter,

Quod verbum mysticum formetur in instanti.

ARTICVLVS SEXTVS.

SI quis vt arrham gloræ, generalem modum se se ad Deum conuertendi, eamque conuersionem per intellectum agentem, continuè abstrahentem, & bonum vitaliter afficiens reijcientem, sibiipsi constituerit; facillimè has mysticas industrias, diuinosque in orbe terrarum, seu animæ lusus contemnet, tanquam quæ speculatiua sint, internæ quieti noxia, & liberas operationes spiritus retardantia. cuius quidem obiectiunculæ mussitationem, tanquam mysticæ distinctionis, & instantaneæ operationis realis, vitaliterque afficientis ignaram, ac

a *Opusc. 35.* b *Ioann. à Cruc. l. in explanat. Cant.* c *Taul. serm. 2. in Fest. SS. Trin.* d *Harph. l. 3 p. 4. c. 27.*

perfecta, integra & instantanea fruitione carentem, (prout ex omnibus quæ tota hac Decisione dicuntur, certum fieri potest) illi relinquimus, qui ita sua sorte contentus est, vt pretiosum à vili non separet, ac sapientiæ thesaurum in ore sapientis, & particulari operatione desiderabilem deglutiat, dum quibusuis absque delectu, ordine, & congruitate ad Deum tendentijs, desiderium animæ suæ replet.

Et ideò accuratius rem prosequendo, dicimus: in instanti formari, & pronuntiari verbum mysticum, quamuis ad eius integralem perfectionem, quatuor ab inuicem distincta, & mutua operatione in vnum bonum concurrentia, requirantur. licet enim [prius natura sit informari *a* quam intelligere, sed non tempore.] quia [res intelligibilis eo ipso intelligitur, quo intellectus formatur sua specie actu. simul ergò tempore intellectus *b* format, & formatus est, simulque intelligit; quia ista non sunt motus de potentia ad actum: quia iam factus est intellectus in actu per speciem. sed processus perfectus de actu in actum vbi non requiritur aliqua species motus.] & sic visio & amor fiunt simul in instanti: omnibus ergò mobilibus *c* mobilior sapientia, ex nobilitate suæ actiuitatis in summo & optimo actus, in instanti sua perficit: & [absque *d* rationis discursu comprehenduntur ea, quorum species sunt in cognoscente.] vndè in fundo, seu mentis apice occulto, quietoque silentio [verbum suum Pater Cœlestis, centuplo *e* celerius pronuntiat, quam transeat momentum.]

Porrò instantaneæ illius operationis, ratio est, tum quod [nulla *f* actio possit durare in suo summo, pro vt summum contemplationis vniformitatem contemplationis, id est simplicem animi intuitum, abstractum, & eleuatum conseruat,] sensibus non ligatis, tum quod [intellectus si mouet, *g* moueat in instanti:] tum quod in amoris fruitiui actus exercitio, sicut [in *h* intellectu substantiæ separatæ, sit quædam intelligentiarum successio, vt actus succedit actui.] vt autem ad oculum magis constet quatuor illa, vel ad vnicum verbum mysticum formandum prærequisita, nullam multiplicitatem fruitioni aduersam causare, consequenter dicimus,

Quod hinc facilitas pronuntiandi verbum mysticum, oriatur.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

VErba quidem mystica imperfecta, seu vt sunt præambula ad perfectum; eò quod aut cõponendo, aut diuidẽdo, aut appetendo, inquirãt; tardè, & difficulter pronuntiantur: at verbum

a S. Thom. opusc. 14. b Ibid. c Sap. 7. d S. Thom. l. 1. Cont. Gent. c. 57 e Taul. Dom. 5. Quad. ser 1 & Harph. l. 3. p. 4. c. 30. f S. Thom. 2. 2. quæst. 180 artic. 8. ad 2. g lib. 1. Cont. Gent. c. 20. h Ibid c. 96.

bum perfectum, de quo hic loquimur; ex ipsa spiritus instantanea actiuitate facillimè pronuntiatur, & hoc primò, quia *a* [tempori & morositati non subijcitur,] & intelligibilia, à sensibilium conditionibus abstrahit. Secundò, quia sicut per gratiam gratum facientem velle adiacet; ita per supernaturale donum sapientiæ, pro vt ad exercitium actus, & vsum, diuinæ naturæ consortium præbet, perficere inuenit. in tantum, vt ex ipso Bono vitaliter præsente, & quasi cœlica sanitate obumbrante, intellectui agenti ilicò, & in ipso instanti lumen proueniat, & in intellectu patiente verbum formetur; ab vtroque autem Boni ratio profluens, ipsum Bonum subtiliùs, & substantiæ spirituali conformiùs perficiatur. Tertiò, quia quando proceditur in actus exercitio per donum sapientiæ; [formatio *b* verbi non transit ipso formato, sed dum actu intelligitur continuè formatur verbum, quia semper est vt in fieri: & vt in egrediendo à dicente. Vndè & [per desiderium *c* semper de nouo contingitur, & ad noua interna opera excitatur.] Quartò, quia licet continuatio fruitionis ex humana conditione interrumpatur: [intellectus tamen *d* quolibet finito dato, aliud molitur intelligere.] atque ita de nouo *e* facillimè diuino radio, pijs mentibus semper collucente, intellectus agens se reflectens, operari incipit, & bonum naturæ diuinæ per donum sapientiæ communicatum, distribuere non cessat. Vt autem & hæc clariora fiant, consequenter dicitur,

Per operationem successiuam verborum mysticorum, continuari fruitionem, ordinata, & perfecta quiete.

ARTICVLVS OCTAVVS.

NOn tantum in instanti, & facilè verbum mysticum profertur; sed eius subsequens scilicet verbum, & perfectior dictio vsque adeò necessaria est, vt sine ea fruitio, & perseuerantia boni Nunc instantis, subsistere nequeat. cum enim fruitio *f* ad delectationem spectet, & appetitiuæ potentiæ actus sit.] non potest fruitioni vnus actus sufficere; nam appetitus, insatiabiliter aliam, atque aliam subsequentem delectationem cupit; nec vno actu totam suam vim exprimere potest. sicut intellectus, non vno verbo omnia dicit; sed multis, propter impotentiam in intelligendo. hinc etiam ipsum verbum perfectum, est præambulum verbi immediatè subsequentis, & proferendi, nam [verbum *g* nostrum semper est in continuo fieri; cum perfectum esse suum sit in continuo fieri.] atque ita constituitur vna differentiarum verbi nostri, & diuini. [nos enim *h* non possumus omnia quæ sunt in anima nostra vno verbo exprimere: &

a *S.Thom.l.2.cont.Gent.c.96.* b *Opusc.14.* c *Harph.l.3.p.3.c.18.* d *S.Thom.l.1.cont.Gens. c.55.* e *Vt hic a.22.* f *S.Thom.1.2.q.11.a.1.c.* g *Opusc.14.* h *Opusc.13.*

ideò oportet quod sint plura verba imperfecta, per quæ diuisim exprimamus, omnia quę in scięntia nostra sunt. in Deo autem vno actu vnicum verbum diuinum, expressiuum est totius, quod in Deo est: non solum Patris, sed etiam creaturarum, aliter esset imperfectum.]

Et cum in quolibet verbo nostro sit aliquid quasi adhuc informe, imperfectumque; ad formam absolutam natura contendens, quæ quidem sua cuiusque bonitas appellatur, qua iam comparata rursus mouetur ad finem aliquem, vt ad bonum: hinc est quod [vltima *a* felicitas hominis ponatur in continuatione intellectus possibilis, ad intelligentiam agentem.] cuius quidem continuationis [motus, *b* est causa delectationis quoad omnia, quæ in ipsa delectatione reperiuntur; idque ob transmutationem boni delectabilis, & delectantis; quod in nobis fit per successionem partium, non autem totius.] & hoc non tantum circa intellectum; sed etiam, & quidem quam maximè circa affectum. & ideò [intellectum & affectum *c* pariter coambulare necesse est, vt illa secretissima contemplationis itinera perquirentes attingere valeant. alioquin intellectus sine affectu claudus efficitur: affectus autem sine intellectu cœcus esse probatur. coambulent ergò necesse est, vt & intellectus affectui viam per quam ambulet, & finem quem desiderat lęculenter ostendat: affectus autem intellectum in terminum desideratum, & præmonstratum impetu suo transferat, & perducat;] quia [mentes *d* cœlestes, vel spiritus rationales ad interiora nitentes, cognitione, & dilectione accedunt, & proximæ fiunt secundum excellentissimam collocationem, quam habent iuxta Deum.]

Et ne quis ad fouendum otium internum sibi imaginetur, motum & operationem, vnionis quietem turbare, eiue aduersari, sciat quod [motus *e* intelligibilium operationum, ad ipsam quietem contemplationis pertineat;] illamque continuet actibus successiuis, & verbis ex verbo formatis, vti præmissæ ex conclusione; attamen fixum intuitum non impedientibus; adinstar visus qui momentanea coniunctione palpebrarum minimè turbatur. [operatio enim intellectus, in quo *f* contemplatio essentialiter consistit, motus dicitur, secundum quod motus est actus perfecti;] & pro vt in substantijs intellectualibus actus succedit actui; quodam intelligendi ordine, & amorem excitandi; non crasso, & sensibili, sed subtili, & spirituali modo. & quia [ex speciebus *g* primò acceptis alias formare possumus,] [*h* maior amor necessariò causat maiorem cognitionem;] & consequenter per amorem [intellectus *i* acquirit dispositionem

a *S. Thom. 1. 2. q. 3. art. 4. c.* b *1. 2. q. 32. art. 2. c.* c *Harph l. 3. p. 2. c. 9.* d *Hugo sup 7. Hier. Angel.* e *S. Thom. 2. 2. q. 180 a. 6 ad 1.* f *Item ibid. ad 3. & in c.* g *1. p. q. 12. a. 11. ad 2. hi. 2. q. 27.* i *Lib. 3. cont. Gent. c 53.*

nem de nouo,] & [intelligendo in infinitum extenditur.] id est absque limitatione, incarceratione, aut captiuitate liberè operatur, & ipsum bonum consortij diuinæ naturæ, ac mysticæ vnionis pulchritudine, & lumine spirituali illustrat, & perficit. quod aliud non est, quam fruitionem amoris, per operationes ad quietem contemplationis pertinentes, continuare: & à falsorum, ac otiosorum spiritualium chymeris, obscuris tenebris, & vacuis negationibus, iure meritò declinare. Virtutis enim amatiuæ est vnire duo, scilicet spiritum diuinum, & humanum in vno quodam tertio, scilicet verbo mystico, & copulare ad nouum aliquid inde conflandum, scilicet verbum verbi mystici. & tum vtiliter [aguntur *a* spiritu Dei, vt & ipsi, quod agendum est, agant, &, cum egerint, illi à quo aguntur, gratias agant. spiritus enim Dei qui eos agit, agentibus est adiutor, & ductor. Aguntur ergò vt agant, & ad hoc eis ostenditur, quid agere debeant: vt hoc sicut agendum est, agant, id est, cum dilectione, & delectatione iustitiæ: quia, qui spiritu Dei aguntur, charitate aguntur, & excitantur.]

Pari modo ne quis absurdè, aut ruditer subdubitet, an continuatio fruitionis per verbum verbi mystici, seu operationis mentalis vnius ex alia, ita fiat; vt explicita, & reflexa notitia, in actus exercitio aduertat, vel intra se dicere debeat, aut possit, scilicet iam est formatum vnum verbum, aut quomodo ex formato hoc verbo, aliud, seu verbum verbi formabo: sciendum est, omnem notitiam reflexam, qua quis adhuc nouit, quid agat, aut agere intendat, desideretue, ac etiam an supra vel infra, sinistrorsum, vel dextrorsum, ante vel retro, extra vel intra, eundum, aut cogitandum sit, & plura similia; ad verbum imperfectum, & operationem ad perfectiorem tendentem pertinere, & non nisi verba præambuli esse; eò quod præcedant, & ad perfecta disponant, vt dictum est supra *b* & ideò ad perfectum verbum, de quo hic loquimur, non facere, sicut nec quilibet super his, & similibus, discursus, qui in verbo perfecto locum non habent. in illo enim [discursu *c* cessante figitur animæ intuitus in contemplatione vnius simplicis veritatis; versaturque circa intellectum primorum principiorum, in quo non erratur.] nec dubitatur an benè agat; vel cogitatur, quid agat, quidue agendum sit: sicut ordinariè accidit videndo lumen diei, non dicimus, lux non est caligo, lux est qualitas: sed simpliciter oculos in lumen conijcimus: ita quoque anima in perfecto modo operandi, nihil negat, nihil etiam affirmat, sed tantum intelligentiæ lumen in Deum ipsum, cum suprema reuerentia erigit, illumque tranquillissimè videndo, se pascit.

Itaque

a *S. Anselm. in hunc locum Roman.* b *Hic art. 3.* c *S. Thom. 2. 2. quæst. 180. art. 6. ad 2.*

Itaque [cum *a* aliquis spiritualem oculum in radio æterni solis figit, ibi lumen videns videt: quia iam omni mutabilitatis vicissitudine, atque obumbratione calcata, veritati æternitatis inhæret, eique inhærendo quem cernit ad similitudinem incommutabilitatis assurgit, atque in semetipsum auctoris sui inconuertibilem speciem, dum recipit, assumit.] anima enim [quæ ad mutabilitatem *b* per seipsam lapsa est, ad immutabilitatis statum immobilem videndo formatur.] & [in eadem *c* cogitatione sine intermissione semper eminenter manet, vt in illam abyssalem claritatem continuè feliciter transformetur. similitudinem gerens diuinarum personarum,] per hoc quod [ab æterna *d* veritate (& bonitate) conceptum verbum apud nos habemus, & dicendo intus gignimus, nec à nobis nascendo discedit.] quia nimirum [per *e* verbum est notitia (scilicet noua) quam intellectus concipiendo cognoscit,] vt nouum verbum formet, & ita continua intelligentiarum successione viuat, pro vt [intelligere est quoddam viuere,] & per actiones intellectus, & voluntatis Deo amicabiliter vniri, & frui; non autem de diuina veritate speculatiuè duntaxat oblectari, pro vt contemplatio veritatis per se, nudè quodammodo, oblectat: sed pro vt [fruitio *f* est amantis (scilicet animæ) in amato (scilicet Deo) quietatio.]

[Diuinum itaque *g* intelligere est absque successione, totum simul, & æternaliter existens: nostrum autem intelligere successionem habet, in quantum adiungitur ei peraccidens continuum, & tempus:] & pro vt [in intelligentibus *h* creatis, intelligere ipsum non est subsistens, sed actus subsistentis.] ita vt necessariò in continuatione actionis fruitiuæ formari debeant verba, seu loquutiones, operationesue, ad hoc, vt vita æterna, quæ Nunc est, scilicet præsentis; sit & futuræ, scilicet immediatè instantis. & tunc ordinatè, ac realiter [aduentus *i* sponsi absque tempore in quodam Nunc sempiterno consistit, & semper noua cum appetentia, ac nouo gaudio suscipitur.] quoniam [*k* ista lux (qua viuit anima in lumine diuino) in abscondito spiritus semper sine intermissione renouatur: & anima nostra in æterna nouitate semper feliciter, & gloriosè cum Filio DEI generatur.] atque ita [non est *l* momentum, quo non homo mirabiliter, ac ineffabiliter, viciniùs, profundiusque in DEVM pertingere possit. ipsa autem conuersio, siue introuersio, si integra, veraque sit, solumque

a *S. Greg. apud Bonau. 6. Itin. Æter. decis. 1.* b *Idem ibid.* c *Harph. lib. 3 part. 4 cap. 30.* d *S. Augustinus lib 9. de Trin. cap. 7.* e *S. Thomas opusc. 53. de intellectu & intellig.* f *1. 2. quæst. 4. art. 3. c.* g *S. Thomas lib. 1. cont. Gent. cap. 102.* h *Ibid. & Bonau. Itin. ment cap. 6.* k *Harph l. 2. p. 4. c. 65.* l *Taul. instit. c. 28.*

solumque Deum purè, ac nudè intendat, quoties renouatur, toties nouam gratiam, nouam puritatem, nouam lucem, nouam confert vicinitatem;] in qua sicut solaris radius vbique vigens non tam efficit, vt omnia vbique luceant, quam vt omnia quodammodo calcant, viuantque multa, calendo potius quam lucendo. sic & mysticus ordinata successione procedit, quoadusq; magis in amore diuino succensus, quam lumine eius illustratus, vi amoris se extra statum suum dimoueat, vsq; ad suauem mentis excessum.

In hoc ergò statu, in quo velle, & posse adiacent, per ordinatam successionem verbi ex verbo, continuanda est fruitio pro Hic, & Nunc. [vniuscuiusq; enim eorum *a* qui in Hierarchia coaptati sunt in eo posita est perfectio, vt pro sua quisque virili parte ad Dei imitationem contendat; & id quod nihil diuiniùs est, Dei, vt sacra scriptura loquitur, fiat adiutor; diuinamque in se actionem quantum potest ostendat.] & ita res naturaliter mobiles (maximè verò in hac felicissima verbi mystici successione) motus suos continuare conantur: pacem suam optant; id est, tranquillam in natura, actioneque sua perseuerantiam: nam & quæ naturaliter mobilia sunt; in eo ipso quod mouentur, tanquam sua quadam pace quiescunt; atq; ita motu contenta sunt, vt æterna, statu. id quod planè iucundè fit, [quando *b* in felicissima Transformatione sinum Patris, per Filium in ipsa Spiritus sui Dei formi limpiditate possederit anima. tunc enim feliciter lumine diuinæ veritatis illustrata, æternam filij generationem semper in se, nouam, singulis momentis suscipiet.] [hic iam, oro, attendat *c* quisque, quantum illi negligant, qui sine vllo timore, ac sollicitudine, & absque his vitam agunt, qui facilè ad hæc sublimia possent pertingere; sed ob suam negligentiam, torporem, & ignauiam, eis perpetuò sunt carituri.] iam verò quod etiam hæc, quantumuis, sublimia videantur, nondum satis depurata sint; consequenter dicendum est,

Quod mysticus adhuc patiatur phantasmata concomitantia; licet non seruientia.

ARTICVLVS NONVS.

QVamuis fruitio amoris diuini, per ordinatam verborum, seu operationum successionem continuetur; non ideò tamen contemplatio in initio, & progressu tam pura est, & à phantasmatibus aliena, quin imagines quædam sanctæ, in quibus [Deus odorem *d* suæ notitiæ manifestat,] aut concurrant, aut saltem coadstent. cum enim [nostra *e* cognitio à sensu ortum habeat, prius sunt cognoscibilia, quæ sunt sensui viciniora.] & ideò intelligentem oportet phantasmata speculari. non quod [intelligere sit *f* operatio per aliquod or-

a S. Dion. de cœl. Hier. c. 3. b Harph. l. 3. p. 4. c. 30. c Taul. Instit c. 28. d 2. Cor. 2. e S. Th. 2. 2. q. 27. a. 4. c. f l. 2. Cont. Gent. c. 81.

ganum corporale exercita; sed quod indigeat phantasmate, & virtute memoratiua, & cogitatiua.] idque non solum in rebus naturalibus intelligendis; sed etiam in rebus mysticis, & cognitionibus diuinis. concurrunt porrò phantasmata ad vsum, quando mysticus in Nunc instanti ab occupationibus externis, vt studij, prædicationis, aut regiminis ad sua interiora iterum, & quasi de nouo, sese reciperet, discuteretque an directè, vel indirectè, sinistrorsum, vel dextrorsum, sursum, an deorsum, eundem esset; adhuc in verbis imperfectis, seu præambulis discurrens: eo enim durante ipsa phantasia vteretur, puta videndo quænam sit sublimitas, vel profundum, longitudo, vel latitudo, quale lumen, vel tenebræ, spiritus durities, vel molities.

Atque ita [impossibile *a* est lucere nobis diuinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumuelatum,] scil. [quantum *b* ad primam informationem intellectus:] in qua [conuerti ad *c* phantasmata, est vti phantasmate actualiter ad tale opus.] nam dependentia scientiæ, cognitionis, aut contemplationis in homine, ab actuali operatione phantasiæ, fundatur potissimum in natura specierum acquisitarum, ex concursu naturali phantasmatum, ex quo consequitur, quod anima per illas operari nequeat nisi concomitante operatione phantasiæ. Adstant autem phantasiæ, seu concomitantur intellectus operationes, quando contemplatio Pulchri, & Boni nondum ita depurata est, quin adhuc occulta, & subtilis aliqua species aduertatur, videlicet mentalis vbi, scilicet quam altè, dimissè, longè, vel propè ab ordinario, & consueto se inhabitandi modo operetur, viuat, atque existat: vel situs dispositionis actionum internarum conuidet; licet nonnisi per accidens: sicut oculus videns aliquod pulchrum attentè, simul obliquè, alia quæuis videndo patitur. Quia verò diuini animi gratia sanati, & dono sapientiæ supernaturalis ornati, intellectus agens à phantasmatibus facillimè abstrahit; [species enim secundum quod est in phantasmatibus *d* non est intelligibilis in actu; non enim sic est vnum cum intellectu in actu; sed secundum quod est à phantasmatibus abstracta:] hinc etiam ab vtente phantasia citò expediri solet: à coadstante autem sacra aliqua imagine non ita facilè, & nonnisi cum practico ordine ad conceptum Dei quidditatiuum (saltem in abstracto) purissima intelligentia, pertigerit. prout latiùs consequenter dicitur.

Quod nimirum sacræ quædam imagines coadstent, quousque mysticus assequatur conceptum quidditatiuum Essentiæ Diuinæ in abstracto, seu quod Quid non est.

ARTICVLVS DECIMVS.

DVplex [est Dei visio *e* vna quidē perfecta per quam videtur Dei Essen-

a S. *Dion. de cœl. Hier. c. 1.* b *Dion. Carth.* c *Caiet. in 1. p. q. 84. a. 7.* d *S. Thom. l. 2. Cont. Gent. c. 59.* e *S. Thom. 22. q. 8. a. 7. c.*

Essentia, alia verò imperfecta, per quã etsi non videamus de Deo Quid est, videmus tamen quid non est; & tantò in hac vita Deum perfectiùs cognoscimus, quantò magis intelligimus Eum excedere quidquid intellectu comprehenditur. Et vtraq; Dei visio pertinet ad donum intellectus, viæ quidem vt inchoatum, patriæ autem vt consummatum.] Dum ergò per ordinatam successionẽ operationis, seu loquutionis internæ, fruitio, amorisque diuini vnio, perfecta quiete continuatur. [bonum quod lumen mentis dicitur, particeps facit primò *a* modico lumine: dein cum lumen quasi gustatur, magis etiam appetitur; ac magis quoque se infundit, illustratque.] [intellectus enim quasi intus legens *b* penetrat vsque ad entitatem rei, quia obiectum intellectus est quod quid est quod dum in præsentiarum facere nititur; [mens *c* phantasmata imaginationũ corporalium, & spiritualium abijcit, & iam aliquatenus æternam diuinitatem conspicit, quam si necdum quid sit apprehendit, agnoscit tamen certè, quid non sit.] hinc etiam intellectus [non vult retinere imagines *d* diuinitatis, Vnitatis, Trinitatis, Bonitatis, Sapientiæ, nec quidem ipsius diuinæ essentiæ, probans luce clarius quod hæc omnia quãtumcunque præcelsa videantur, Deum tamen in sua proprietate non representent; sed secundum modum, & mensuram, humanæ comprehensibilitatis, & intelligentiæ: quapropter per nudam cogitationem suam superascendere nõ cessat, in illam caliginosam, & informem nihileitatem, vbi nimirum in perfectam quandam Dei ignorantiam cõstituitur.] & ideò [libero *e* solutoq;, ac liquido à te, & ab omnibus discessu, ad diuinarum tenebrarum radium, qui omni essentia superior est, contendes; cũ & omnia dempseris, & ab omnibus solutus fueris, & liber: in quo quidem simplicia, & absoluta, immutabiliaq; Theologiæ mysteria abstrusa sunt, perfulgente silentij obscura docentis caligine; quæ & eo quod obscurissimis tenebris obfusum est, id quod est splendissimum, maxima luce illustratum ostendit, ac prodit ex eo quod tractari, cernique penitùs non potest, pulcherrimis splendoribus mentes, quæ aspectu carent præter modum complet.] [nec enim *f* quemquam eorum qui rectè sentiant, contradicturum arbitror, quin mentem nostrã magis excitent, tollantque in cœlum obscuræ similitudines.]

Tum demum [*g* & ab ijs quæ cernuntur, & ab ijs quæ cernunt liberatur, & in verè mysticam ignorationis caliginem irrepit, in qua omnis cognitionis subsidia deponit, vt in eo sit, qui penitus tractari, videriq; non potest; totus eius qui superat omnia, nec vllius, nec suus, nec alterius; sed ei qui omninò incognitus est, omnis cognitionis cessatione præstantiore modo coniunctus. atque hoc ipso quod nihil cognoscit, mentem & cognoscendo vincit, & superat.] & ita [bona omnium causa ijs solis sine in-

a S. Dion. de diu. nom. c 4. b *Arist 3. de Ani. tex. 26.* c *S. Greg. apud S. Bonau. 6. Itin. ater. d. 6.* d *Haph. l. 3. p. 3. c. 23.* e *S. Dion. Theol. Myst. c. 1.* f *idem de cœl. Hier. c. 2.* g *idem Theol. Myst. c. 1.*

tegumentis *a* verè collucet, qui & immunda omnia, & munda transeunt, omnemq; omnium Sanctorum fastigiorũ ascensum superant, & diuina omniũ lumina, sonos, rationesq; cœlestes, relinquunt, & in caliginem ingrediuntur, in qua reuera est (vt scripturæ diuinæ tradunt) is qui est super omnia.]

Et eiusmodi cognitio sc. quod Quid non est; licet] verius *b* ignorantia dicatur, plus tamẽ in se complectitur, quàm omnis exterior hominum scientia, cognitioq;. ipsa namq; hominem non solũ à cunctis rebus intellectu cognoscibilibus, sed etiam à seipso abstrahit, allicitq; in Deum.] inspicitur enim Deus vt id quod non est, & tamen maximè cognoscitur secundum id quod est, quia dum nil limitatum, vel finitum apprehendit, in quoddam Ens illimitatum, & infinitum, cuius essentia, & substantia, & modus, sine modo nescitur, & intellectus purè inspiciens raptatur: nihil videt; sed id quod totum est, & extra quod nihil est, sibi videndum, & amore amplectẽdum sibi proponi cognoscit; igitur non videndo videt: & videndo non videt: quia velut quandam obscuritatem, & quandam nebulam, omnem lucem cõtegentem apprehendit. vndè non videt, quia obscuritas non videtur; & videt, in quantum immensa lux, quasi tenebris cooperta conspicitur.

Et quia in hac vita, nemo assequitur Diuinam Essentiam, secundum Quod quid est; seu clara visione videt; ideò [in statu *c* viæ, intellectus ingreditur ad spiritualia, maximè diuina per viam remotionis.] & tum in summa, & perfecta operatione qua verbum expressum formatur, saltem, [per appropinquationem *d* grandem ad notitiam quidditatis, fertur apex mentis, & intelligentiæ vertex Deo vniri, tanquam omninò ignoto, in omnimoda quoq; caligine fieri, nihilq; penitùs de illo cognoscere. non quod ab illius inspectione omnifariè vacet; præsertim, cum ita sit altissimæ, clarissimę, ac perfectissimę profundissimęque Deitatis cõtemplatio, cognitio, visio, huius vitæ possibilis. vt ipsemet Magnus Dionysius, & Expositores eius testantur; sed quia in hac contemplatiua, sapienti, altissima, ac feruentissima vnione cũ Deo, mens acutissimè, & limpidissimè conspicit, quam super incomprehensibilis, & supersplendidissimus, & superpulcherrimus, & superluminosissimus, & superamabilissimus, & superiucundissimus, sit ipse Dominus Deus omnipotens, & immensus, atq; quàm infinitè, & indicibiliter à plena illius cognitione, & beatifica eius fruitione, visioneq; faciali, immediatè, & clarè intuitiua distet, deficiat, & occumbat; ideoq; præ admiratione deficit, & defluit à seipsa, gaudiosè quoque, ac dulciter absorbetur, obdormit, acquiescit super dilectissimo Deo Creatore suo.]

Summum igitur viatoris est (quamdiu per operationes intellectus agentis, & species expressas, seu verba formata, procedit, intelligere non quod sit, *e* sed quid

a *Idem* b *Taul. Dom. post natiu.* c *S. Th. 3. sent d. 35. q. 2. a. 2.* d *Dion. Carthus. in Theol. Myst. S. Dion. c. 9. a. 8.* e *Calagur. Theol. Myst. c. 7.*

quid non sit Deus, idque actus productione, quo excessè intelligit arcana verba quæ non licet homini loqui. itaque ipsi (scilicet mystici) [ascensum qui *a* per negationes fit antepositum, vt qui animum à sibi cognatis, familiaribusque rebus abducat, & per diuinas omnes notitias, atque perceptiones ambulet. à quibus exemptum, secretumq; est id quod nomen omne, rationemque, ac scientiam superat: ad extremum autem ei illum coniungat, quatenus nos etiam illi coniungi possumus.] vndè colligere licet ad hanc summam vnionem non nisi perfectos attingere. [diuina namq; caligo *b* est lux ad quam aditus non patet, in qua Deus habitat; quę quidem nec cerni potest, præ excellenti claritate, nec adiri eadem, propter singularem diuini luminis effusionem. in hac versatur omnis qui Deum nosse, & videre meretur; hoc ipso quod non cernit, neque cognoscit, summè cognoscit.] atq; tum demum ex natura intellectus, cuius obiectum est quod quid sit vsque adeò per ordinatam fruitionem verborum mysticorum, contemplatio profundatur, vt ne quidem sit phantasia concomitans; idque statim vt conceptum quidditatiuum (licet solum in abstracto) attigerit. & eousque patitur mysticus phantasmata saltem concomitantia; licet tandem ita subtilia, vt ab ipso contemplante non aduertantur. Quando verò perfectè [silens *c* imago docet, & ex apex mentis soli increatæ luci intentus est, & vnicus per theorica lumina, per sapientiæ radium, per Deificas impressiones;] nihil ampliùs confert phantasia, tanquam insufficiens, animalis, alterius ordinis, & generis infimi. & iuremeritò quidem, nam [mens *d* humana simplex immaterialis, Deiformis, capacior est directè, & immediatè illuminationis, & lucis Angelicæ, quam materiale phantasma.]

Porrò hiscè non obstantibus, si quis etiam posita supernaturali gratia; & operandi modo; adhuc tamen phantasiam saltem concomitantem adesse diceret, ne phantasia sit vacua & otiosa; ac etiam ne altiùs loquamur de mystico, quam de ipso Christo Domino, qui ideò sensibus externis vti voluit, ne essent vacui; hoc non ita foret reijciendum.

Cæterum post omnem abstractionem tam eorum quæ non sunt, quam quæ sunt [remanet *e* conceptus entis perfecti.] in quo dein [mens seipsam deserens, cum splendidissimis radijs coniungitur, atque illinc, & ibi inuestigabili sapientiæ *f* profundo illustratur.] cum autem [hanc lucem *g* omnipotens menti ostenderit, mox mole magnitudinis suæ, actualitate, & excellentia maiestatis perfectionis, & luciditatis suæ immensæ, mentem in momento, in ictu oculi, in puncto, sic dulciter, non violenter vincit, & opprimit; vt ipsa de-

a S. *Dionys. de diuin. nomin. c. 13.* b *Idem epist ad Doroth.* c *Idem ibid. & cap. 1. Theol. myst.* d *Dion. Carthus. in 1. sent. dist. 3.* e *Gers. tract. de simpl. cord.* f *S Dionys de diuin. nomin. c. 7.* g *Dionys. Carthus. de font. luc. a. 16.*

fluat atque deficiat in seipsa, ac victa amore, stupens præ admiratione eius, quam contemplatur, maiestatis, ac claritatis immensæ, prę Deitatis, quam cernit, delicioſissima serenitate, nesciat de seipsa. sic quidem repentè tam validè illustratur, ac inflammatur, vt prorsus succumbens, vires & sensus corporales amittat. tunc enim mens in increatæ lucis secretum inducta, in infinitæ lucis abyssо demergitur, in æternæ felicitatis oceano rapta deperditur : ac amoris immensi igne inuoluta comburitur : atque in superuastissimæ, ac superplanissimæ solitudinis, impertransibili, & immensa amplitudine securissimè errat, feliciter deuiat, perdens seipsam, nesciens vbi, vel quomodo.] ita tamen vt simul, & [quasi *a* amplexibus amoris, quod intus tenet, & nescit quid sit, totis viribus tenere concupiscat,] & hoc ipsum tandem fieri non tam per actiones intellectus, quam virtute amatiua perfectissimè excitata, consequenter dicendum erit,

Quod finaliter in altiori (scilicet amatiua) virtute vniatur diuinæ Essentiæ, vt in se est.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

QVonam igitur pacto tandem bonum consecuturi sumus; bonum enim intellectu superius, intellectu non consequimur. sicut neque intelligibile sensu. attendenda est ergò [ratio discriminis apprehensiuæ, *b* & appetitiuæ potentiæ, quæ consistit in modo operandi. apprehensiua enim trahit obiectum ad animum; appetitiua tendit in ipsum obiectum vt in se est, extra ipsam animam. amor etiam cum sit in vi appetitiua, quæ respicit rem secundùm quod in se est; ad perfectionem amoris sufficit quod res prout in se est apprehendatur, & ametur. & ob hoc contingit, quod aliquid plus ametur, quam cognoscatur, quia potest perfectè amari, & si non perfectè cognoscatur :] hinc etiam [intellectus fit in actu per hoc, quod res intellecta est in intellectu, secundùm suam similitudinem, voluntas autem fit in actu, non per hoc, quod aliqua similitudo voliti sit, in volente, sed ex hoc, quod voluntas habet quandam inclinationē ad rem volitam. processio autem quæ attenditur secundùm actionem voluntatis nō consideratur secundùm similitudinē, sed magis secundùm rationem impellentis, & nonētis in aliquid.] iure meritò ergò super intellectum ponimus bonum tanquam id quod intellectu latius sit. intelligentiam enim videmus non seipsa contentam esse; sed tanquam finem appetere intelligibile, vel plusquam intelligibile bonum. imò neque essentia, neque vita, neque mens seipsa contenta est; illa enim ad vitam semper annititur, hæc ad mentem, mens ad bonum, tum intelligendo, tum volendo. Bonum verò, cum in resoluendo sit vltimum, ad aliud non contendit: nam sufficienter per intellectum prius mota [voluntàs *d* seipsam

a *S. Bonau. solil. c. 2. ex Aug.* b *S. Th. 1. 2, q. 27. a. 2.* c *Opusc. 53. de intell. & intellig.* d *1. q. 9. a. 3.*

sam mouet:] & diuinæ essentiæ vnitur vt in se est.[cum enim Deum *a* per voluntatem diligo, meipsum transformo. Hæc enim est virtus amoris vt talem te esse oporteat, quale est illud quod amas.] [principalis enim *b* affectio quæ est scintilla synteresis, sola spiritui diuino vnibilis non minus excedit intellectũ, quam intellectus rationem, & ratio imaginationem: vndè & actionem suam ab intelligentia totaliter separatam habet, eidem mirabiliter supereminens. sicut Ordo Seraphin, qui interpretatur ardens, est vicinior Deo quã Cherubin, qui interpretatur plenitudo scientiæ, & per consequens vberius, perfectius, & prius recipit à Deo influentiam. & hæc potentia vt est supremum in spiritu, ferè ab omnibus ignoratur, nisi quibus ab igne Spiritus Sancti, apex affectus immediatè tangitur, & mouetur.]

In praxis igitur exercitio, & quando per species expressas intellectus agentis, ac stylo ordinario, modi operandi supernaturaliter per dona intellectus, ac maximè sapientiæ: vel quando non per species infusas, seu eminentiori modo, scilicet per immediatas commotiones voluntatis à Spiritu Sancto excitatas sine præuio intellectu directo, procedit. [intellectus *c* & superior affectus aut amatiua vis pariter gradiuntur ad perueniendum in Deum, vsque ad extremum, quo intellectus peruenire potest. dein intellectus cum omni consideratione manet foris, & vis amatiua sola ingreditur.] quia sufficienter [bonum *d* intellectum est proprium obiectum voluntatis.] ita vt ad perfectiores, & sibi soli debitas functiones exercitio intellectus non egeat. hinc [actui dilectionis *e* conuenit vnire, & transformare; hoc autem nullus attribuit intellectui propriè, & sic patet planè, quod actus dilectionis excellit, & præcedit actũ cognitionis intellectualis in aliquo gradu: in quantum autem illum excellit, in tantum etiam excedit, attingendo Deum in aliquo gradu dilectionis, ad quem actus intellectus extendi non potest, quia superintellectualis est, saltem in hac vita, quia in patria videbimus Deum sicuti est.] iam velim [intelligas *f* quanta sit vis veri amoris, & dilectionis, si tamen intelligi potest; quoniam dilectio supereminet scientię, & maior est intelligentia, plus enim diligitur, quam intelligitur. intrat dilectio, & appropinquat, vbi scientia foris stat.]

Cæterum in hac eminenti voluntatis actione, & vita mirabile profectò est boni ipsius imperium; incredibilem namque facilitatem cum immensa potestate coniungit: cum enim infinitate possit omnia prorsus implere, vim infert nulli. omnia vel minima quæque, persuasione quadam occulta facilè ducit, mouetque vltro moueri volentia; cumque nihil res omnes velint suaptè natura nisi bonum, nullius imperium magis voluntarium, & clementiùs, & suauius est,

a *S. Bonau. solil. ex S. Bern. in med. c. 1.* b *Harph. l. 1. p. 2. c. 48.* c *Idem l. 2. p. 3. c. 58.* d *S. Thom. 1 cont. Gent. c. 81.* e *S. Bonau. 3. itin ater. d. 5.* f *S. Bonau. itin. 3. ater. d. 5. ex Hug.*

est, quàm Boni. cum etiam [affectus sit quædam *a* spontanea, & dulcis ipsius animi ad (Deum) inclinatio:] res appetenda *b* faciliùs mouet, sua bonitate,] ipsam voluntatem reciprocè: [per *c* appetitum scilicet, per quem omne mouens per se mouetur:] ita vt [amor ipse secundùm quod est propensio *d* amantis in bonum amatum, sit velut nexus, & vinculum vtriusque.] & sic [*e* amor suaptè natura contendit ad vnionem non solum per affectum, verum etiam per realem amantium coniunctionem illam, quæ sit possibilis.] præsertim cum sit motus intimus efficaxque ad vniendum, & commiscendum, præstantique modo res inter se colligandum. [nec vllùm patiatur *f* medium inter se, & obiectum, quod est Deus; sed vehementer tendat in ipsum immediatè, nec vnquam quiescat donec omnia transeat, & ad ipsum & in ipsum veniat.] idque [impetu *g* sui ardentis desiderij, quem sequens amato appropinquat quantum potest; & eò amplius sitiens intrare ipsum cupit, & esse cum Christo, & tam propè, vt si fieri possit, hoc idem ipsum sit, quod ipsum est.] atque ita [quod est pondus in corporibus, hoc est amor in spiritibus. amor meus, pondus meum *h* eò feror quocunque feror. dono tuo accendimur, & seorsum ferimur, inardescimus, & intus ascendimus per ascensiones in corde, ad pacem Ierusalem.] hoc autem pondus Spiritus sancti, nescit tarda molimina. vndè eiusmodi [motione, & inhiatione *i* tendente in rem amatam nihil velociùs, nihil acutiùs, nihil subtiliùs amore, aut penetrabiliùs: quia natura non quiescit, donec naturaliter totam amabilis penetrauerit virtutem, & profunditatem, & totalitatem quantum potest;]

Tum demum voluntate scilicet, seu amatiua virtute, tam eminenter in consortio diuinæ naturæ vnita, indicibili gaudio, [inter actionem *k* & otium, amor & fruitio viuunt. amor semper vult operari; quandoquidem perennis est actio cum Deo; fruitio semper otio vacat, cum sit supra velle, ac desiderare in dilecto, in formæ-nescio, ac nudo amore complexus.] ita vt mysticus [nec *l* sciat, nec sentiat seipsum, neque Deum, neque creaturam aliquam, nisi solum amorem quem gustat, & sentit, à quo possidetur in quadam simplici, & nuda otiositate feliciter.] quod autem in amore tam eminenter, & intensè excitato adhuc etiam diuinum quoddam lumen permaneat, consequenter dicendum est,

Quod nimirũ hoc stante amoroso voluntatis excessu saltem coëxistat in mente diuinum lumen, intellectu superius.

ARTICVLVS DVODECIMVS.

IAm fortè quærat aliquis primò, an intellectu hic foris stante, & nullum ver-

a Harph. l 3 p. 2. *b c 9. ex Hug.* *c S. Thom. cont Gent. l. 1. c. 13.* *d 2. 2 q 82. a. 1.* *e 1. 2. quæst. 28. a. 1.* *f S. Bonau 4. itin. ætern. d. 6.* *g Hugo apud S Bonau. ibid.* *h S. August. l. 13. confess. c. 9.* *i Lincon. apud Bonau. 4. itin. ætern. d 5. a. 3.* *k Rusbroch. de 7. amor. grad. c. 14.* *l Taul. instit.*

verbum amplius dicente, nullum in amore vsque adeò eminente, sit intellectuale lumen, seu an ita solitariè voluntas amet, vt omnem prorsus cognitionem extinxerit. cui respondetur, quod licet intellectus agens nullas possit amplius species fabricare, nec intellectus patiens vllum verbum formare, seu aliquid cognoscendo exprimere, aut de intellectis iudicium formare, aut quid qualevè lumen sit per reflexionem dignoscere, non ideò tamen omne diuinum lumẽ totaliter extingui, ita vt creatura intellectualis ad instar trunci omni forma, & susceptione luminosa priuetur. sicut enim nemo debet destitui perfectione naturalis operationis; sic neque, & multò minus perfectione supernaturalis receptionis. hoc enim non tantum non perfectam, sed cœcam existentiam in mystico efficeret; quia illum lumine diuino intellectu superiore priuaret: imò, & absurdum poneret. [voluntas enim est appetitus *a* intellectiuus, id est, appetens intellectum penetrare, quod est in ipsa viuere.] hoc autẽ cum per actiones mentis vlterius non possit fieri, voluntas sufficienter mota, vehementi appetitu boni sibi propria actione vnionis intimitatem prosequitur; & [gratiæ Dei, quæ est participatio *b* quædam diuinæ naturæ] ac forma, & actus primus in ipsa animæ essentia habitans, sese iungit, vnitque ad optimum, & perfectissimum modum in hac vita à Deo *c* accipiendi: sicut pessimo, & miserabilissimo modo [peccatum *d* originale per voluntatem ipsam animæ essentiam intrat, & vitiat.] & longissimè à Deo separat.

Neque huic voluntatis actioni intellectus se opponit; quin imò lubens perfectiori operationi, vnioni, & fruitionem continuandi modo, cedit. tum quod [nullũ *e* lumen diuinam speciem exprimat, quodq; ratio, & mens omnis infinitis partibus ab eius similitudine vincatur,] tum quod sibi maneat [inclinatio *f* intelligibilis, quæ est actus voluntatis, & intelligibiliter in intelligente, sicut in primo principio, & in proprio subiecto;] ac [lumine quod bonum *g* mentis dicitur,] afficiatur; tum quod in essentiali animæ vita, & beneafficientia vtriusque potentiæ sit mutua participatio, & quod operationi intelligentiæ deest, gustu amoris compensetur. sicut ergo amor, fruitione est bonum voluntatis, ita [dicendum est lumen *h* esse bonum mentis: quod mentem quidem cœlestem omnem, spirituali luce impleat; quod lucem omnem superet, quod quasi radius fortis, lucisque manans effusio illustres, & omnes mentis facultates remouent:] & in operatione intelligibili à gloria maiestatis intellectu oppresso diuinaque caligine imbui contento; actualem vlteriorem operationem voluntati, cui hoc congruit, ad continuationem bene-afficientiæ, & fruitionis diuinæ relinquat.

a 1.2.q.18.a.1.c. b S. Thom 1.2.q 102.a.1.c. c Hic a.15. d S. Thom. 1.2.q.83. e S. Dion. de Cœl.hier.c.2. f S. Thom 1.p.q.87.a.4.c. g S. Dion. de diu.nom.c.4. h Idem ibid.

Mens itaque in caligine hac finem suæ cognitionis adepta, silet; nec vllum verbum, ne quidem quod quid non est de Deo exprimit, ac modum existentiæ suæ conditionis ignorat; quia contemplantis iudicium, quod est cognitio diuersa, ab apprehensione, suspensum est. vnde & hanc superexcedentem apprehensionem, notitiam, seu [caliginem *a* Deus illustrat essentialiter, & hic ipse quidquid nominis imponi potest, ineffabiliter excedit in propria substantia purè, simpliciterque subsistens.] & tum demum, (non autem ilicò, & prima tali quali ad Deum conuersione, eiusq; recordatione, seu intuitu, vt quidem *b* vanè, & sine fructu consueuerunt) [nihil homini *c* consultiùs, nihil vtiliùs est, quã vt in obscuritate quadam, & ignorantia se constituat. hic enim omne scire penitùs deseritur, vel potiùs homo ab omni cognitione destituitur,] ac [in *d* diuina caligine, & quieto silentio omnis æqualitas, & inæqualitas perditur, & spiritus purgatus seipsum amittit, nihil iam vel de Deo, vel de seipso, vel de æqualitate, vel inæqualitate, nec de vlla alia re sciens. *e*] [affectus enim & *f* intellectus simul coambulant vsq; ad nouissimum defectum intellectus, vbi habet quæ suę cognitionis, & sui luminis consummationem. Affectus autem adhuc continet, principalia in Deum suspiria, super intellectuales extensiones, & immissiones, feruidos fulgores, & fulgidos feruores, ad quos omnes sublimes excessus, & excedentes sublimitates intelligentia trahi non potest, sed solum principalis affectus Deo vnibilis, qui amplius sitiens ipsum amatum cupit esse cum ipso, & esse tam propè, vt si fieri possit hoc ipsum idẽ sit quod ipse est.]

Sic ergò [quando simplex *g* oculus amatiua virtute subiectus, cum intuitu simplici, in diuinam claritatem, respicit omne quod Deus est; ante conspectum Domini ratio deficit, & omnis consideratio, cum differentia, & discretione; virtus autem intellectiua in modum modi-nescium eleuatur, ita quod intuitus eius sit sine modo, nec sic, nec hic, nec ibi firmatur; sed omnia quodammodo sine modo complectitur, eò quod eius intuitus, ei superexaltatus, & dilatatus est, ita quod nescit vbi respiciat, veluti vagabunda oberrans: nec quidem intuitum reuocare potest, quia totus est ab eo diffluens sine modo, sine fine, ac sine reuersione: quia quod capere desiderat, ad votum adipisci non prævalet.] Ex tali porrò [subleuatione *h* mentis, & puritate contemplationis, in tantum homini accrescit esuries amoris, quod per excessum sui-ipsius se iugiter immolando tandem in operatione sua deficiat, & extremo spiritu defessus, ab amoris igne resolutus quodammodo dulciter annihiletur. Esurit enim Deum plenè degustare, quem tamen nullo conamine capere prævaleat,

a *Taul. instit. c. 26.* b *1. par dec. 7. art. 7. & 8. & dec. 8. art. 2.* c *Idem serm. Dom. inf. oct. Epiphan.* d *Idem serm 1. in Fest. SS Trinit.* e *Similia etiam Harph. l. 3. p. 4. c. 27.* f *Wercull. apud S. Bonau. 5. itin. æter. d. 5.* g *Harph. l. 3. p. 4. c. 29.* h *Idem l. 3. p. 5. c. 37.*

ler, sed in singulis diuinis irradiationibus ipsemet à Deo comprehenditur, & recenti semper amoris tractu in dilectũ trahitur; sicque viribus proprijs paulatim destituitur, iuxta illud: *a* Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.] atq; ita paulatim [diuina *b* Dei scientia, & notitia ignoratione hauritur, per coniunctionem quæ mentem omnem superat, quando mens ipsa à rebus omnibus abducta primum, dein etiam seipsam deserens cum splendidissimis radijs coniungitur; atque illinc, & ibi inuestigabili sapientiæ *c* profundo illustratur.] & [ardentissimo amore in præsenti sentit quod intelligentia capere non sufficit.]

Secundò similiter quærat fortè quispiam, per quam ergò operationem, post omnes mentis actiones, voluntas ad Dei amorem *d* moueatur. cui respondetur, quod [voluntas habeat *e* vnum actum proprium, qui est actus tenendi siue amplexandi; & quasi possidendi, quos actus non potest habere intellectus: nam possessio non est intellectus cognoscentis, sed voluntatis habentis; sicut sanitas sani, non est medici cognoscentis, sed sani eam habentis.] & sic per actiones intellectus sufficienter excitati, [amoris *f* est ad inuicem mouere.] imò in hoc instanti [voluntas mouet *g* seipsam.] & tum [tantò intensius cor humanum in aliquod *h* vnum fertur; quantò magis à multis remouetur.] vnde etiam præstat superiora amare, quam nosse; iuxta illud: Diliges (non autem intelliges) Dominum Deum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota *i* voluntate tua.

Tertiò verò quærat fortè aliquis; quo medio tam eminens amoris excessus in voluntate perseueret, ne ad alia dilabatur: cui respondetur, quod amor habeat vim quandam coniungentem, vt inferiora se ad superiora conuertant: superiora autem, vt inferioribus prospiciant, & consulant. vnde humana [voluntas delectata *k* conquiescit in fine iam adepto;] & optimo modo patiendi à Deo accipit: Deus *l* autem potissimum agens, amorem ad instar alarum alit, & sustentat, ne ad inferiora labatur. vt autem hæc euidentiora fiant, consequenter dicitur,

Quod hic Deus sit potissimum agens, mysticus autem patiens.

ARTICVLVS DECIMVSTERTIVS.

SIcut intellectus ab amore excedente foris stare cogitur; ita tandem ipse amor Diuinitati viciniſſimè coniunctus: absolutis, sibique soli, proprijs actionibus, à Deo Optimo Maximo abripitur; vt Deus supra omnia, & potissime agat, voluntas autem pessime agatur. Deus namque vsque adeò

a *Psal 83.* b *S. Dionys. de diu. nomin. c.7.* c *Theol. myst. apud S Bonau. c. 3. p. 4.* d *vt latius hic art.12.* e *Richard. in l. de Cont. & in Psalm. S. Augustin. S. Thom. &c.* f *S. Dionys. de diuin. nomin. cap. 4.* g *S. Bonauent. de 7. itin. ætern.* h *S. Thom. de perfect. spir. vitæ c.6.* i *Luc.10.* k *S. Thom. 1.2. quæst. 3. art. 4. c.* l *vt hic art.15.*

præsens, intima causa est rebus omnibus bonorum omnium, vt ipsemet rebus sit ipsa rerum bona. quod enim & ratione possibile, & simul conuenientissimum est, ipse in se Deus implet; & voluntatem sufficienter mouet vt obiectum. [motus enim voluntatis, causatur non tantum à voluntate; *a* sed etiam à Deo.] vnde & patiendo delectatur; & [appetitus *b* quiescit in bono adepto:] [indicibiliq; modo anima rapit, & rapitur, tenet, & tenetur, *c* stringit, & stringitur, & vna vni per amoris copulam sociatur.]

Sed [dicet mihi aliquis, ergò agimur, non agimus. Respondeo, imò & agis, & ageris. & tunc benè agis, si à bono agaris, Spiritus enim Dei qui te agit, agentibus *d* adiutor est: ipsum nomen adiutoris præscribit tibi, quia & tu ipse aliquid agis:] supplici nimirum conuersione, & inclinatione summum bonum venerando. [quod autem homo potiùs *e* agatur, & patiatur, quam agat;] à Spiritu sancto procedit, qui tunc est principalis motor, & animam agit per auxilium internum, cuiuscunque tandem conditionis, perfectionis, vel eminentiæ illud fuerit. & sic quatenus aliunde mouemur, quodammodo patimur. [virtus enim quæ est actionis *f* principium, si ab alia superiori virtute moueatur, operatio ab ipso procedens, non solum est actio; sed etiam passio, in quantum scilicet procedit à virtute, quæ à superiori mouetur.] & ideo qui tam eminenter [agitur, agere *g* vix ille aliquid intelligitur, & tantum præstat voluntatibus nostris gratia Saluatoris, vt non dubitet Apostolus dicere: Quotquot spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt. nec aliquid in nobis libera voluntas melius agere potest, quàm, vt illi se commendet, qui male agere non potest.

Ad hunc porrò locum, & diuinæ communionis modum, directè spectant, quæ passim à sacris contemplatoribus, de modo passiuè cum Deo se habendi, subtiliter scripta sunt. & certè ea amoris natura esse videtur, vt [faciat *h* amantem intrare in interiora amati, & è contra, vt nihil amati, amanti remaneat non vnitum;] [quid enim omnia *i* prædicta (& peracta) valerent, si ea Deiformis operatio non consummaret;] & [verus amator à mentis statu dimotus *k* Deo non degeret, non autem sua vita, sed amantis tanquam valdè diligenda.] quàm perfectè porrò amor hoc loco intendatur, consequenter dicendum est,

* *
*

Vide-

a *S. Thom. 1. p. quæst. 105. art. 4.* b *1. par quæst. 19. art. 2. c.* c *S. Bonauent.* d *S. Augustin. serm. 43. de verb. Dom. & serm. 13. de verb. Apost.* e *S. Thom. 1. 2. quæst. 68 a. 1.* f *S. Thom. quæst. vnic. de vnio verb. art. 5. c.* g *S. Augustinus ibid.* h *S. Thom. 3. sent. d. 27 quæst. 1 art. 1. ad 4.* i *S. Bonau. 7. Itin. ætern. d. 1.* k *S. Dionys. de diuin. nomin. c. 4.*

Videlicet in hac passione esse silentium, quo mysticus quodammodo se habet medio, modo viæ, & patriæ.

ARTICVLVS DECIMVS QVARTVS.

IAm mysticus sedebit [solitarius, *a* & tacebit, & leuabit se super se,] [præcognitione factus absque cognitione, *b* & præ amore absque amore.] quo enim [ad superiora contendimus, eò magis verba aspectu rerum, quæ sub mentem cadunt, contrahuntur. quemadmodum etiam hoc tempore, in caliginem quę mentem superat introeuntes, non breuem orationem; sed *c* silentium, & intelligentiæ priuationem reperiemus.] [Deus enim repræsentatur animæ rationali, non sub ratione alicuius particularis attributi; sed quatenus in se infinitè amabilis est; sub eminentissima, & simplicissima ratione quæ omnes, & *d* excogitabiles rationes particulares amandi, comprehendit.] [Diuinæ autem mentes, quando post omnem mentis actionis *e* cessationem, mentium diuino numine permotarum eiusmodi fit cum diuina luce coniunctio, lucem ipsam maximis laudibus afficiunt, omnium quæ sunt detractione: atque hoc ipsum verè mirabiliterque illustrati à beatissima cum ea coniunctione, didicerunt lucem illam diuinam causam quidem esse eorum quæ sunt omnium; eorum autem nihil esse, vt quæ singulari ratione secreta sit ab omnibus, ac diuinitatem quidem quæ essentiam superat, quidquid tandem sit bonitatis, Essentiæ, Essentia omni superior, nec vt verbum aut vim, neque vt mentem, aut vitam, vel essentiam fas est laudare cuiquam eorum, qui veritatis, quæ veritati omni superior est, amatores sunt atq; studiosi; sed vt eximio modo solutam, ac liberam ab omni habitu, aut motu, vita, visione, opinione, nomine, sermone, cogitatione, intelligentia, Essentia, statu, firmitate, coniunctione fine, infirmitate, denique à rebus omnibus.]

Itaque quando cum ipso Deo in perfectissima amoris actuatione vnum efficiuntur, vacant hic iam diuinæ mentes. diuina regnat vnitas, vnitateque diuina, formatæ mentes agunt, affectantque vt benè sint, & bono quodam, essendo fruantur; ideò etiam nec intellectus, nec vita, nec essentia, ita Deo conueniunt, sicut bonum. quia ergò in tali Nunc existentiæ; ipsum bonum, seu communicatio diuinæ naturæ animam vsque adeò silentiosè informat; medio quodam modo viæ, & patriæ se habet mysticus. & [in hac vita *f* supremo modo fruitionis, quæ est supra fidem, & infra diuinæ essentiæ visionem] viuit. sicut enim prius intellectus post conceptum Dei quidditatiuum in abstracto, seu pro vt sub eminentissima, & simplicissima ratione omnes possibiles, & excogitabiles rationes

a *Thren.3.* b *Taul. Instit.c.12.* c *S. Dion. Theol. Myst.c.3.* d *S. Thom.1.parte.* e *S. Dion. de div.c.1.* f *S. Thom.2.2.q.180 a.5.c.*

particulares amandi superexcedit, à gloria maiestatis oppressus fuit, ita vt nullum amplius verbum exprimere posset; sed lumine duntaxat diuino illustraretur suspensus; pari modo ipsa voluntatis actiuitas, supra intellectum exercita, remittere debet: vt diuino amore principaliter agente, ipsa autem passiuè se habente felicius agatur, quam agat. & [effectu amoris *a* qui est mutua inhæsio, & vnio,] potiatur: ipsa autem animæ essentia, gratiæ, & ipsius vitæ æternæ sedes, non vt truncus absque sensu; sed sua perfectione, & vita quasi per introreceptionem potentiarum viuat, & in sensu diuino sibi soli proprio modo, eminenter alatur: ita vt tam arcta vnio, fiat [actualis *b* perceptio Dei, siue prægustatio quædam gloriæ, pignus, & arrha felicitatis æternæ,] per ipsum diuinum percipere, & sentire manens in actione vitæ, post, & supra operationes intellectus, & voluntatis, directè exercitas.

[O quam benè, & optimè est tunc *c* animæ amorosæ? quam serena, quam iucunda, quam vniformia, quam tranquilla sunt omnia tunc in ea? vbi tunc nebula vitiorum? turbines passionum? inuolutiones phantasmatum? varietates distractionum? inquietudo tentationum? nonne à præsentia solis iustitiæ, à conspectu, & ardore, atque fulgore solis sapientiæ, fugiunt omnia illa?] ita vt extra sphæram, seu accessum sit rerum impertinentium; & pro eo tempore, à nulla creatura inter turbari, aut contingi possit inter tempus, & æternitatem diuinitùs suspensa. & sic verè, *d* vnio mystica se habet medio modo inter duas species, scilicet claræ visionis patriæ, & virtutum Theologicarum fidei, spei & charitatis viæ. & certè si [cognitio hominis in statu *e* innocentiæ, erat media inter gloriam, & viam,] cur non etiam vsque adeò eminens communicatio, & bene-afficientia diuinæ naturæ, & vitalis vita, medio modo viæ, & patriæ suauem mentis excessum constituat? ibidemque, beata vita, in suo fonte viuat? non tam operando, quam accipiendo; vndè & consequenter dicitur,

Tum demum mysticum esse in summo modo huius vitæ, non operandi, sed à Deo accipiendi; tamen ad mensuram doni sapientiæ supernaturalis.

ARTICVLVS DECIMVSQVINTVS.

CVm de fruitionibus diuinis loquimur, magna differentia considerandæ est, inter recipere, & operari; imò talis, qualis inter agere, & pati: quæ in exercitio actus perfectionem suam consequuntur, sicut excedentia & excessa. Vndè licet in nunc præsenti de quo loquimur, [*f* anima per virtutem amatiuam super omnem imaginem,

a 1.2.q.28.a 1 & 2. b *Gers. tract. 7. sup. Magnif.* c *Dion. Carth. de font. luc. a. 17.* d *Less. de sum Bon. l. 2. c. 1.* e *S. Bonau. s. d. 23 a 2. q. 3.* f *Harph. l. 3. p. 3. c. 14.*

nem ; & similitudinem , in illam caliginosam nihilitatem suæ cogitationis ascenderit ; Deumque sine medio , & secundum totalitatem diuinitatis suæ præsentem habeat :] hoc ipsum tamen contingit passiuè , suscipiendo scilicet perfectissimè , & à sensibilibus formis ; aut intellectualibus discursibus remotissimè. quamuis autem in eo Nunc, explicito , & directo actu nihil operetur ; attamen [in supremo *a* anima aliquid agit , secundum potentias intellectus , & voluntatis à Deo suscipiendo : sed valdè silentiosè , sicut differt sibilus à clamore.] & subtiliter [diuini *b* odoris iucunditatem , suauitatemque recipit , sancta voluptate completur , & diuino alimento.] & ideò etiam totum quod tunc anima agit , non est directè actio ; sed sustinentia voluntaria , & susceptio optimi agentis in se : quo ita reuerentiali silentio susciptiatur , quod , non in Nunc præsenti ; sed postmodum , restituta scilicet operatione intellectus , in formatione verbi Agalmatis , ex pulcherrima specie , cognosci poterit. in hac enim vitali existentia , [vti neque ea quæ ratione intelliguntur , ab ijs quæ sub sensum cadunt , comprehendi , cernique possunt : sic *c* & essentias vincit , & superat , quæ termino caret , immensitas : & mentes , quæ mente superior est , vnitas : & vnum ; quod cogitationem superat ; in cogitationem nullam cadere : & Bonum , quod orationem vincit , nulla oratione exprimi potest.]

Ad hunc porrò summum modum huius vitæ , non operandi ; sed à Deo accipiendi , per dona supernaturalium habituum ; spectant ea , quæ passim de illa spiritus nostri puritate , qua ex Deo profluxit , traduntur. quæ idcircò tam intimè vnit , quod scilicet sicut [quantum ad receptionem , *d* cognitio dormientis est potior , quam vigilantis ; eò quod quiescentibus sensibus interiores impressiones magis recipiat ;] ita quoque potentiæ intellectus , & voluntatis , post proprias , & expressas operationes , Deo potissimum agente , silentiosè ipsam animæ essentiam , à qua gratiæ , & vitæ æternæ influxum suscipiunt , vicinissimè iungantur , vt & ipsæ quodammodo essentiæ in vitæ communione conuiuant ; per [gratiam operantem *e* quæ est illa , qua Deus in nobis sine nobis operatur , seu quæ datur ad effectum in quo mens nostra est mota , & non mouens ,] iuxtà illud , qui spiritu Dei *f* aguntur , hi sunt filij Dei : postmodum tamen vbi intellectualis operatio restituta fuerit , in *g* Agalmate , perfectissima , & pulcherrima specie illius communionis , intellectu operationem resumente , quod quidem facillimè fit ; vndè & consequenter dicitur.

Hunc

a *Calagur. Theol. Myst. c. 6.* b *S. Dion. de Eccl. Hier. c. 4.* c *Idem de div. nom. c. 1.* d *S. Thom. de verit. q. 12. a. 3. ad 1. & 2.* e *1. 2. q. 111. a. 2.* f *Rom. 8.* g *Hic a. 17. & 18.*

Hunc modum si maneat cum libertate sensuum, non diu durare.

ARTICVLVS DECIMVS SEXTVS.

IAm verò cum [amor *a* nil aliud sit quam stabilimentum voluntatis in bono volito,] [voluntas *b* autem propriè sit in intellectu;] vt ideò iuremeritò in optimo modo huius vitæ à Deo accipiendi, & passiuo silentio, vtrique potentiæ, à supersplendenti Bono influxum, reliquerimus: operæ pretium fuerit scire, an eiusmodi passiuum silentium diu duret, nec ne. ad quod respondetur, quod si ipsam vitam contemplatiuam spectemus prout [omnes illas mentis operationes complectitur, quæ contemplationem, vel præcedunt, vel concomitantur, vel subsequuntur, diu,] *c* imò tota vita durare; totamque vitam *d* requirere. si autem status siue incipientium, siue proficientium, siue perfectorum, consideremus; ad *e* annos, apud nonnullos etiam tota vita durare. si autem intermedias sphæras, regiones, dimensiones situsue; & pro vt sapientia diuina in imaginatione nostra in vestigia, & particulas quasdam resoluitur: sic ad menses, septimanas, ac dies durare. si autem vt in exercitio actus, perfectè, & summè contingit: ad modicum, & vix ad mediam horam durare; iuxtà illud, factum est silentium in cœlo quasi hora media. imò in supradicto silentio passiuo (citra raptum aut formalem Ecstasin,) vix ad motum aliquot passiuum durare. [nulla enim *f* actio potest diu durare in sui summo: summum autem contemplationis est, vt attingat ad vniformitatem diuinæ contemplationis, & quantum ad hoc contemplatio diu durare non potest.] mens etiam in vno actu amoris continuato variatione, & mutatione naturaliter delectatur; ita vt non variata, vix percipiatur ab operante, & nec delectet, nec animum quietet. & ideò amor vel accenditur, vel renouatur, vel per nouos actus exercetur. hinc etiam contemplationem in perfecto actu, nõ posse esse diuturnam passim *g* omnes docent, qui de hac duratione scripserunt. quia ergò in summo operationis dictæ [suauitatem internam, quasi furtiuè *h* hoc est per transitum,] duntaxat suscipimus; solum modò etiam [vita nostra interdum ad *i* modicum talis est, qualis vita primi Entis inuariabiliter.] & [talis est sempiterna vita, quale fuit hoc *k* momentum intelligentiæ, cui suspirauimus.] & [prô dolor adeò breuiter *l* & momentaneè hac suauitate (scilicet supremo modo actuata) frui licet, vt eam priusquam se quis percepisse sentiat, amittat.]

Hisce

a *S. Thom. opusc. 53.* b *Contr. Gent. l. 1, c. 72.* c *2. 2. q. 180, a. 8.* d *vt supra 1 p. Dec. 3. a. 3.* e *vt sup. Dec. 1. a. 9.* f *S. Th. 2. 2. q. 180. a. 8. ad 2.* g *Cassian. Coll. 1. c. 13. & Coll. 23. c. 5. S. Aug. l. 7. conf. c. 17 & l. 10. c. 40. Bern. l. de Amor. Dei c. 4 S Th. 2. 2. q. 180. a. 8. ad 2. Suar. de Relig. t. 2. l. 2 c. 10. Th. à IESV de Cont. c. 10. l. 1; Sanct. Theol. Myst. de cont. superemi. disq 9.* h *S. Greg l. 5. mor. c. 25. & Hom. in Ezech.* i *Arist,* k *S. Aug. l. 9. conf. c. 10.* l *S. Bern. in illud Cant. Indica mihi.*

Hisce iam positis facillimè satisfit obiectiunculæ: num scilicet in dicto passiuo silentio, ac optimo modo à Deo accipiendi, mysticus sit in statu meriti: respondetur enim, quod durante eiusmodi existentia, & vnione; [charitas attingat ipsum Deum, vt in ipso *a* sistat, non vt ex eo aliquid nobis proueniat.] quia tamen [amor viæ est meritum, (ex eo) quod sit via *b* qua ad terminum tenditur;] & in quolibet actu virtutum Theologicarum, in gratia exercito sit aliquid per modum meriti, & per modum præmij hinc [non sine *c* præmio diligitur Deus, etsi absque præmij intuitu diligendus sit. Vacua namque vera charitas esse non potest, nec tamen mercenaria est, quippe quæ non quærit quæ sua sunt; affectus est, non contractus; verus amor præmium non requirit, sed meretur:] sic etiam mysticus meretur in somno ex libero arbitrio, aliqualiter saltem: cum in somnis possit esse liberum arbitrium, licet [absque *d* completo motu.] & sic saltem in quantum inchoatus, licet non completus, erit meritorius. & hoc posito multò magis in suaui mentis excessu sensibus non tam violenter ligatis, quam sedatis, erit talis motus, & meritum. facilitat etiam mysticum actu mereri: quia ponimus tantum suauem excessum, quo nec foris nec intus quoquo modo inquietetur; non autem formalem Ecstasin, cum excessiua immutatione corporali, quæ sensus liget, & corporis, animalesque motus violenter suspendat: sicut etiam, quod non diu duret; sensibusque non ligatis fiat. Verumtamen si ab amoris vehementi progressu sensus ligarentur, & verè diuina sequeretur Ecstasis, tum altiores quoque conditiones essent *e* admittendæ. interea [Beatum *f* dixerim & sanctum, cui tale aliquid in hac mortali vita, rarò interdum, aut vel semel, & hoc ipsum raptim, atque vnius vix momenti spatio experiri donatum est. Te enim quodammodo perdere, tanquam qui non sis, & omninò non sentire teipsum, & à temetipso exinaniri, & penè annullari, cœlestis est conuersationis, non humanæ affectionis.] iam verò vt constet quæ sit prima dispositio ad resumptionem operationis post hunc suauem mentis excessum, dicimus consequenter,

Quod cum hic suauis mentis excessus lumine formali ecstatico non perficiatur, intellectus patiens suscipiat speciem resultantem, ad perfectissimum verbum Agalmatis formandum.

ARTICVLVS DECIMVS SEPTIMVS.

NOn videtur sanæ doctrinæ consentaneum esse, altiùs de mystica perfectione loqui, multoque minus tutum videtur, potentiam innominatam (si non figmentum quoddam) su-

a *S. Thom. 2. 2. q. 23. a. 6. c.* b *Less. de sum. Bon. l. 2. c. 14.* c *S. Bern. tract. de dilig. Deo.* d *S. Thom. 1. 2 q 113. a. 5. ad 2.* e *Vt inf. Dec. 9. a. 4.* f *S. Bern. l. de dilig. Deo.*

pra [intellectum, & voluntatem ipsismet *a* Angelis] negatam, excogitare. Cum itaque in dicto passiuo silentio, sensus non violenter, sed suauiter ligati sint; nec ecstatica, multoque minus clara visio subsequatur; in instanti aut modica duratione poterit optimus modus à Deo accipiendi, absolui. & tum quidem intellectus, prius quam voluntas, ab actiuitate propria (supersplendenti gloria maiestatis suspensus) etiam omnium primò restituitur, & coadstantis excessiui luminis summi boni mitiorem, sibique magis proportionatam recipit speciem, seu pulcherrimum Agalma Diuini Pulchri, & Optimi, in intellectu patiente resultans; vt ex fœcunditate intellectus patientis, verbum, seu diuinum Pulchrum, & Optimum intelligendo concipere, & exprimere valeat: eiusmodi autem species, seu Agalma, in intellectu patiente idcirco ponitur, quia [intellectus *b* agens est qui facit species à sensibilibus acceptas, esse intelligibiles actu,] has autem in præcedentibus operationibus intellectus, sicut & phantasmata rerum sensibilium, non tantum seruientia, sed etiam concomitantia: quin imò ipsam purissimam contemplationis formationem; sicut etiam explicitum conceptum essentiæ diuinæ in abstracto, deseruit, & vt species insufficientes impares, & inferioris conditionis ad purè spiritualia nihil præstantes reiecit. non enim aliter se habet [intellectus agens *c* ad intellectum possibilem, quam se habet lux ad visum.]

Sed iam quæri potest quo medio, influxu, vel operatione, eiusmodi species in intellectu patiente veniat. ad hoc respondetur primò passiuè recipiendo, ita vt sicut [sentimenta diuinorum tactuum repentinorum *d* passiuè in anima efficiuntur, sine eo quod ipsa effectiuè aliquid ex sua parte ad ea recipienda concurrat. ita etiam notitiæ ex illis resilientes passiuè in intellectu, quem Philosophi passibilem dicunt, absque eo quod aliquid ex se operetur, recipiuntur,] vitalis autem illa beneafficientia amoris supra intellectus expressas operationes; sicut conuenit cum tactu, seu motu voluntatis, quem subinde Deus absque intellectu eo directo, excitat: sic & ipsa specierum resultantia; species enim non tantum præexistunt, [sed etiam aliquando in mente *e* resultant:] imò [ex ea ipsa *f* perceptione Dei, quæ voluntatis est; illustrissima quædam lux qua intellectus possit excelsius, quam ante, diuina contemplari, dissultat.] & tum [diuinæ *g* virtutis incorruptum, præclarè expressum signum, & simulacrum, ita seipsum figurat & fingit ad pulcherrimam imaginem, (qua scilicet) spiritalem illam, fragrantemque pulchritudinem intuetur.] supplendo vices

a S. Thomas 1. part. quæst. 54. art. 5. *b S. Thomas lib. 2. cont. Gent. cap. 96* *c Lib 3. cont. Gent. cap. 45.* *d Ioan. à Cruc. Ascen. mont. lib. 2. cap 32.* *e S. Thom. de Proph quæst. 12 art. 6.* *f Calagur. Theol Myst. c. 4.* *g S. Dion. de Eccl Hier. c 4.*

vices intellectus agentis. Secundò verò actiue operando, ita vt [intellectus patiẽs intelligat per formam quam penes se habet] à resultantia; non enim in notitia illa intellectu superiore lumen spiritum perficiens vnquam desijt: sed inter potentiam puram ad verbum formandum, & actum completum, passiuè suscipiendo, & sustinendo, medio modo se habuit; Deo potissimum agente, mystico autem patiente. [datur enim medium *b* inter puram potentiam, & actum completum.] [actus etiam vitales, *c* attingunt sua obiecta actiuè, vel passiuè, vel vtroque modo.] ipso itaque instanti quo intellectus à sua suspensione soluitur, intellectus patiens coadstantis superspiendentis diuinæ lucis, & pulchri speciem per formam, quam penes se habet, intelligit; vt ilicò verbum Agalmatis præstantissimum formare possit. & sic [anima humana quantum ad id quod in ipsa *d* supremum est, aliquid attingit de eo quod proprium est naturæ Angelicæ, vt scilicet aliquorum (maximè horum) cognitionem subitò, & sine inquisitione habeat.]

Ad formandum autem verbum Agalmatis eiusmodi [species *e* delectans vt speciosa, suauis, & salubris insinuat, quod in illa prima specie est prima speciositas, suauitas & salubritas, in qua est summa proportionalitas, & æqualitas ad generantem in qua est virtus non per phantasma, sed per veritatem apprehensionis illabens.] ita vt sicut [illa dispositio qua intellectus creatus ad intellectualem diuinæ substantię visionem extollitur, congruè lux gloriæ dicitur per hoc quod facit intellectum *f* patientem actu intelligere.] sic quoque tam diuinè splendens species, sit lumen mysticum faciens intellectum patientem actu intelligere. dum enim [de illo diuino contemplationis internæ secreto *g* reuertimur, quid nobiscum afferre poterimus nisi lucem; lucem de regione lucis venientes portamus. hoc enim decens, & necessarium est, vt cum à lucis regione venimus ad fugandas nostras tenebras nobiscum lucem apportemus, & quis scire potest quid ibi fecerimus, si illuminati non redimus. vndè qui transacta vnione omnimoda hac certitudine (quæ contingit in immediata perceptione diuina) præditus non fuerit, certissimè sibi persuadeat, diuinam hanc, & fruitiuam vnionem, neque summis labijs attigisse, quamuis forsan ardentissimum Dei amorem, suauissimamque dulcedinem in Ecstasi positus degustasse sibi videatur: quia talis vnio esset in affectu tantum, & non in effectu.] [oculis itaque *h* intellectualibus iam apertis, & clarificatis illud videre desiderat, ad quod à Deo tam dulciter allicitur, & inuitatur: tunc ostendens ei Dominus in viuido speculo virtutis

a *S Thomas lib. 2. cont. Gent. cap. 49.* b *Tertia part. quæst 11. art. 5. c.* c *S. Bonau. 6. itin. ater. decis. 1.* d *S. Thomas de Synter. quæst 16 art. 1. c.* e *S. Bonau. itin. ment. c. 2.* f *S. Thomas l. 3. cont. Gent c. 53.* g *S. Bonau. de 7. itin. æter. d. 5.* h *Harph. l. 3. p. 4 c. 29.*

intellectiuæ seipsum non sicut est in natura, sed in imaginibus & similitudinibus, pro vt illuminata ratio comprehendere, & intelligere potest. nam sic illuminata ratio à Deo sine errore clarè conspicit in imaginibus intellectualibus omnia quæcunque prius de Deo, & diuina veritate scire desiderabat.] vt autem constet præstantiores esse operationes post mentis suauem in Deo excessum, quam antequam ad illam mysticus pertingeret consequenter dicimus,

Quod durante formatione verbi Agalmatis mysticus secundum vtramque potentiam adæquatè, & optimo modo huius vitæ operandi, viuat supra affirmationem & negationem, tamen ad mensuram doni sapientiæ supernaturalis.

ARTICVLVS DECIMVS OCTAVVS.

EST ergò Agalma siue species illa post eminentem modum accipiendi vtriusque potentiæ, primum, & proximum principium, optimo, & perfectissimo modo huius vitæ operandi. à prima enim veritate binæ potentiæ, intellectus scilicet, & voluntas, sortitæ sunt, vt in vna forma conciliarentur; vndè & affectus, & motus dissensione sedata, placantur. & sic purissimus spiritus, & ad similitudinem substantiæ separatæ operans, [Diuini *a* odoris iucunditatem suauitatemq; receptam,] in supradicta passiuitate, in Nunc operationis [sancta voluptate complet, *b* ac diuino alimento:] totusque animus sub vna intelligentiæ forma viuit; ac tam intimam, & ex consortio diuinæ naturæ tam diuinam communicationem, lumine speciei Agalmatis integrè, & dilucidè apprehendit, ac cognoscit; formandoque verbum, & conceptum Boni intellecti, ipsum bonum spirituali actione distribuit, & distribuendo iucundè fruitur.

Atque hæc est [dignissima, & vtilissima *c* contemplatio ad quam in hac vita peruenire potest: in qua contemplatiuus sui melius potens permanet, & liber, potestque in quolibet amatorio introgressu in altitudinem vitæ vltra omnem intelligentiæ captum proficere; quia in interno feruore suæ deuotionis, & virtutum exercitijs liber, & sui potens permanet,] & fruitionem quæ ad vim appetitiuam pertinet, [consecutione boni conuenientis, & *d* cognitione huiusmodi adeptionis] nutrit, sustentatque supra affirmationem, vel negationem. quamdiu enim aliquid explicito actu affirmamus vel negamus; tamdiu bono nondum sufficienter impleti, ipsum bonum vel superaddendo, vel purius in sua natura inquirendo, in nobis ipsis augere contendimus: at vbi gratia, seu communicatio vitæ æternæ in ipsa essentia animæ, (Spiritu

a S. *Dionys. de Eccles. Hierarch. cap. 4.* b *Ibid.* c *Harph. lib. 3. part. 4. cap. 29.* d *S. Thom. 1. 2. quæst. 32. art. 1. 6.*

(Spiritu Sancto magis agente) excitata fuerit, & exinde in potentias intellectus, & voluntatis vitaliter effluxerit, vtraque potentia primo Pulchro, & Bono integrè plena; non quouis modo acquirendi, sed perfecto modo possidendi, & fruendi viuit; adæquata intellectione, & dilectione; in simultanea cognitione, tam intimæ, ac vitalis amicitiæ Dei. sic enim [probè *a* intelligit se benè animo esse constitutum is, qui cum veritate iunctus est.] quia nimirum [vna *b* ibi & tota virtus est amare quod videas, & summa felicitas, habere quod amas.]

Atque eiusmodi planè operatio substantiæ spirituali quam maximè grata est; eamque cum primis decet, vt perfectum exercitium, seu actus suæ operationis: mysticum verò bene-afficit cõformiter ad fruitionem beatificam, in qua non plus diligitur, quam intelligitur, & contrà, non plus intelligitur, quam diligitur. Vndè etiam sicut visio beatifica, quæ est summa contemplatio, eminentissimè simul est apprehensiua cognitio; ita etiam eiusmodi intuitus contemplationis delectans intrinsecè, & essentialiter includit cognitionem veritatis contemplatæ: qua simultaneæ scit & experitur, sibi in Dei Vitali respiratione, tam benè esse.

Profluit autem hic optimus, & perfectissimus operationis modus, ex eo vel maximè, quod secundum intellectum per speciem Agalmatis quodammodo eleuetur ad pulchritudinem speciei infusæ: & secundum voluntatem per vitalem amoris vsque ad vitæ æternæ, in ipsa animæ essentia habitantis, ingressum, propè attingat commotiones præuias voluntatis, sine actu intellectus eo directo, à Spiritu Sancto intensissima vitalitate excitatas. & licet tam species infusæ, quam eiusmodi Spiritus Sancti præuiæ voluntatis commotiones, & altioris speciei (quam per donum sapientiæ) conditiones, & singulariori commotionis ordine, dictum perfectissimum operandi modum excedant: quia tamen in eiusmodi modo vtraque potentia per lumen, & gustum diuinæ sapientiæ perfectè simul afficitur, adstante simultanea experientia, qua cognoscit se tam supernaturali vita viuere, videntur in effectu, (licet fortè non tam intensè, aut clarè) quid simile præstare, quod species infusæ, vel præuiæ voluntatis commotiones. Vt autem constet [vitam *c* nostram interdum ad modicum talem esse, qualis est vita primi Entis inuariabiliter.] dicimus consequenter,

Quod eiusmodi adæquata fruitio appropinquet ad beatitudinem patriæ.

ARTICVLVS NONVS.

NEmini mirum videri debet, quod tam perfectam in consortium diuinæ naturæ transformationem, (in exercitio actus) ad beatitudinem patriæ propè accedere dicamus. nam [homo in

a S. Dion. de diu. nom c. 7. b S. August. l. 12. de Gen. ad litt. c. 26. c Arist.

in quantum est contemplatiuus, *a* est aliquid supra hominem; quia in intellectus simplici visione, continuatur homo superioribus substantijs, quæ intelligentiæ, siue Angeli dicuntur.] Deus etiam per tam amicabilem fruitionem [hominibus *b* Angelorum vitam largitur; quam concreti ex multis partibus adipisci possunt.] quia tamen Beatorum, & [Angelorum *c* amor excedit nostrum, saltem quantum ad actum, & operationem;] considerandum erit primò, in quibus viatores per mystica summa exercitia in actu, ad beatitudinem patriæ propè accedant; secundò in quibus cum beatis conueniant; tertiò in quibus beati, viatores excedant; quartò in quibus viatores, beatis maiores sint.

Ad primum ergò quod attinet, verbũ Agalmatis, seu adęquatæ intellectionis, & dilectionis immediatè post suauem mẽtis excessum, propè accedit ad beatitudinem patriæ. quia tam perfectè adęquata [contemplatio huius vitæ *d* est quædã participatio, & imitatio visionis beatificæ, in qua non plus diligunt quam vident, nec minus vident quam diligunt.] & tum verè est [aliqua *e* inchoatio beatitudinis in hac vita in viris perfectis.] vndè iuremeritò dicitur. [sensi quiddam in me, resplendens *f* animæ meæ, quod si perficeretur in me, dicere non dubitarem id vitam esse æternam.] & certè si visio, notitia, [seu intellectualis prophetia *g* appropinquat ad visionem patriæ.] quantòmagis amor consortij diuinæ naturæ tam perfectè intensus, appropinquabit amori beatifico, cum amor feratur in res, vt in sua essentia sunt: & intellectus in hac persistentia, [sine vllo discursu *h* more Angelorum res diuinas purissima cognitione, percipiat.] nam [speculando, corporis *i* similitudinibus non inuolui Angelicæ puritatis est] vndè & [animi perfecti *k* multorum in vno collatione, & collectione, parem etiam cum Angelis vim intelligendi, quatenus animis conceditur, assequuntur.] quin etiam ipsæ humanæ passiones in subordinatione, & corporis alleuiatione, quodammodo beatæ fiunt. [spiritus enim noster *l* spiritui diuino similis effectus, & vnitus, & per amorem affectus, qualificat etiam, & afficit corpus proprium tanquam suum formabile, seu materiale, per redundantiã spiritus ad corpus. quo fit vt proprium corpus sic habituatum, sic affectum, induat, & generet quasdam proprietates ipsius spiritus, proprijs vel derelictis, vel multum ab actione sua suspensis.] ac tum mystici [in *m* sanctitate vitæ, & hominis interioris contemplatione, & fruitione diuinitatis, iam futuræ vitæ beatitudinem prælibare in hac vita videntur, & imitari: nec non de corporum

a S. Thom. 3. sent. d. 35. q. 1. a. 2. q. 2. a. 1. ad 1. b S. Dion. de diu. nom. c. 6. c S. Bonau. 4. Itin. ater. d. 5. a. 3. d S. Augustl. 1. de Trin. cap. 8. & 9. e S. Thom. 1. 2 q. 109 a. 2. f S. Augustl. apud Paul. Dominica post Natiu. ser. 1. g S. Thom. 22. q. 174. a. 2. c. h Et q. 180. a. 6. ad 2. i S. Bern. in Cant. Serm. 52. k S. Dion. de diu. nom. c. 7. l Harph. l. 1. part. 2. c. 101. m S. Bern. apud S. Bonau. 7. Itin. ater. d. 6.

rum ipsorum glorificatione, quam plenè ibi percepturi sunt, in hac vita nonnihil percipiunt. Accepta enim illa gratia qua habitantes in vnum seipsis in Deo, & Deo in seipsis fruuntur, ipsius carnis se sentiunt viciſſe omnes contradictiones, vt vniuersa substantia carnis, non sit eis nisi instrumentum boni operis. nam etsi ipsius miserijs, & infirmitatibus contabescunt, ex hoc ipso in interiori homine fortius conualescũt; quando enim infirmor, tunc fortiòr sum, & potens ait Apostolus.] Ex hac porrò superioris in inferiorem partem influentia, tanta in toto composito hominis consurgit beatitudo; vt si ad maiorem in cœlis beatitudinem homo non ordinaretur, & eiusmodi affluentia perseueraret, tam propè ipsam beatitudinem accederet, vt in æternum tam secundum corpus quam secundum animam plenè in Deo, & non in aliquo alio quod est Deo minus, contentus foret. Vndè etiam in tantum pia anima eiusmodi largifluam diuinæ naturæ communionem solet demirari: vt si illam actu non possideret, nec narranti, aut demonstranti, aut alteri à se experto, nec crederet, nec credere posset. est enim in habente tanquam [beatitudo,*a* & status omnium bonorum aggregatione perfectus.]ad quem omnes reuelata facie *b* gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu: siue [clarius in dies, ac *c* clarius,& vsque ad claritatem visionis beatificæ.]subsecuturæ in altera vita.

Ad secundum verò quod attinet [habitus sunt communes *d* viatoribus,& beatis, excepto lumine gloriæ;] cuius loco, sapientiæ maximè, vel altiora [dona *e* nos hic perficiunt secundum quandam inchoationem,& in futuro implebuntur,] iuxtà illud Apostoli, videmus nunc per speculum in ænigmate, *f* tunc autem facie ad faciem, nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.

Ad Tertium autem quod attinet, beati, Viatores *g* excedunt: primò, quia vident Diuinam Essentiam clarè, distinctè, & intuitiuè: viatores autem licet quidditatiuè; sed non clarè, at obscurè,& in abstracto,[prout post omnes actiones, & mentis transcendentias, remanet *h* conceptus entis perfecti.] secundò, quia beatorum intellectus lumine gloriæ eleuatus Diuinam Essentiam videt, non per aliquam speciem, sed per ipsam Dei Essentiam; ita vt [essentia diuina comparetur ad intellectum creatum, vt species intelligibilis, *i* qua intelligit:] viatorum autem intellectus, ob defectum luminis gloriæ, specie aliqua, qualitercunque tandem sublimi, contentari debet, vt per illam diuinæ sapientiæ vestigia, ac aliquam

a Vt Boët. apud S. Thom. 1. p. q. 26. art. 1. *b 2. Cor. 3.* *c Vt hic Ambr* *d S. Thom. 1. 2. q 50 & 22. q. 8 a. 7. c.* *f 1. Cor. 13.* *g De his vide Thom. à Iesu l. 3. de Cont. c. 14.* *h Gers. de simpl. Corr. mul. 8.* *i S. Thom. l. 3. Cont. Gent. c. 51.*

quam particulam consequatur. Tertiò, quia beati immutabiliter, & æterna duratione Diuinam Essentiam intuentur, *a* viator autem etiam ex specialissima gratia, non nisi per transitum, & ad tempus. Vndè solummodò [vita nostra interdum ad *b* modicum talis est, qualis est vita primi Entis inuariabiliter,] & sic [extendimus nos, & rapida cogitatione attingimus æternam sapientiam super omnia manentem: & si continuetur hoc, *c* & subtrahantur aliæ visiones longè imparis generis, & hæc vna rapiat, & absorbeat, & recondat in interiora gaudia spectatorem suum, talis erit sempiterna vita, quale fuit hoc momentum intelligentiæ, cui suspirauimus.]

Ad quartum verò quod attinet, nonnulli viatores, beatos quosdam excedunt, quantum ad meritum, licet habitus charitatis viæ non possit habere supremum actum sui meriti: quia hic est tantum intrinsecè, & substantialiter perfectior, erit autem in patria quantum ad vsum, & exercitium actus. & eo sensu dictum est, inter *d* natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista; qui autem minor est in cœlo, maior est illo. Obseruandum est autem hunc modum meriti, quo alioqui viatores, beatos nonnullos excedunt, non tantum apud Mysticos, sed etiam apud alios iustos inueniri; qui quocunque tandem modo merendi, apud Deum maiores exstiterint.

Iam verò cum in mystico negotio, longè aliud sit mentis regio, circa quâ versamur in aliquo statu, eiusque infimo, medio aut summo; & aliud operatio, quæ in instanti, & Hic, & Nunc peragitur, ac præterquam quod singuli status ordinato progressu subdiuidantur; magis tamen semper oculus spiritualis in eo sollicitus sit, vt congruè operari possit: hinc ab infimis operationibus, per medias vsque ad summas, hoc loco præstantiorem mysticum instruere voluimus: ac singulariter monere, has operationes ad longum (pro accurato ordine practico intelligendo) deductas, breuissimo tempore, & vix tamdiu, vt quis aliquot passus conficiat, perfici, ac consequenter sub vna mentalis orationis horula, aliquoties ab infimis vsque ad medias, & summas operationes hic descriptas pertingi: præsertim cum quis in summo status Transformationis constitutus, aut specibus infusis, vel præuijs voluntatis commotionibus, à Deo dignatus fuerit. Cum itaque ipsas operationes ad summum deduxerimus, modò videndum erit, quomodò pia anima iterum ab illis deficiat, & ad modos operandi inferiores dilabatur, vndè & consequenter dicimus,

Quod quantò magis à tam perfecta operatione ad reflexas, medias aut infimas species contemplatio dilabitur, tantò imperfectius quoque Diuinitas repræsentetur.

ARTI-

a *S. Thom 1.p.q.12 a.11. & 2 2 q.175 a.3.ad 1.* b *Arist.* c *S. August. lib.9. Conf. cap 10.*
d *Luc.7.*

ARTICVLVS VIGESIMVS.

LIcet [creatura intellectualis quæ Dei *a* substantiam videt, summam immutabilitatem consequatur;] cum tamen nulla actio viatoris diu in suo summo duret, & intellectui sit naturale, rationis species, & phantasiæ simulachra intueri: & [anima à *b* contemplatiua vita, infirmitatis suæ pondere victa lassetur, & tantò celeriùs labatur, quantò magis claustra supergrediens, super semetipsam ire conatur.] ac etiam [intellectus non solum intelligat intelligibile, sed intelligat etiam se *c* hoc intelligere] hinc [quantumcunque in amore audeat spiritus, cum tamen seipsum animaduertit, *d* inter se, & Deum discrimen, & diuersitatem sentit.] mentes enim si fortè dum Deum cognoscunt non mediocriter; interim tamen ament aliud, vel mediocriter: statim cum Deo ad aliud mouebuntur. & ideò ad qualemcunque speciem, & quacunque de causa dilabatur mysticus, semper ad eius, ad quod prolapsus est, naturam, & conditionem, repræsentationesque proportionatas, suspicit, reflectendo aspicit, & plus minusue afficitur; sicut in specie simplicis intelligentiæ perfectius, quam in ratione, & perfectius in ratione quam imaginatione, vel sensu. & cum [in intellectu *e* non remaneat species, nisi quando actu consideratur,] necessariò quantò magis ad reflexas, medias vel infimas species dilabitur, tantò imperfectius quoque diuinitas repræsentatur.

Ad hæc tamen non infertur, amoris intensionem non remanere, aut cum infima aliqua specie vehementer excitari non posse. nam aliquando in minimis magis, quam in maioribus mouemur; & cum nos in amoris diuini schola magis voluntatem quam intellectum consideremus: ideò tum [hoc est maius esse *f* quod est melius esse.] Vndè etiam consequenter dicimus,

Quod sint interim mystico perfecto omnia bona valdè, siue suprema, siue media, siue infima sit operatio.

ARTICVLVS VIGESIMVS PRIMVS.

IAm verò licet quantò mysticus ad inferiores species dilabitur, tantò quoque diuinitas ei imperfectius repræsentetur; hoc ipsum tamen arcani amoris exercitium, & prosecutionem non impedit: quamuis enim [contemplatio *g* non possit diu durare in suo summo, & prout attingit vniformitatem diuinæ contemplationis;

a *S Thom. lib. 2. Cont. Gent. cap. 62.* b *Harph. ex VVercell lib. 1. p. 2. c. 46.* c *S. Thom. de verit. q. 10 de ment. a. 2.* d *Rusbroch. l. de perf. filio. Dei c. 3.* e *S. Thom. q. 10. de ment. a. 2. c. & l. 1. Cont. Gent. c. 43.* g *S. Thom. 22. q. 180. a. 8. c.*

tamen quantum ad alios actus contemplationis potest diu durare.] nam [secundum naturæ ordinem propter *a* colligantiam virium animæ in vna essentia, & animæ & corporis in vno esse compositi, vires superiores, & inferiores, & etiam corpus, & anima inuicem in se influunt, quod in aliquo eorum superabundat.] & sicut [primæ *b* mentes cum fœnore habent Sanctas inferiorum proprietates: sic etiam illas superiorum habent vltimæ, non tamen eodem; sed inferiore modo.]

Quando ergò ad alios contemplationis actus declinatur, & intelligibile lumen ex intellectu in rationem, aut imaginationem nostram exuberat, ibique varijs figuris vestitur, hisque adstantibus, aut seruientibus, [Sanctis gradibus mysteriorum initia aspexerimus, ijsque sanctè instituti fuerimus, tum denique & quarum figurarum *c* exemplaria, & quarum rerum obscurarum imagines sint, intelligemus.] ita vt [aspectus contemplantis res in seipsis considerans videat in eis pondus, numerum & mensuram; pondus quo ad situm vbi inclinantur, numerum quo distinguantur, & mensuram qua limitantur. ac per hoc videt in eis modum, speciem & ordinem, nec non substantiam, virtutem & operationem. ex quibus consurgere potest sicut ex vestigio, ad intelligendum potentiam, sapientiam, & bonitatem Creatoris immensam.] quæ sicut in maximis, ita & in minimis est bona valdè. [si quis *e* dixerit sensus ipsos, sapientiæ quandam esse particulam, & vestigium, is non aberrabit.] nec in infimis minus libenter, quietè, & ordinatè Deo vacabit; omnia, & singula prout in prima veritate, & bono existunt absque delectu, suscipiendo; vt Deus ipsi sit semper omnia in omnibus. sicut eadem videtur esse lux, qua sol, & lucet intus, & foras emicat: emicansque illuminat omnia; eadem rursus qua omnia hæc illuminata tum in seipsis nitent, tum transuerso radiorum iactu refulgent in alia; tum etiam retro quodam proiectu remicant ergà solem. Et sicut [cum *f* in eadem domo complures sunt faces, videmus cum vno lumine, omnium lumina coniungi, vnumque splendorem ex se, qui non distinctus est, effundere: neminemque arbitror posse huius, vel illius facis lumen discernere, aut diuidere à cæteris ex aëre, qui ambit omnia lumina, nec videre alterum sine altero, quod tota in totis sine confusione temperata sint.] [bona *g* enim inter se amicitia coniuncta sunt omnia, & consona, atque vna vita propagata sunt, & ad vnum bonum ordine quodam dispositæ pertinent, blandaque sunt alia alijs, & similia atque communia.]

Et

a De verit. q. 26. art. 10. c. b *S. Dion. de Cœl. Hier. c. vlt.* c *Idem de Eccl. Hier. c. 5.* d *S. Bonauentura in Mont. c. 1.* e *S. Dion. de diu. nom. c. 1.* f *Idem ibidem cap. 2.* g *Idem ibid. c. 4.*

Et quia [bonum *a* particulare habet quod sit appetibile in quantum est similitudo primæ Bonitatis ;] & tum conditio, tum ratio meriti huius vitæ, ab influentia abundante ex superioribus potentijs, ad inferiora vsque, & minima sensus, nos dimittant: nonnisi supra sortem naturæ, vanè, & inutiliter contenderet quis ; si semper in summo contemplationis, pro vt attingit *b* vniformitatem diuinæ contemplationis, perseuerare vellet. sicut enim [in *c* centro omnes orbis lineæ vna coniunctione cohærent, punctumque ipsum omnes habet in se rectas lineas vno modo coniunctas, & inter se, & cum vno principio à quo prodierunt. atq; in centro quidem penitùs coniunguntur; sed ab eo paulùm distãte, paulùm etiam diuiduntur, cum autẽ longiùs, distant magis; & quò plus ab eo distant, eò plus aliæ ab alijs absunt.] ita etiã inferiora, & minima sensus à cẽtro, propter vltimã similitudinis primæ bonitatis remotissimè quidem distant; sed neque, sicut & linea à centro, & primo Ente interrupta bonitate, scinduntur; at in radice, & continuatione lineæ, vnum sunt.

Apud illos ergò qui præter rerum ordinem, frustra continuò volunt ambulare in mirabilibus supra se, [plerumq; fit, vt *d* maximũ homo repellat, & à maximis sese impediat in minimis ? quod vtique non rectè fit. Deus namq; modus omnis est, & modis omnibus æqualiter inest, si tantum æqualiter eum capere quis sciat.] quin imò [*e* quandò anima ad id perfectionis ascendit, vt Deo perfectè vniatur, tum primum id corpus assequitur, vt omnibus vitæ necessarijs ad Dei gloriam vti possit.] nam [contemplator (scilicet in statibus perfectis ambidexter *f* esse debet, suam cogitationem possidens velut ex præpotens regnum suum, vt scilicet per ipsam cogitationem ad omnes virtutes sine intermissione se declinet, gerens similitudinem fœcundæ bonitatis diuinæ naturæ semper effluentis cum donis suis ad omnes creaturas.] atque tum demum ad practicum ordinem, & continuum exercitium actus iucunda varietate [ordinatur *g* charitas, cum mens humana, supra singula quæque requiescere nouit; iuxtà sapientiam veritatis, & illuminatæ rationis ex omnibus mellitam dulcedinem diuinæ maiestatis, bonitatis, largitatis, charitatis extrahens; cum qua iugiter reuolet in appropriatum alueolum, id est, in ipsum amatum, vndè omnia profluxerunt. Ad hoc enim duntaxat celebratur hæc vicissitudo euolationis, vt vberiori semper fœcunditate reuolet in dilectum.] vtque nec citra, nec vltra petat & tum [*h* summum bonum accommodatis vnicuique eorum quæ sunt illustrationibus pro sua benignitate collocet, atque ad sui cognitionem, communionemq;

a *S Thom. Cont. Gent. l. 3, c. 24.* b *Vt sup dec. 1. A. 8.* c *S. Dion. de diu nom. c. 5.* d *Taul. pag 670. in Instit. D. Eckar.* e *Idem serm. 1. in Vigil. Pasch.* f *Harph. l. 3. p 4. c. 30.* g *Ex lib 3. p 3. cap. 17.* h *S. Dion. de diu. nom. c. 1.*

ac similitudinem quæ esse potest, Sanctas mentes excitat, eas quæ cum ipso, quantum licet, sancteque cohærent, neque ad superiora quam diuinum lumen conuenienter datum ferat, cum non possint, insolenter contendunt: neq; ad inferiora malis succumbentes iactantur, sed constanter, & sine vlla inflexione in radium sibi lucentem aciem mentis intendunt, moderatoque illustrationum quæ lucent, amore, cum sacra religione modiceque ac piè sursum volant]

Tandem [*a* sapientiæ donum triplicem continet actum, Primus est diuinorum clara cognitio, Secundus iudicialis de omnibus discretio, Tertius dulcis affectio, seu saporosa degustatio.] in primo autem actu tum versatur mysticus, quando purè, & supra affirmationem, aut negationem in Deo viuit; in secundo verò, quando, nonnihil ad reflexas notitias dimittitur; in tertio autem quando in inferioribus, & minimis quibusuis diuino quodam gustu ei sunt omnia bona valdè & sic [cui ea quæ sunt *b* naturæ suæ propria, seruãtur inuiolata; ei etiam diuinæ omnis harmoniæ, sacrique decoris sunt plena.] & tanquam in statu innocentiæ, in quo nulla mala, sed omnia bona erant, Dei bonitatem suscipiet, nec timorosa abstractione opus habebit; sed de bono in melius, de meliori in optimum semper sua fruitione penetrabit. quod qui nondum præstare potest, is nequaquam momentaneæ dispositus, & capax est, vt eius velle *c* & posse vnum valeant; omniq; instanti pro Hic & Nunc Deo reali fruitione vniri dignus sit. sicut enim [firmamentum *d* & sub eo posita sidera errantia, maximè sol, rebus terrenis omnibus lucem adferunt; & quemadmodum ex calore, quem firmamentum & planetæ inferioribus rebus creatis ministrant, & communicant, cuncta viuunt, & increscunt.] sic etiam [optimus *e* modus hic est, vt nullam penitùs electionem siue opinionem habeamus; adeò vt si in præsentiarum vel excellentissimi simus, ilicò vel minimi esse possimus, eoque nos tanta cum simplicitate accommodare atque conuertere, ac si meliusaliquid nunquam vel agnouissemus, vel habuissemus: & è conuerso, vt ab infimis ad suprema parati simus.] & tunc perfectè quidem, beatæ mentes cum diuina voluntate concordes, mensura dati muneris contentæ viuunt, summaque repetunt, vndè & consequenter dicitur,

Quod mysticus perfectus fruitionem facillimè reassumat per nouam formationem verbi mystici, cuiuscunque speciei.

ARTICVLVS VIGESIMVS SECVNDVS.

APud illos ergò, quibus sũt omnia bona valdè, & qui pro cõsuetudine *f* exercitatos habẽt sensus: licet non tan-

a *Dion Carth. tract. 2. de don. spir. S. cap 9.* b *S. Dion. de diu. nom. cap. 2.* c *Vt inf. dec. 7. n. 3.*
d *Rusbroch. lib. de regn. Deum amant. c. 26.* e *Taul. Instit. c. 34.* f *Hebr. 5.*

tantum [vniformitas *a* diuinæ contemplationis non diu possit durare in suo summo;] sed neque [alia *b* amoris motio, seu eius actualis amatio; quin in nobis quandoque quiescat, & finiatur:] attamen cum [homines *c* perfecti & absoluti ab omnibus, ab introuersione nunquam recedant, nisi quantum vel humana fragilitas, vel mutabilitas temporis exigere videtur, ob quam ista momentanea coruscatio breuissimo quodam spatio interim interrumpitur.] hinc [*d* perfecti amici Dei semper in quodam præsenti Nunc consistunt, & neque præteritis, neque futuris inordinata cum sollicitudine intendunt, & occupantur: Deum verò ita in minimis, sicut in maximis obseruant;] ita vt [*e* præclaræ contemplationes ex omnibus intelligi, spectarique possint.] [amor *f* enim qui est in appetitu intellectiuo, importat quandam vnionem secundum affectum amantis ad amatum, in quantum scilicet amans æstimat amatum quodammodo vt vnum sibi, vel ad se pertinens, & sic mouetur in ipsum.] & sic facillimè arcani amoris aliqua operatio, cuiuscunque tandem situs, regionis, vbi, modi, speciei, aut conditionis fuerit, resumi potest. [huius enim amoris affectio tantæ *g* mobilitatis est, quod sicut in aspirationibus, & respiratione anhelitus, sine omni deliberatione procedit emissio, vel immissio: sic sine omni deliberatione affectus ignitus, qui est super omnem intellectum, in illum tendit, cui soli perfectiùs vniri desiderat, & actionem suam ab omni intelligentia totaliter separatam habet: tanta latitudine & promptitudine à parte superiori coadiutus, vt mira velocitate motuum citiùs quam cogitari valeat, instar aspirantis, vel respirantis consurgat.]

Qui ergò [sua *h* rectè oculis ab omni perturbatione liberis considerauerit: is obscuras quidem ignorationis tenebras fugiet, Dei tamen perfectissimæ coniunctionis radios ipse, non per se desiderabit; sed sensim ac pedetentim, à primis suis ad ea quæ etiam peiora sunt, progredietur, & per illa ad prima omnium, tumque numeris omnibus absolutus, ad summa Diuinitatis ordinatè sanctéque perueniet.] [Deus enim *i* mentes, in quibus fuerit, expiat primum, deindè illustrat; illustrataque perficit, ad diuinam similitudinem, & imitationem.] atque ita cum per bonos vniuersi gradus, gradatim in meliùs aliquid, potentiùs, simulque simpliciùs ascendamus, paulatimque multitudinem congregemus in vnum; necesse est ad vnum denique peruenire, simplicissimum, optimum, potentissimum, idque illæsum atque prorsus imperturbatum. [Diuinæ enim *k* mentes in simplici natura pacis, cum suis notitijs, & perceptionibus coniungun-

a *S. Thom. 2. 2. q. 180. a. 8. ad 2.* b *S. Bonau. 4. itin æter. d. 5. a. 3.* c *Taul. instit. c. 28.* d *Ibid. c. 37.* Sed *Dion. de Cœl. Hier. c. 2.* f *S. Thomas 2. 2. q. 27. a. 2. c.* g *Harph. l. 3. p. 1. c. 8.* h *S. Dion. de Eccl. Hier. c. 3.* i *Ibid.* k *De Diu. nom. c. 11.*

tur etiam cum ijs quæ intelliguntur, rursusque ascendunt ad incognitam eorum, quæ mente superiora sunt, coniunctionem. hac animi suas omnium generum rationes coniungentes, & ad vnam mentis puritatem colligentes, progrediuntur congruenter, sibi via & ordine per materiæ expertem, indiuiduamque intelligentiam ad intelligentia superiorem coniunctionem.] [Cum autem per eiusmodi frequens exercitium in amore vnitiuo mens confirmata fuerit, ac per ingeminatas flammigeras amoris affectiones, vel aspirationes supra seipsam dextera dilecti sui subleuata, citius quam cogitari posset, sine omni cogitatione prævia, vel concomitante, quotiescunque placuerit in die, vel in nocte; centies, vel millesies in dilectum afficietur, ad illum totum possidendum, innumerabilibus desiderijs aspirando, in quantum admittit valetudo corporalis.] quę vt non tantum indiscretè non lędatur; sed vt conformiter ad silentes operationes substantiæ separatę procedatur; [oportet omnem intelligentiam, & [b] considerationem deficere; & tum oculus simplex amatiuam virtutem simpliciter post tractum Dei deducit; adeò vt mens hominis de cętero suiipsius potens non sit. Et istud toties contingit, quoties sol iustitiæ oculum nostrum simplicem, post se trahit in suam immensam claritatem, vbi Deum & omnia sine discretione, & consideratione simplici intuitu in diuina claritate contemplamur.]

Et certè huius vicissitudinis & paulatim perficientis, [c mutationis ignoratio semper causa est ei qui ignarus est, sui diuisionis, ac distractionis:] seu [malum, d & imbecillitas, propria accommodataque bona adipiscendi, & ab eis prolapsio.] ea propter sedulò ac diligenti cura in praxi diuersarum specierum conditio, & proprietas obseruanda est, vt talem ordinatè attingat, quæ in præsenti Nunc non taliter qualiter; sed vitale beneque affici, contineat, fruitionemque, seu amantis in amato quietationem causet, foueat, renouetque perfectius continuò. & hisce abundanter quidem de operationibus particularibus dictis, consequenter ad statuum mysticorum ordinatam prosecutionem, redeundum erit.

a Harph. l. 3. p. 1. c. 8. b Idem. c S. Dion. de diu. nom. c. 7. d Ibid. c. 4.

SEXTVS

SEXTVS STATVS MYSTICVS EST TRANSFORMATIONIS ET PRIMO MODI DESCENDENTIS

DECISIO SEPTIMA.

ORdinatè, & satis fusè explicatis operationibus, verbis seu loquutionibus prout in actus exercitio supremo modo huius vitæ per dona supernaturalia intellectus, & maximè sapientiæ, formari solent: ipsos iam status supremos, suo quoque ordine prosequi oportet. Vndè dictis ijs quæ *a* minora sunt status vnionis; ad *b* maiora quæ ad statum Transformationis directè pertinent, progrediemur. de statu autem Transformationis, licet à mysticis hinc inde mentio fiat: non tamen sat accuratè eius & natura, & ab alijs statibus differentia ad practicum exercitium ponitur. quæ enim hunc statum propriè, & directè concernunt; confuso ordine, sæpè per verba vnionis explicantur. eapropter deinceps de statu Transformationis, eiusdemque duobus potissimum descensus, & ascensus, modis, dicendum est. & quidem.

I. *Quid sit Transformatio mystica propriè.*

II. *Quod Transformatio mystica sit duplex, videlicet modi descendentis & modi ascendentis; ac quænam sit modi descendentis.*

III. *Quod Transformationis modi descendentis velle, & posse cum sint vnum, peragantur ordinariè suauimentis excessu.*

IV. *Diuinorum quantumcunque præstantem animum à supremis per medias ad infimas fruitionis regiones paulatim descendere.*

ARTI-

a Ioan. à Cruc. de obscur. noct. in Prol. & sup. dec. 3. *b Idem in Prol. viuid flam.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit Transformatio mystica propriè.

CVm de propria Transformatione fit sermo, longè absit error quorundam, quo opinati sunt, animam hominis à proprio esse desinere, & in ipsam diuinam essentiam transire. sicut etiam vt insufficiens transformatio haberetur, qua [*a* agens per intellectum agit per formam intellectus:] & intellectus per intellectionem transformatur, & fit ipsa res non quidem naturæ conformitate, sed repræsentatione: talis enim contingit *b* in omni operatione intellectuali, & speculatiua. nos ergò per propriam transformationem mysticam intelligimus, arctissimam illam vnionem, in qua per amorem, diuinorum summè amans, vnum fit cum amato, ipso scilicet Deo, vt Summo Bono, idque perfectissimo, & substantiæ separatę maximè conformi modo; quo *c* reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatẽ, tanquam à Domini spiritu; quo ita *d* efficiamur diuinæ consortes naturæ, non quidem Transformatione substantiali, sed impressiua. [forma enim animæ *e* Deus est, cui debet imprimi sicut sigillo signatum.] & [sicut *f* fosculo spiramen se permiscet, vt vnus anhelitus iudicetur: sic Spiritus Sanctus nostro spiritui dulciter immissus, fit vnus spiritus cum eo.] & hoc est illud spiraculum *g* vitæ, quo factus est homo in animam viuentem. de quo etiam Apostolus gloriatur, dicens *h* viuo ego, non iam ego, viuit verò in me Christus.

Est ergò Transformatio in actuali exercitio, vsus doni habitus sapientiæ, quo mysticus diuinæ factus consors naturæ de claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu, perficitur, & in charitate magis radicatur: ita vt in eiusmodi felicitate inueniatur perfecta ratio possessionis mysticæ; ad quam quidem nihil aliud requiritur, quam vt res ita habeatur præsens, & in potestate possidentis, vt possit ea vti, & frui pro suo desiderio: & omne commodum, & oblectamentum ex ea percipere, quod ex ea capi potest; sicut fit in auditu symphoniæ; secus in visione pecuniæ. eiusmodi porrò mysticum oblectamentum ad libitum in statu Transformationis ordinariè haberi, cum eius velle, & posse sint idem: dictum est *i* infra. hic verò consequenter dicemus,

Quod Transformatio mystica sit duplex, videlicet modi descendentis, & modi ascendentis; ac quænam sit modi descendentis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

DVplicem esse modum transformationis, scil. vnum, quo descendere dicitur

a S. *Thomas l. 1. cont. Gent. c. 94.* b *Vt communiter Philosophi.* c *2. Cor. 3.* d *2. Petr. 1.* e *S. Bonau. Proces. 7. Relig. cap. 13.* f *Harph. lib. 3. part. 3. cap. 24.* g *Gen. 2.* h *Gal. 2.* i *Hic art. 3.*

dicitur ex alto ad inferiora, per intermedia: & prout Deus est terminus à Quo, intrinseca fruitio originem, & spiraculum vitæ haurit: & alterum, quo ab inferioribus per intermedia, ad superiora, & prout Deus est terminus ad Quem; scilicet vota, conatus, & fruitiuæ quietis appetitus, tendit; ex mysticorum monumentis satis constat. præsertim si obseruetur per verba supremæ *a* vnionis, illa esse intelligenda, quæ propria sunt status Transformationis; idque non tantum in actu transeunte; sed etiam in statu permanente.

Itaque *b* [sicut lumen diuinum gradatim decrescendo in nos descendit gradatim: ita contrario modo per ipsum lumen in Deum reducimur gradatim & crescendo. vt psalmo 83. dicitur, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.][charitas *c* enim ad superiora tendit, vt in eis requiescat; ad inferiora tendit, vt ea ad se reducat: sursum mouetur, vt illic maneat, deorsum, vt redeat.] in quorum consideratione cogita catenam varijs contextam luminibus, quasi annulis per totum cœlum diffusam, & ad terram vsque porrectam. catena verò hæc est ordo seriesque rerum diuinæ prouidentiæ, parens: series, inquam, luminum partim quidem inuisibilium, partim etiam visibilium. Quia nimirum [in omnibus Deus noscitur, *d* & sine omnibus: scientiaque Deus cognoscitur & ignoratione: estque eius & notitia, & ratio, & scientia, & tactus, & sensus, & opinio, & visio, & nomen & cætera omnia: & neque intelligitur, neque dicitur, neque nominatur. & nec animo cernitur, nec sub sensum cadit, nec est quidquam penitus eorum quæ sunt.]

Iure meritò ergò [detractiones siue *e* negationes, contra, ac affirmationes laudandæ videntur. illas enim à primis orsi, & ad extrema per media deuenientes, ponebamus. hic autem ab extremis ad prima & principalia ascendentes, omnia tollimus, vt sine integumentis cognoscamus ignorantiam illam quæ ab omnibus rebus, quæ scientia comprehenduntur, in ijs quæ sunt, occultatam esse: caliginemque illam cernamus essentia superiorem, quæ ab omni luce, quæ in rebus inest, occulitur.]

Atque ita [ad summam amorosam, & nobilissimam contemplationem, quæ etiam raptum, & ecstasin causat, dupliciter pertingit homo; primò excitando se per abstractionem, *f* & per considerationem eorum, quæ magis feruorem prouocare, & parere solent in animo, donec apex voluntatis valida accendatur, ac purè efficiatur in Deo:] sicque vertex intelligentiæ desuper illustretur ad contemplandum modo prætacto. ad quod Sanctus Dionysius

a *vt hic supra ex Ioan. à Cruc.* b *S. Thom. opusc. de Humil. Christ. post init.* c *S. Bonau. 4. Itin. æter. n. d. 5. art. 3.* d *S. Dionys. de diu. nom. c. 7.* e *Idem Theol. Myst. c. 2.* f *Dion. Carth. de font. luc. a. 14.*

sius respicit dicens: [tu autem Timothee charissime, sensus *a* relinque, & intellectuales operationes.] Alio modo [homo pertingit ad contemplationem istam absque suo *b* conamine, & præparatione prædicta, dum scilicet misericordissimè desuper præuenitur atque diuinitùs fortiter illustratur, validè inflammatur, gratiosissimè præoccupatur, ac mirabiliter nimis perstringitur, in tantum, vt etiam resistere nequeat: & quamuis velit, non possit effugere gratia prædominante ipsi naturæ, non violenter, sed conuenientissimè.]

Fundatur porrò horum modorum differentia in dono intellectus, & maximè sapientiæ, eò quod [*c* donum intellectus sit propriè penetratiuum; donum autem sapientiæ sit propriè saporatiuum.] hinc etiam vterque modus circa primum centrum per consortium diuinæ naturæ, circumuolutiones suas peragit. & quidem descendens supra affirmationem tanquam vitali, & quasi connaturali gustu diuinam vitam possidet; in eaque gaudet, & omnia prout sunt bona valdè in primo suo principio, constringit, & fruendo dilatatur, in dilectione crescit, nutritur, & viuit. vndè etiam Deum possidet vt Terminum à Quo, omnis scilicet sua actualis felicitas, egreditur abundantissimè; totam capacitatem spiritus, animæ, & corporis adimplens, & nunquam, nisi fortè per accidens, relapsum ad soleitatem spiritus, & carentiam amicabilis amicitiæ Dei, patiens. ascensus verò supra negationem illimitatis viribus, ad infinitum Pulchrum, & Bonum, insatiabili, ac infatigabili modo se erigit, extendit, ac magnificat: & Deum vt Terminum ad Quem, inexhauribili modo supra omnem viuentem, concipit, intuetur, ac possidet.

Et quia nemo *d* ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo: qui enim *e* descendit, ipse est qui & ascendit supra omnes cœlos vt impleret omnia; prius de statu Transformationis modi descendentis agendum erit. sicut enim status vnionis tanquam primus ascensus modi supernaturaliter operandi, post rigidam illam priuationem ex toto *f* absolutam, mysticum ad summa vsq;, & ad statum Transformationis eleuat; ita modo status Transformationis descendentis, & maior radicatio in charitate, & respiraculo vitæ æternæ, perseueranter, & sine interruptione, aut relapsu ad soleitatem suiipsius durans, statum vnionis excellit: sicut linea centum passuum, lineam decem passuum.

Transformatio itaque modi descendentis est vsus in actus exercitio doni habitus sapientiæ, quo diuinæ factus consors naturæ de claritate *g* in claritatem tanquam à Domini spiritu perficitur, & secundum adæquatam fruitionem dilectionis, & cognitionis sic potest sicut vult, & sic pleno benè in Deo affici

a *S. Dion. Theol. Myst. c. 1.* b *Dion. Carth. ibid.* c *S. Bonau. Diæta salutis. 6. de 7. don. Spir. S. c. 3.* d *Ioan. 3.* e *Ephes. 4.* f *supra Dis. 3. a. 6.* g *2. Cor. 3.*

affici vult, sicut potest: idque ordinata intensione maioris radicationis in charitate. & ideò in hoc statu Deus est sicut Terminus à Quo, scilicet respiraculum vitæ, seu vitaliter diuinum affici, per actualem vsum charitatis suam originem sumit, vt ex eo, ceu ex viua radice intellectus agens absque vllo negotio, imò summa, & quasi innata facilitate species pro Hic & Nunc proportionatas desumat, ad formandum verbum mysticum in intellectu patiente, quousque & huius & illius operationes, per superexcedentem amorem conquietentur. idque tam diu, totque annis; donec à summa spiritus regione, per mediam, ad infimam, eiusque vltimas abyssos descenderit. vt autem Transformationis descendentis felicitas penitiùs intelligatur, dicimus consequenter,

Quod Transformationis modi descendentis velle, & posse cum sint vnum, peragantur ordinariè suaui mentis excessu.

ARTICVLVS TERTIVS.

DVpliciter [amor diuinus *a* ecstasin facit, non sinens amatores esse sui iuris; sed in ius eorum quæ amantur penitùs transferens.] primò quidem, cum ita affectus & cogitatio amantis transfertur in dilectum, vt sui, & rerum suarum obliuiscatur, suaque omnia negligat. tunc enim anima cogitatione, & affectu extra se egressa, tota in rebus dilecti versatur, vt iam non in suo corpore, & in se viuere videatur, sed in dilecto. & dilectus in ipsa. hoc modo diuinè dictum ab Apostolo. viuo ego, non iam ego, viuit verò in me Christus. ita enim cogitatione, & affectu erat in Christo, & Christi causa; vt eorum quæ ad sua commoda, honorem, vitamq; pertinerent, prorsus videretur oblitus. Alter modus quo fit Ecstasis vi amoris, est, cum ita mens in Deum per contemplationem, & amorem trahitur, vt functiones virium inferiorum, præsertim sensuum, cessent: sic vt homo nõ videat, nec audiat, nec sentiat quidquã, & interdum etiam vitalis facultatis operatio ita intercipiatur, vt vix discerni possit an adhuc viuat. hoc modo multi Sanctorum vi contemplationis, & amoris, perfectam, & mysticam ecstasin passi sunt.

Quia verò etiam absq; amore diuino, sola vi contemplationis huius secundi modi, ecstasis fieri potest; idq; ex imperfectione quadam, & imbecillitate naturæ: quando sc. tota eius vis expenditur, & veluti exhauritur circa aliquod obiectum; vel quando vires inferiores destituuntur spiritibus ad functiones earũ necessarijs, dum hi omnes sursum trahuntur, vt imaginationi, & contemplationi illius obiecti seruiant: nos supra *b* de Ecstasi fucata, & dolosa; infra *c* autem de vera, mystica & sancta, ad praxis cautelam dicere voluimus.

a S. Dion. c. 4. de diu. nom. b 1. p. Dec. 7. a. 7 & d. 8. a. 2. c Dec. 9. a. 4.

Iam verò & quidem hoc loco de primo modo ecstasis, seu prout ordnatiè fit suaui mentis excessu, intelligendi sumus. verè namque in toto statu Transformationis modi descendentis, licet vel decem annis duraret; [diuinum lumen benignè semper *a* mentis oculis patet, & eis illud capere licet; cum præsens sit, paratissimumque semper ad sua communicanda omnia.] & cum [aliqua inchoatio *b* beatitudinis sit in hac vita in viris perfectis.] nunquam eiusmodi felicitas, si ordinarium attendatur, & prout habitus dat facilè, & delectabiliter operari; verius, ac realius quam in statu Transformationis modi descendentis contingit.

Ibi enim cum [sponsi *c* amplexibus anima deuota inhianter inhæreat, incipit inter eius brachia quodammodo consopiri; sicut potatus nobili vino in soporem resoluitur, vt non solum delectabiliter; sed & tenaciter Deo inhæreat, & quasi vi quadam abstrahatur ab omni visibilium sensu, & memoria; sic tamen temperatè, vt nec plenè suimet oblita, nec tamen verè compos sit sui, iuxta illud Psalmi. si dormiatis inter medios terminos cœli, & mundi. Item Cantic. 5. Ego dormio, & cor meum vigilat, est enim talis iste somnus, sicut illorum qui incipiunt dormitare, & tamen videntur sibi ea quæ circa se fiunt aliquo modo sentire, & intelligere. sed per soporem non aduertunt, nisi velint sibi vim facere, vt ad se plenius reuertantur. amor enim Dei cum pura intelligentia conditus, inebriat mentem, & ab exterioribus abstractam sua virtute Deo conglutinat, & coniungit. & quantò amor vehementior, & intelligentia lucidior, tantò validius in se mentem rapit, quousque tandem omnium quæ sub Deo sunt plenè oblita, in solo diuinæ contemplationis radio liberè figatur, licet breuiter quasi in quodam coruscí luminis cœlitus emicantis. quia corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa simul cogitantem.]

Et certè [cum cœperit *d* mens per puram intelligentiam semetipsam excedere, & illam incorporeæ lucis claritatem tota intrare, & in his quæ intrinsecus videt, quendam intimæ suauitatis saporem trahere, & ex ea intelligentiam suam condire, & in sapientiam vertere. in tantum in hoc mentis excessu pax illa, quæ exuperat omnem sensum, inuenitur, atque obtinetur; vt fiat silentium in cœlo quasi hora dimidia. ita vt contemplantis animus nulla alterantium cogitationum tumultuatione turbetur: nihil inueniens, quod vel per desiderium petat, vel per fastidium arguat, vel per odium accusset, sed intra contemplationis tranquillitatem totus colligitur, intromittitur in quendam affectum multum inusitatum, introrsus ad nescio quã dulcedinẽ; quæ si semper sic sentiretur, profecto magna

a *S. Dion. de Eccl. Hier. c. 2. p. 3.* b *S. Thom. 1. 2. q. 3. a. 5. c.* c *S. Bonau. 7. Proces. Relig. c. 14.*
d *Hugo de S. Vict. l. 2. de Anim. c. 20. & S. Bern. ser. 3. in Cant.*

magna felicitas esset; nihil sensualitas, nihil illuc agit imaginatio: sed omnis interior vis animæ proprio interim viduatur officio. purior autem animæ pars in illud intimæ quietis secretum, & summę tranquillitatis arcanum felici iucunditate introducitur. viuus quidem sermo est Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, ita vt pars inferior componatur ad summam pacem & tranquillitatem, pars autem superior ad gloriam, & iucunditatem.]

Eiusmodi porrò iucunditas, tanquam beatitudinis quoddam gaudium formaliter consistit in quadam vitali suauitate, quæ ex amore ad præsentiam boni amati per modum passionis resultat; & est tanquam complementum motuum animi, & vltima perfectio. vt ideò tantum ament quantum vident, & tantum gaudeant quantum amant. Et cum [in perpetuis *a* (circa quæ mysticus hoc loco circumuolutiones suas iucundissimè perficit) non differat esse & posse.] oportet vtique velle, & posse, diligere, & intelligere, omninò paria, & inter se commensa esse. [velle autem *b* quod Deus vult, hoc est iam Deo similem esse; non posse velle nisi quod Deus vult, hoc est iam esse quod Deus est, cui velle & esse idipsum est. & his potestas data est filios Dei fieri, non quidem vt sint Deus; sed sint tamen quod Deus est.] ac demum [per sui *c* puritatē homo adeò in Deum supra terrena omnia iuxta quandam similitudinem Angelicam rapitur, demergiturque, sicque intus Deo depingitur; vt quidquid foris suscipit, diuinum in ipso reddatur ob hunc animi raptum; vt siue comedat, siue bibat, siue dormiat, siue vigilet, aut quidquid demum agat, cuncta ad summam Dei laudem, & gloriam perficiat.] atq; [hisce hominibus *d* nulla est reuelatio necessaria, neque supra sensus rapi habent opus: quandoquidem vita, conuersatio, & habitatio eorum supra sensus, & portionem sensitiuam, in spiritu agitur:] non quidem violenter, & cum formali ecstasi, sed suaui mentis excessu. quo [mens contemplantis tam profundè in Deum subleuatur, quod ipsa viuacitas intelligentiæ *e* diuinitus irradiatæ metas humanæ industriæ transcendat, licet tamen in mentis alienationem non transeat. ita quod, & supra se sit quod videat; & tamen ab assuetis penitus non secedat

Iam verò singulariter obseruandum venit, quod quando dicitur mysticum sic posse sicut vult, & quod sicut velle, sic & posse adiaceat; hoc non esse intelligendum quasi ipsius velle & posse adæquemus diuino posse, & velle; sed solum in actu mystico: & hoc non simpliciter, & absolute; sed quando dono sapientiæ supernaturalis à Deo dignatus, & ad operationes substantijs separatis conformes admissus fuerit. quæ omnia etiam secundùm actus exercitos, & transeuntes, semper accipienda, & intelligenda sunt; non autem secundùm

a S. Thom. cont. Gent. l. 2. c. 91. b S. Bernar. epist. ad Fratr. de mont. c Taul. serm. 2. in Paras. d Ruisbroch. de ornat. spir. nupt. l. 2. c. 38. e Harph. l. 3. p. 5. c. 37.

dùm ſupremam, aut mediam ſpiritus regionem aut habitationem; vnde etiam conſequenter dicimus,

Diuinorum quantumcunq; præſtantem animum, à ſupremis per medias ad infimas fruitionis regiones paulatim deſcendere.

ARTICVLVS QVARTVS.

PRæter ea quæ ſupra dicta *a* ſunt, aliud ad præſens non facit, niſi vt myſticus abſque timore alicuius imperfectionis, ſecurè, & quietè fieri ſinat, quod ſumma illa, & ineffabilis, ſpiritus proprij in ſpiritum diuinum transformatio, modi deſcendentis, quandoque deficiat: & ordinatè per medias ad infimas regiones deſcendat: nec ex eo dubitandi anſam accipiat, quod ſtatus hic in ſuo fortè ſummo ad duos, vel etiam plures annos perſeuerauerit, & totidem in medio, ac tandem magis ac magis ad infima deſcendat. huius enim viciſſitudinis *b* ordo ſpiritualem perfectum quam maximè facit, & in reali praxi, ac omnimoda Dei ſequela ad oculum patet illis myſticis, qui ſpiritum Domini ſupra omnia habere conati fuerint.

Interea verò tam felix, atque amiciſſima diuini conſortij familiaritas, cum ex dono habitus ſupernaturalis procedat, ita vt ea myſticus ad libitum, (licet non ſemper æquè intensè, & à materialibus abſtractè) vti, & frui poſſit, & continuò in quadam Dei obumbratione verſetur; nullatenus permittit vt diuinorum patiens, ad propriam ſuiipſius ſoleitatem, ſeu moleſtam, & quaſi dilacerantem amoris carentiam decidat; niſi fortè peraccidens, & rarò admodum. vndè hoc loco pro maiori notitia tantum inſinuari debuit, illam, in ſtatu præſenti rarò contingere. Hiſce porrò de ſtatu Transformationis modi deſcendentis breuiter dictis, ad ſtatum Transformationis modi aſcendentis, procedendum erit.

a Hic art. 2. *b* Sup. doct. 1. art. 8, 9. & 10.

SEXTVS

SEXTVS STATVS MYSTICVS EST TRANSFORMATIONIS, ET SECVNDO MODI ASCENDENTIS.

DECISIO OCTAVA.

LICET inexpertis alta videantur, quæ modo de Transformatione affirmatiua diximus; præstantiora tamen esse quæ in Transformatione negatiua fiunt, ex sequentibus constabit. Et

I. *Quid sit Transformatio modi Ascendentis.*
II. *Quod Transformatio modi Ascendentis habeat ordinariè relapsum à spiritu diuino.*
III. *Quod modus Transformationis Ascendentis, magis sit perfectus quam modus Descendentis.*
IV. *Quod Vicissitudo Descendentis, & Ascendentis Transformationis in hac vita sit sufficiens ad maiorem radicationem in charitate.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit Transformatio modi Ascendentis.

AD ipsam naturam status Transformationis pertinet, quod sit vsus doni supernaturalis sapientiæ, quo mysticus diuinæ *a* factus consors naturæ, de claritate *b* in claritatem tanquam à Domini spiritu perficitur, & in charitate magis radicatur: verùm quod frequenter carentiam fruitionis, & relapsum ex spiritu diuino, ad proprium spiritum patiatur; non tamen cũ tædiosa inibi soleitate, licet absq; vitali beneaffici; in sensibili autem parte quodammodo dilacerari videatur, hoc ad modum Transformationis ascendentis facit, eumque constituit, & sic describi potest; Transformatio modi ascendentis, est diuinus splendor in spiritu humano, ex habituali dono sapientiæ ardens, & lucens, ordinatè etiam lumen, & vitale in Deo bene-affici subinde obtenebrans; atque ab infimis, per medias, ad supremas vsque mentis regiones, moderato ordine procedens; prout hic consequenter latiùs dicitur;

Quod

a 2. Petr. 1. b 2. Corinth. 3.

Quod Transformatio modi Ascendentis habeat relapsum à spiritu diuino.

ARTICVLVS SECVNDVS.

EST in hoc statu mysticus, vt Terminus amoris à Quo, scilicet eius operatio incipit, & ad pascua inuenienda egreditur; & Deus vt Terminus amoris ad Quem scilicet tendunt, pertingunt, ingrediuntur, & finiunt amorosi actus. & sic tanquam Seraphini, dici possunt [feruere, *a* qui impresso calore supra se sursum feruntur, & proprio pondere in se redeunt. huiusmodi super se leuationes, & in se relapsus vicissitudinariè, feruores dicuntur. Sancti itaque Viri, qui exarserunt Spiritus sancti gratia supra se efferuntur in Deum, & ex proprio pondere recidunt in se ab actuali supra se eleuatione.] Dum enim [anima *b* ad contemplandum Deum nititur, velut in quodam certamine posita, modò quasi exuperat, quia intelligendo, & sentiendo in circumscripti luminis aliquid degustat, modò succumbit, quia degustando iterum deficit.]

[Eandem ergò lucem *c* quam in manibus suis tenet absconsam, ei propalat ad horam, aut horulam, prout sibi omnium moderatissimo, sapientissimè placuerit. quo lucis huius reditu annuntiet Deus per allocutionem internam dilecto (homini bono scilicet, cum quo tam gratiosè operari dignatur) quod lux ista possessio eius non sit, ita vt eam possit stabiliter possidere: & si ad horam amiserit eam, ad eam rursus recuperandam possit ascendere, & per eam ad lumen gloriæ peruenire. insuper lucem contemplationis theoricæ, ac mysticæ radium visionis tenens Deus in manibus eandem lucem pulcherrimè radiantem, ad libitum suum menti purgatæ, nunc pandit, & influit, nunc trahit, & abscondit: sicque lux ista venustissima ad tenentis Dei arbitrium latet, ac patet, & nunc copiosius clariusque infulgens, nunc minus.] atque ita hic [infinitus *d* est quidam circulus, dum & spiritus capacitas ex repletione famescit, & esuriens impletur, ac vndique pascua inuenit, in quibus & esuriens, & repletus pascitur.]

Proprium est itaque huic statui, vt à summo ad ima, &, vt ita loquar, ad nulla relabatur, & in nihilum quasi abeant, seu omninò euanescant, etiam summa quæque: cum eo tamen, quod licet sublimis aliqua spiritus in Deum absorptio à suo optimo, & summo deficiat; hoc tamen non semper fiat immediatè ad propriam, & nudam soleitatem sensibilis amoris; ita vt positiuam aliquam molestiam, & quasi dilacerantem miseriam degustet in inferiori homine. quamdiu enim adhuc aliqua intermedia, vel infima, ex superiori bene-affici perseuerat, redundantia; tamdiu ex toto, &

a S. Bonau 4. itin. ater. d. 5. art. 3. ex Lincon. b S. Gregor. homil. 14. in Ezech. c S. Dion. Carth. de sont. luc. a. 16. d Taul. instit. c. 12.

to,& plenè, ibidem miſere affici non poteſt, licet ad ſeptimanas aliquot duraret; nec ad ſuperiora interim reaſcenderet. & hæc quotidiana praxi contingere, non tam eſt quæſtio; quam vt ordinata, ad inſtantaneas viciſſitudines accommodatione, animiqúe induſtria, myſticus ſua peragat. Vt autem plenius hæc explicentur, conſequenter dicimus,

Quod modus Transformationis Aſcendentis, magis ſit perfectus, quam modus Deſcendentis.

ARTICVLVS TERTIVS.

STatui Transformationis modi deſcendentis, in quo omnia de Deo eminenter affirmantur; [Theologi *a* aſcenſum, qui per negationes fit, anteposuerunt; vt qui animum à ſibi cognatis, familiaribusqúe rebus ſubducat: & per diuinas omnes notitias, atque perceptiones ambulet à quibus exemptum, ſecretumq́; eſt id, quod nomen omne, rationemqúe, ac ſcientiam ſuperat, ad extremum autem ei illum coniungat, quatenus nos etiam illi coniungi poſſumus.] vndè [nobiliſſima *b* ſenſio, quam in noſtro ſpiritu ſentire, vel experiri poſſumus, eſt: quod in Deo per amorem fruitiuum morimur, & ſubito in Deum denuò reuertimur, vt ita cum eo per inauulſibilem adhæſionem ſemper permaneamus.] licet ergò fiat relapſus è ſummo ſpiritus diuini in infimum ſpiritus proprij: hoc tamen non eſt adſcribendum alicui imperfectioni; ſed maximè perfectioni. quia [illud *c* eſt plenius & perfectius lumen, quod datur per modum actus ſiue paſſionis, quam illud, quod per modum habitus infunditur: quia ex altitudine huius luminis actualis contingit, vt humana mens illud poſſidere nō poſſit per modum habitus.] imò etiam ex altitudine huius luminis actualis profluit ſumma illa ſpiritus libertas, qua facillimè eleuatur ad optimum modum operandi huius vitæ: & ita diuinis intendit, vt ſciat ſe ijs intendere, abſque imperfecta aliqua coëxiſtente, & aliò trahente notitia. ſicut fit in viſione patriæ: vbi nulla opus eſt vel negatione, vel abſtractione; ſed liberè, & perfectè, & vitam æternam habet, & ſcit ſe eam habere. hoc autem in hac vita fit tantò perfectiùs, quantò amplius, ab inferioribus ad medias, & à medijs ad ſuperiores regiones, ſeu mentales ſitus aſcenditur; & quantò relapſus à ſpiritu diuino in ſpiritum proprium, & ſubtilior, magisqúe ſui ipſius auerſionem, nuditatem, & ſoleitatem penetrans factus fuerit.

Hæc porrò auerſio, nuditas, vel ſoleitas, nō ita accipienda eſt, quaſi actualem fruitionem ſpiritus impedire valeat, ſed quod tam ſubtiliter liberè, & ab omnibus ſoluto ſpiritu diuinis vniatur, vt quidquid habitæ puritati ſpiritus minus eſt, quodammodo ſordeſcere, atque impertinentiæ ſuæ mole quodammodo ſupprimere, videatur. Vnde

a S. Dion. de diu. nom. c. 13. b Harph. l. 3. p. 3. c. 17. c S. Thom de Verit. q. 12. a. 1. ad 7.

etiam pro nihilo ducit, an aliquid viribus inferioribus influat, an non. atque tum [passio *a* inferiori non impedit gaudium, & fruitionem superiorem;] sed illam sentiens tranquillè tolerat, velut frigus aliquod, calorem, famem, vel sitim. Vt autem hæc in praxi fiant, admodum subtili distinctione in intimo spiritu opus est; & hoc ipsum quidem necessitate quadam. quia [quantò magis *b* crescit ascensio, tantò magis crescit cognitio,] & consequenter amoris intensio; ab ea autem ad contrarium, scilicet propriæ soleitatis gustum, viuacior relapsio, vt habetur *c* supra, vbi etiam latiùs ostensum est, quomodo diuinorum præstans animus, ab infimis per medias, vsque ad summas spiritus regiones reascendat, vt iterum perfectiùs descendat, ac in amore cœlesti continuò magis proficiat; quod vt euidentius fiat, hic consequenter dicitur,

Quod vicissitudo Descendentis, & Ascendentis Transformationis in hac vita sit sufficiens, ad maiorem radicationem in charitate.

ARTICVLVS QVARTVS.

CVm [charitas possit augeri *d* tota hominis vita,] nemini præsumendum est, quod totum, *e* quod quærit inuenerit, ne desinat propinquare, qui cessat accedere.] vnde licet [perspicax ille contemplationis radius, semper ex admirationis magnitudine iuxta aliquid suspendatur; non tamen vno *f* modo semper, nec vniformiter id agitur; nam viuacitas illa intelligentię in conteplantis animo mira agilitate modò it, atque redit, modò se quasi in gyrum flectit, modò autem se quasi ad vnum colligit, & quasi immobiliter figit.] ita vt [vna quædam vis simplex, quę per se ad temperationem quandam coniungentem à bono vsque ad extremum eorum quæ sunt, mouet, & impellit: *g* etiam ab ipso rursum ordine per omnia ad bonum ex se, per se, & à se in orbem reflectatur, semperq; ad seipsam eodem modo reuoluatur.] & tum [Dei charitas *h* non solum emanat, sed etiam trahit intrò in vnitatem.] emanat quidem per descensum Transformationis, quando Deum vt primum principium vitali vsu, & fruitione semper in se præexistere habet, & Deum eminenter omnia esse affirmat; intrò autem trahit, quando per ascensum omnia de Deo eminenter negando; continuò penitius Deum, (vt terminum ad Quem tendit) intimiùs attingit.

Sicut ergò [non subest potestati liberi *i* arbitrij etiam per gratiam reparati, vt se immobiliter in bono statuat:] ita etiam in gratia mystica Transformationis, quæ per donum supernaturalis sapien-

a *S. Thom. 3. p. quæst. 46. a. 8.* b *S. Thom in c. 10. de Cœl. hier §. vel fortè. & c. 7. §. non ergò. S. Bonau. 3. it in. æter. d 4. a. 1. ex Hug.* c *in praxi paraph. 13. 14. & 15.* d *S. Thom. 2. 2. quæst. 24 a. 4. c.* e *Leo serm. 11. de Pass Dom.* f *Richard. l. 1. de Cont. c 5.* g *S. Dionys. de diuin. nom. c. 4.* h *Rusbroch. in l. Apolog. c. 13.* i *S. Thom. 2. 2. quæst. 138. art. 4.*

pientiæ dat vsum, & vitalem gustum consortij diuinæ naturæ, admittendum est liberum arbitrium in diuinis vnionibus stabiliter non subsistere; sed ordinata vicissitudine mysticum in perfectiorem semper virum euadere. siue enim per circulares dimensiones diuinitatis, seu situs, vel regiones mentales, à summo spiritus diuini per proprium spiritum, ad inferiora, & quæ centrales, seu cordis sunt mansiones, descendat: siue ab hoc centro, per spiritum proprium ordinatè ad spiritum diuinum ascendat semper magis, ac magis proficiet; semper magis perfecta, magis pulchra, magis noua, magis bene-afficientia, & in charitate profundiùs radicanda inueniet, per ordinatam vicissitudinem vtriusque modi status Transformationis, scil. descendentis, & ascendentis, est enim vnus integer talis descensus, quasi vnum verbum, seu dictum (per innumerabilia, & ipsi practico (saltem ex toto) inobseruabilia verba) continens, quod Deus sit omnia in omnibus. Vnus autem integer talis ascensus, est etiam quasi vnum tale verbum, seu dictum, quod Deus sit super omnia quę sunt. vtroque autem modo immergitur mysticus illi verbo, de quo dicitur: In principio erat verbum, *a* & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. in quo quidem [tanta latet *b* altitudo sapientiæ, vt etiam annosissimis, acutissimis, flagrantissimisque cupiditate discendi, (& practicandi) contingat illud Ecclesiastici; cum consummauerit homo tunc incipit.]

Hæc tamen non ita rigidè accipi volumus: ac si [eminentiores quasdam gratias *c* gratis datas negemus, quibus mediantibus sublimiori modo diuina vnio perficiatur; sed quod huiusmodi gratiæ huius loci non sint, nisi per accidens: directè autem, & ordinariè, ad statum sanctorũ Viatorum pertineant; de quo *d* inferius pauca dicemus. Cæterum vt intra limites summæ Theologiæ mysticæ stemus, nec in vanum omnia huc adducere conemur: alia quam plurima, & propemodum infinita, quæ tam status naturalis modi, quam supernaturalis modi operandi, concernunt, & apud eminentiores tum antiquitate, tum sanctitate, ac doctrina, mysticos, admirabili certè, ac prorsus iucunda, vtilissimaq; varietate leguntur illis relinquimus, qui non tantum in Scholastica Theoria; sed intimius quotidiana, & annosa praxi, diuinis familiaritatibus digni habentur. Atque hisce præmissis ad mysticum statum eminentissimum huius vitæ, transeamus.

a *Ioan.1.* b *S. Augustt. tract. 39. in Ioan.* c *S. Thom 2.2. quæst.45.art.5.c. & 3. sent. d.34. q.1.art.2.* d *Dec. 9.*

SEPTIMVS STATVS MYSTICVS EST SANCTORVM ECCLESIÆ MILITANTIS.

DECISIO NONA.

OMNIVM Sanctorum vitas hoc loco adducere oporteret, si singula, quæ ad mysticam pulchritudinem, ornatum,& varietatem faciunt, enucleatè, tractanda forent. & ideò arcana diuina studiosius prosequentes, ad illarum lectionem remittimus *a* nonnullis duntaxat hoc loco allatis, quæ præcedentibus statibus, & in eis se exercentibus, lumen aliquod dare poterunt: ne temerè, & à dœmonio superbè illusi; sibiipsis, aut alijs facilè gratiam sanctorum Viatorum persuadeant: ac etiam vt maiores gratias, & præstantiora diuinæ amicitiæ signa, in Sanctis Dei non dolosè, aut arroganter imitari, sed reuereri discant; ipsum interea [progressum *b* practicum, in quo spiritus noster à diuino spiritu feliciter agitur, experimentalibus contemplatoribus,] quique abundantiori gratia, vitæ sanctitate, & miraculorum dono à Deo dignati, magisterio Spiritus sancti reguntur, (eminentioribus institutis, vijs ac modis, quam à nobis dici valeat,) ruminandum relinquentes. non enim didici sapientiam, nec noui *c* scientiam Sanctorum. Monemus ergò

I. *Vt nemo facilè sibiipsi, vel alteri persuadeat gratiam Sanctorum.*

II. *De sanctorum Viatorum mysticis statibus, operationibus, methodo, ac ordine.*

III. *Quod sancti Viatores experti sint rigidas illas spiritus & animæ priuationes.*

IV. *Quod in Sanctis huius vitæ mystici raptus, ecstases, visiones, miracula, & similes gratiæ gratis datæ, non imitandæ; sed reuerendæ sint.*

V. *An aliqui Sanctorum in hac vita clarè viderint essentiam Dei.*

ARTI-

a *Cum quibus etiam vtiliter legitur Ioan. à Cruc. Explan. Cant.*. b *Harph. l. 3 p. 4. cap. 30. Prouerb. 30.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Vt nemo facilè sibiipsi, vel alteri persuadeat gratiam Sanctorum.

GRatiæ [gratis datæ, eminentiores *a* habitu sapientiæ,] & [altiores *b* dono intellectus:] non tam faciles, aut ita communiter diffusæ sunt, vti nonnulli sibi, alijsue persuadere possent. licet enim illi, qui gratia mystica modi supernaturaliter operandi dignati, ob sanctam exercitationem, & ad diuina assequenda contentionem iuremeritò de optima, quam elegerunt, & consecuti sunt, parte, gaudeant; cæteri verò illam in ipsis commendent, & reuereantur; non ideò tamen omnia vsquequaque ita tuta, aut salua sunt, quin in maxima circumspectione quisq; salutem suam cum timore, *c* & tremore operari debeat. tum quod Lucifer in Angelum lucis se transformare soleat, & bonos nonnisi sub specie boni decipere, attentet; tum quod nemo [citra specialem *d* reuelationem Dei de finali in gratia perseuerantia securus sit:] & hodie *e* in Domino stans, cras cadere possit; tum quod sæpè apud homines, gratiæ gratis datæ, vti sunt gratia *f* sanitatum, operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum, genera linguarum, interpretatio sermonum: & similes, (ad salutem *g* non necessariæ) maiorem sanctitatis opinationem; quam occulta illa, & efficax gratia sanctificans, causare soleat. vndè nonnulli illorum qui sibi, alijsq; illusoriæ sanctitatis famam acquisiuerunt, dicent: manducauimus *h* coram te, & bibimus, & in plateis nostris docuisti, & in *i* nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus: & tunc confitebitur illis, quia nunquam noui vos. & ideò de acceptis gratijs Deo humiliter gratiæ referendæ sunt, ad altiora autem dona se quisq; penitùs indignum censere debet, ni sibiipsi, alijsue illudere gestiat.

Cæterum si quis proprias virtutes, & gratias ab hominibus laudari, nil omninò æstimet, ac illibèter se honorari permittat, nec in aliquo notabili reprehendat se cor suum; omnia quantumcunq; grandia fuerint, in Deum, à quo omne *k* datum optimum, & omne donum perfectum desursum descendit; ex intima cordis humilitate referendo: is securè cum Beatissima Virgine MARIA; Dominum in anima sua magnificare poterit; licet vel Petri sanctitatem obtinuisset, & vmbra sua omnes languores curaret, & cum sancta Maria Magdalena, septies à Sanctis Angelis ad diuinos concentus audiendos eleuaretur: omni timore superbiæ, aut abusus sublato. [crescente enim charitate, *l* crescit & filialis, ac castus timor.] in quo clarè videt, quod omnia, quæ habet non sua; sed Dei sint. qui vti in sanctis suis mirabilis sit, consequenter dicemus,

a *S. Thom. 2. 2. q. 45. a. 5. c.* b *3 sent. d. 34. q. 1. a. 2.* c *1. Petr. 1* d *Conc. Trid. sess. 6. Can. 16.* e *1. Cor. 10.* f *1. Cor. 12.* g *S. Thom.* h *Luc. 13.* i *Matth. 7* k *Iacob. 1.* l *S. Thom.*

De Sanctorum Viatorum mysticis statibus, operationibus, methodo, ac ordine,

ARTICVLVS SECVNDVS.

ADmiranda est Sanctorum Viatorum, in mysticis exercitationibus auspicatio. aliqui enim non tantum à statu meditationis mysteriorum sanctissimæ Humanitatis Saluatoris nostri, Beatæ virginis, & cæterorum Sanctorum incepisse; sed & totam vitam in horum consideratione transegisse videntur, & per harum profunda secreta, vsq; ad summas diuinitatis contemplationes conscendisse: alij verò leguntur puriori tendentia, citò facilèq; diuinæ naturæ consortium, amicitiamq; induisse, sine inferioribus statibus, & operationibus. & rectè quidem vtrumque. cum enim Deo Optimo Maximo vnum idēque sit [quomodo, *a* quaue via, ac ratione quis procedat,] & singula secundum propriæ dispositionis normam dirigat, etiam ipsi non interest, vtrum per humanitatem, vel diuinitatem, mystica quis ingrediatur, & egrediatur, & pascua inueniat: præsertim quando extraordinario modo, per gratias, & fauores singulares piam animam deducere statuit. hinc etiam non necessariò requiritur ad hoc, vt gratiam Sanctorum quis obtineat, vt sit in statu mysticæ vnionis, aut Transformationis, aut vt ordinaria methodo, & sine saltu, ad illos conscendat, vel etiā excedat. quia [nihil *b* prohibet aliquos esse perfectos, qui in statu perfectionis minimè sunt, & & aliquos esse in statu perfectionis, qui perfecti nequaquam sunt.]

Et ideò Sancti Viatores, sæpè excedunt modum ordinariæ praxis; vel dum in minimis frequenter amplius Deum collaudant, & ad purissimum eius amorem sese excitant, quam alij qui in cœlo nidum suum posuisse, & ad instar aquilæ nubes penetrasse, sibi videntur: vel dum [per *c* saltum] & excellentiori ordine, quam communiter de statu in statum per dona gratiæ mysticæ, & habitum sapientiæ, in amore diuino proficiunt, ita vt in ipsis [rara *d* & prodigiosa sit contemplatio, quam orationis exercitia (sc. consueta) non præcedunt. Jex eò verò vel maximè ordinariæ praxis operationes, (etiam modi supernaturalis) methodum, & ordinem excedunt; quod frequentet actibus infusis à Deo dignentur, & in visiones mentales, Ecstases, & raptus diuinos, abeantiac quādoque extraordinarijs diuinis commotionibus, aut [*e* quocunque tandem beneficio gratiæ,] per illapsum, *f* vel tactum, in iubilum, vel spiritualem ebrietatem excitentur.

Vndè etiam iuremeritò eiusmodi singulares Dei amici, ductui Spiritus Sancti relinquendi sunt, qui eos absque errore, & periculo ducit, ac reducit quocunque impetus Spiritus voluerit. ita vt [Sancta Maria Magdalena *g* in lecto veræ pœnitentiæ quietetur;

a *Taul. in fest. Phirim. Martyr.* b *S. Th. 2.2. q. 184. a. 4. c.* c *S. Bonau. 7. Itin ater.* d *S. Bern. in scal. claust.* e *S. Thom. 2.2. q. 175 a. 1. ad 2.* f *Eiusmodi operationum plena vide omnia in vitis variorum Beatorum, & Sanctorum.* g *S. Bern. in Cant. & S. Bon. de 7 Itin at. in Prol. dist 1.*

tur: Sanctus Thomas Apostolus lumine veritatis illustretur; Princeps Apostolorum Petrus in sede fidei collocetur; Sanctus Ioannes in ardenti fornace amoris diuini inflammetur; vas Electionis Paulus Apostolus in throno sapientiæ sublimetur,]& demum Sanctus Pater noster Franciscus per sacra stigmata sui corporis, totus in Christum Crucifixum transformetur; qui etiam electos suos per crucem ad gloriam deducit, vndè & consequenter dicitur,

Quod Sancti Viatores experti sint rigidas illas spiritus, & animæ priuationes.

ARTICVLVS TERTIVS.

AD depurandum omne id, quod anima ex labe originalis iniustitiæ contraxit, tam vtilis, ac necessarius est mysticæ priuationis rigor; vt ad proprij nihili cognitionem, & passionum, affectuumq; subordinatam pulchritudinẽ acquirendam, vix aliud quippiam tam efficax inuenire liceat. vndè etiam legimus illos *a* Sanctos in istiusmodi priuationibus, & carentijs, diuinæ actualis amicabilitatis, amplius excitatos fuisse; qui alios *b* in mysticis gratijs, excessisse, inueniuntur, illosque solos, vtpotè magis singulares Dei amicos, decent; vndè & consequenter dicitur.

Quod in Sanctis huius vitæ, mystici raptus, Ecstases, visiones, miracula, & similes gratiæ gratis datæ, non imitandæ, sed reuerendæ sint.

ARTICVLVS QVARTVS.

QVadam *c* die cum venissent filij Dei, vt assisterent coram Domino, affuit inter illos etiam Satan: nec quidquam hodie tam sanctum, tamque diuinum facilè inuenias, cui non aliqua Dæmonis fraus in sceleratis hominibus adstare velit. hinc videas quosdam viros, frequentius autem iuuenes, & annosas *d* mulierculas, naturæ, & Satanæ dolis astutas, in ecstases, & raptus abire, visiones, seu potius malitiosas spiritus compositiones aspicere; & mira quædã peragere; quo vel apud homines sanctitatis opinionem venentur, vel veris Sanctorum miraculis, & mysticis gratijs, malignanter illudant. quibus, cum dæmonijs consortibus suis illusoribus reiectis, mysticos signanter incipientes, & proficientes commonemus; ne vnquam quantumcunq; in mystica gratia profeciſſe videantur, sibi ad imitationẽ statuant Sanctorum raptus, Ecstases, visiones, miracula, aliasue similes gratias; dicente Domino, discite à me quia mitis sum, & humilis corde: discite, inquam, à me [non *e* mundum fabricare, non cuncta visibilia, & inuisibilia creare, non in ipso mundo mirabilia facere, & mortuos resuscitare, sed quoniam mitis sum, & humilis corde.]

Et licet in Sacratissimo Saluatore Domino nostro, eiusq; Gloriosissima Virgine MARIA, nullũ raptum, vel Ecstasin ponamus; eo quod, loquendo [generaliter *f* propter excessum immutationis

a *Tau' Instit.* b *sup. Dec. 1. a. 8.* c *Iob. c. 1. & 2.* d *1. p. Dec. 4. a. 2.* e *S. Aug ser. 10. de verb. Dom.* f *S. Thom. 1. 2. q 28. a. 5. c.*

tionis corporalis, omnis amor læsiuus dici possit,] in raptu autem, vel Ecstasi, maior sit immutatio, & læsio, & quædã ad sacratissimas illas personas indignitas; nihilominus tamen quia mystici, & veri raptus, & Ecstases, superexcellentissimi diuini amoris, atque amicitiæ præclara sunt signa, ideò ab omnibus iuremeritò piè veneranda sunt.

Est autem (vt vel modicum de his dicamus) verus, diuinus, & mysticus [raptus, eleuatio hominis à spiritu diuino *a* ad aliqua supernaturalia videnda, cũ violentia quadã, & abstractione à sensibus.] [Ecstasis verò est, eleuatio hominis à spiritu diuino ad aliqua supernaturalia videnda, per simplicem *b* excessum à seipso; secundum quem aliquis extra suam ordinationem ponitur, absque violentia.] de visionibus porrò, reuelationibus, & locutionibus veris, & falsis, malis, & bonis, præ cæteris mysticis prolixè, & ad praxin vtiliter tractat Ioannes à Cruce. *c* miracula *d* autem sunt, quando Deus per orationem, aut merita alicuius Sancti facit aliqua opera, quæ ordinem, & virtutem naturæ excedunt: siue hoc fiat circa substantias separatas, siue creaturas rationales, siue irrationales. Cæterum ne potius fragmenta qnædam, quam singula, quæ de mysticorum operationibus præstantioribus, tum internis, tum externis, in sanctorum vitis continentur, adferamus; hoc loco sectatorem bonorum operũ, tanquam apem argumentosam ad eas legendas, & venerandas, remittimus; & consequenter ac finaliter quærimus,

An aliqui Sanctorum in hac vita clarè viderint Essentiam Dei.

ARTICVLVS QVINTVS.

MAneat apud Sacros Doctores *e* eiusmodi visionis assertio; hoc tantum dixisse sufficiat, mysticis valdè eminens, & quod [vix *f* credimus] dictũ videri; hominem in hac vita, vel in actu transeunte, clarè ipsam Dei Essentiam vidisse. quantò enim amplius profunda Dei, & scrutantur, & degustant; tantò minus decens esse, ipsis videtur, vt qui à gratia Dei per peccatum separari potest, aut dum peregrinatur à Domino, etiam iustus in die *g* septies cadit: beatorum gloria, vel ad momentum perfruatur. Cæterum cum Beatissima Virgo MARIA, nunquam, vel minima peccati labe infecta fuerit, videretur piè loquendo, non minus, si non magis (illi) quam alteri alicui Sanctorum Viatorum, istiusmodi clara visio in hac vita concedenda. & quidem hisce paucis contenti, ad statum claræ visionis transeamus; de quo etiam pauciora dicemus, cum, quantò magis ad suprema pertingimus, tantò minus inueniamus verba per quæ dicamus, cum talia sint, quæ non liceat homini loqui; sed tum maximè Deo debeatur laus, & silentium.

STA-

a *vt colligitur ex S. Th. 2 2. q. 175.* b *ibid* c *Ascens Mont Carm l. 2 per totum & Thom. à IESV de diu. ora. l 2. c. 10* d *vt colligitur ex S. Th. 3 p q. 44. & 45* e *S. Th. 1. p. q. 12. a. 11. & 22. q. 175 a. 3. ad 1.* f *Thom. à IESV de Cont. l 5. c. 14.* g *Prou. 24.*

STATVS SANCTORVM CLARAE VISIONIS, SEV ECCLESIÆ TRIVMPHANTIS.

DECISIO DECIMA.

ESto magni amici Dei censendi sint, qui in prædictis statibus, lumen suum dederunt, & Deo luxerunt cum iucunditate; cum tamen, qui minor est in regno cœlorum, maior sit omnibus constitutis in terra: de clara visione pauca, & nonnisi per modum statuum mysticorum ad suum finem dicenda sunt: poterunt enim amantissimi diuinorum, sacra doctrina eruditi, plurima vtilissima perlegere, quæ de visione *a* beatifica sapienter conscripta sunt:

ARTICVLVS PRIMVS.

In cœlo videbimus clara visione diuinam essentiam, eamque perfectè diligemus, alius tamen alio perfectius.

VIdemus *b* nunc per speculum in ænigmate, cognoscendo ex parte: tunc autem, videlicet in gloria Patriæ; Deum videbimus facie ad faciem; cognoscendo sicut & cogniti sumus. ita, vt Diuinam *c* Essentiam (intellectu lumine gloriæ eleuato) clara visione intuituri, & apprehensuri: voluntate autem, seu perfecto amore illam simus (*d* comprehensuri) alius tamen *e* alio perfectius;] pro vt quilibet mediante gratia diuina, per actus rectæ voluntatis, magis dispositus; seu per [plures *f* operationum motus, qui merita dicuntur; Deo magis vicinus fuerit.] interea verò, dum peregrinamur à Domino, de hac felicissima beatitudine, pientiores Scholasticos doctè loqui, præstantiores autem mysticos, copiosè prægustare sinemus: quoadusq; etiam in nobis euacuetur quod imperfectum est; & Dei misericordia videamus, & diligamus eum, sicuti est.

a *S. Thom & passim scholasticis.* b *1. Cor. 13.* c *S. Thom. 1. 2. q. 3. 4. a. 8.* d *q. 4. a. 3.* e *q. 5. a. 2.* f *a. 7.*

Atque hic tandem est finis amoris mystici, quem in hac vita secundum varios status, multiplices modos atque ex parte nostra infinitas, & inobseruabiles operationes desideramus, acquirimus, fouemus, & secundum mensuram donationis Christi digerendo perficimus, pro vt Deo dante per totam hanc summam breuiter declarare, & vsque ad illam, quam in futuro exspectamus gloriam, deducere conati sumus.

ORATIO CONCLVDENS.

ARTICVLVS VLTIMVS.

TRinitas, [essentia, *a* diuinitate ac bonitate superior & præstantior,] in temetipsa quidem in Nunc æterno fœcundissima operatione agens, & diuinæ tuæ essentiæ bonitatem digerens ad intra: ad extra verò, & quæ alioqui sunt, & non sunt, creari tamen possunt, habitans lucem inaccessibilem: ita vt nil eorum quæ sunt, super eminentiæ tuæ præstantiam adæquare possit. quo, qualiue modo fieri potuit, vt præter te aliud quidpiam quantumuis in se præstans, ac inferiora se excedens, & esse, aut dum est persistere possit? An non vel ideò Cherubim, ac puriſſimæ illæ intelligentiæ, cœlestesque potestates contremiscunt, ac timida cupiditate ducuntur, & quos paulò minus ab Angelis minuisti, procidunt ante sedentem in throno, & sub te curuantur qui portant orbem, ac ingemiscit omnis homo? quid enim est omnis caro, vt audiat vocem Dei viuentis, qui de medio ignis loquitur, & viuere possit?

Sunt tamen omnia quæ feciſti in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis, opera tua Domine, magna, exquisita in omnes voluntates tuas; & sua quodlibet sibi proportionata felicitate sicut est, ita & exiſtit, & vt interminæ bonitatis tuæ quædam particula, ac vestigium gaudet, & bonis tuis perfruitur. hoc ipsum scilicet sola illa Bonitate tua, qua æternaliter in temetipso, secundum essentiam in vnitate, secundum Personas autem in Trinitate beatissimè viuis, præstante. sicut enim interminа illa, & superexaltata sublimitatis tuæ Maiestas expetere videtur, vt ad intra, & tecum ab æterno nil præter te sit, minusue coexistat; ita quoq; infinitus bonitatis tuæ thesaurus, distribuit, vt in tempore iuxta consilium voluntatis tuæ, omnia, & singula quæ sunt, & erunt, sint, exiſtant, viuant, & in te glorientur ad extra; in proprio suo esse, habere, viuere, tuique communione, ac laude. Tuæ ergò bonitatis misericordia, quæ iuſtitiam maiestatis superexaltat supereminenter; sicut alia præter se, esse, exiſtere, ac viuere concedit, & compatitur: ita quoque expoſcere videtur, vt eorum quodlibet suo quoquo, & sibi proportionato modo, te æternum honoret, laudet, glorificetque.

Ideò te sedente super solium excelsum,

a S. Dion. Theol. Myst. cap. 1.

sum, & eleuatum, pleni sunt cœli, & terra Maiestatis gloriæ tuæ, & interadstantes exercitus cœlestium agminum, Seraphim clamant alter ad alterũ, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria tua; commouenturq; superliminaria cardinum à voce clamoris eorum: sed & procidunt viginti quatuor Seniores, & mittentes coronas suas ante thronum, dant gloriam, & honorem, & benedictionem, & adorant viuẽtem in sæcula sæculorum: quin etiam omnis creatura quæ in cœlo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quę in eo, omnes dicunt sedẽti in throno, & agno; benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sęculorum.

En ergò Misericordissime Deus, cum alijs terræ vermiculus sum, exisło, & viuo, plasma, & opus manuum tuarum; tua quidem bonitate creatus rectus, propria autem ingratitudine, & peccatorum voragine pabulum mortis, & titio ignis æterni, effectus. & hinc quidẽ iustitiæ tuæ æquitas ad barathri abyssum me proijcit; illinc autem superexaltans Misericordia in spem erigit, & æterna reuerentia, ad tui nominis honores, laudes, & gratiarum actiones inuitat, prouocatq;. quamuis ergò multiplicata sint peccata mea, super capillos capitis mei, infinitæ tamen misericordiæ tuæ memor, introibo in domũ tuam, adorabo ad templum Sanctum tuum, & confitebor nomini tuo: si quo modo fortè comprehendam in gratia veræ dilectionis: in qua vt comprehendar, Tu Domine IESV, qui clauem vitæ, & mortis habes, solus præstare potes, & vt præstes, ad Pedes tuos, in SS. Cruce pro me clauis transfixos, procumbo, & deprecor gemitibus inenarrabilibus; vtque totum quod per curuitatem inordinati amoris, ad commutabile bonum deperdidi, hoc ipsum per hanc, quantumcunque exiguam dilectionis tuæ descriptionem, & summam; nec non per preces, & merita Sanctarum, Tibique in præstanti hoc amandi modo dicatarum animarum, cum fœnore tibi restituam; æternum supplex oro.

Tibi ergò qui potens es omnia facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus, secundum virtutem quæ operatur in nobis; Tibi, inquam, sit Gloria in Ecclesia, & in Christo IESV in omnes generationes sæculi sæculorum Amen.

FINIS.

INDEX
STATVVM MYSTICORVM, PARAPHRASVM, DECISIONVM,
Articulorum, primæ & secundæ partis summæ Theologiæ mysticæ.

INDEX PRIMAE PARTIS
PROLOQVIVM.

De spectantibus ad ipsam summam.

DECISIO PRIMA.

Articulus Primus.

QVod ordo summæ mysticæ sit practicus, non scholasticus. p.1.

Articulus Secundus. pag.1.

Quid sit Theologia mystica. pag.3.

Articulus Tertius.

Theologiam mysticam secundum hanc summam practicam, diuidi in duas partes, seu modos, scilicet in modum operandi naturaliter, & in modum operandi supernaturaliter. 4

Articulus Quartus.

De varijs quibusdam conditionibus modi tam naturaliter, quam supernaturaliter operandi. 6

Articulus Quintus.

A Theologia mystica arcendos esse malos, & incapaces. 7

Status præhibaminum mysticorum.

DECISIO SECVNDA. 8

Articulus Primus.

Quomodo damnati & finaliter impij Deum persentiscant ibid.

Articulus secundus. 8

Quid Catholici pœnitentes de mysticis participent. 9

Articulus Tertius.

Pientiores, siue in statu Religioso, siue seculari, in suis ad Deum precationibus frequenter consolationes diuinas experiri. ibidem

Articulus Quartus.

Pientiores eiusmodi non facile ad exercitia

citia mystica transeant, relicta praxi ordinaria Sanctæ Matris Ecclesiæ pag. 10

De oratione mentali in genere.

DECISIO PRIMA. pag.11.

Articulus Primus.

Oratio ad Deum est duplex, scil. vocalis & mentalis, ac de vtriusque conditionibus. pag.12.

Articulus Secundus.

Oratio mentalis ad omnes mysticos status, & modos sese extendit, ad acquirendam & continendam præsentiam Dei. pag.13

Articulus Tertius.

Statum mysticum, seu exercitium orationis mentalis veram Dei vocationem, totam hominis vitam, & infractum animum expetere. pag.14

Articulus Quartus.

De libris tempore, loco, ac corporis situ exercitio mentali magis accommodis. 17

Articulus Quintus.

Series omnium statuum orationis mentalis, secundum modum operandi naturaliter. 20

Primus status mysticus est meditationis.

DECISIO QVARTA.

Articulus Primus.

Quid sit meditatio. pag.22

Articulus Secundus.

An à meditatione incipiat vita mystica. 23

Articulus Tertius.

Meditationem Passionis Domini præ cæteris esse vtilissimam.

Articulus Quartus.

Meditatio tres habet partes substantiales, videlicet Præparationem, Meditationem & Actionem. 24

Articulus Quintus.

Meditatio tribus potissimum peragitur modis. 25

Articulus Sextus.

Quod in meditatione circumstantiæ potissimum sint considerandæ. 26

Articulus Septimus.

Quod maxima circumstantiarum sit meditatio Diuinitatis, quæ subinde transit in contemplationis actum. 27

Articulus Octauus.

Præsentiam Dei foueri aspirationibus, & alijs exercitijs. ibid.

Articulus Nonus.

Synopsis status Meditationis. 28

Articulus Decimus.

De spirituali profectu, duratione, & transitu à Meditationis ad Aspirationis statum. 30

De spectantibus ad status primæ partis in communi.

DECISIO QVINTA. pag.31

Articulus Primus.

Ex amissione originalis Iustitiæ, profluere omnium vitiorum radicem, non nisi virtutum, & diuini amoris exercitijs sanandam. 32

Articulus Secundus.

Exercitium mortificationis & virtutis, in actibus certis & determinatis esse omnino necessarium. 37

Articulus Tertius.

Quod sensibilis deuotio ordinatur ad lenimentum

mentum naturæ corruptæ, & virtutis, & charitatis exercitia. 40

Articulus Quartus.

Quod sensibilis deuotio, ne exponatur gulæ spirituali, visionibus, & illusionibus dæmonum sobriè admittenda sit. 41

Articulus Quintus.

Tempore orationis mentalis inordinatam violentiam cauendam esse. 45

Articulus Sextus.

Quod tempore orationis mentalis, super omnia sincerus animus erga Deum sit spectandus. 46

Articulus Septimus.

De modo se habendi circa distractiones tempore orationis mentalis. 47

Articulus Octauus.

De modo se habendi in tentationibus. 80

Articulus Nonus.

De quibusdam improprijs causis priuationis, tædij spiritualis, & subtractionis sensibilis deuotionis. 51

Articulus Decimus.

In ariditate vim irascibilem per actus rectæ intentionis, & resignationis excitandam esse. 55

Secundus Status mysticus est aspirationis.

Decisio Sexta. 58

Articulus Primus.

Quid sit Aspiratio & quæ eius conditio. 59

Articulus Secundus.

Aspirationes vnde assumendæ, & quis ordo in eis seruandus sit. 60

Articulus Tertius.

Quod Aspirationes non nimis multiplicatæ, transeant in contemplationem. ibid.

Articulus Quartus.

Aspirans quare facile distrahatur. 61

Articulus Quintus.

Quod meditatio ab aspirante subinde vtiliter resumenda sit. 62

Articulus Sextus.

Synopsis status aspirationis. ibid.

Articulus Septimus.

De spirituali profectu, duratione, & transitu ab aspirationis ad contemplationis statum. 64

Tertius Status mysticus est contemplationis.

Et primo modi affirmatiui. 65

Decisio Septima.

Articulus Primus.

Quid sit contemplatio propriè. 66

Articulus Secundus.

Contemplatio proprie sumpta est modi affirmatiui, vel negatiui. 67

Articulus Tertius.

Contemplatio modi affirmatiui, est secundum attributa diuinæ Bonitatis, & sapientiæ, &c. 68

Articulus Quartus.

Subinde etiam sine attributis diuinis ad nudam essentiam penetrat contemplatio. ibid.

Articulus Quintus.

Contemplatio Diuinitatis prout transcendit omnia ob diuersos modos operandi, hoc loco raro prodest 69

Articulus Sextus.

Quod interruptio fruitionis restauretur auersione mystica, quamdiu contemplatio est affirmatiua. 70

Articulus Septimus.

Quod Contemplatio, quæ fit per inhæsionem, aut

aut exspectationem deducat ad falsum otium. 71

Articulus Octauus.

Contemplationem non per firmam inhæsionem, sed operatione noua per trinariam distinctionem formari, & continuari debere. 73

Articulus Nonus.

Contemplatio siue de attributis diuinis, siue de nuda essentia diuina, durat vsque ad initium priuationis. 76

Articulus Decimus.

Contemplatio affirmatiui & negatiui modi in praxi contingit promiscuè. 77

Articulus Vndecimus.

Synopsis status contemplationis modi affirmatiui. ibidem.

Tertius Status mysticus est contemplationis.

Et Secundo Modi Negatiui. 81

Decisio Octava.

Articulus Primus.

Quid sit contemplatio modi negatiui. 82

Articulus Secundus.

Quod contemplatio, quæ fit per nudam abstractionem cum falso otio, deducat ad Luciferi propriam complacentiam. ibid.

Articulus Tertius.

Contemplationem negatiuam actibus internis exercere fidem, spem & charitatem, diuisim vel coniunctim. 85

Articulus Quartus.

Quod mortificationes, virtutes, & ariditates exerceat absque blandimento naturæ, & eo quod hoc ipsum per se deceat. 86

Articulus Quintus.

Quod auersione ab omnibus quæ sunt, & quæ non sunt, & conuersione ad eum, qui super omnia est secure falsum otium, & illusiones visionum transcendat. 87

Articulus Sextus.

Contemplationem negatiuam pro termino habere conceptum affirmatiuum. 88

Articulus Septimus.

Quod contemplator negans habito conceptu affirmatiuo paulatim debeat fruitionem continuare trinaria distinctione. 89

Articulus Octauus.

Contemplationem negatiuam etiam paulatim ab infimis ad medias, & superiores fruitiones ascendere. 90

Articulus Nonus.

In superiori regione Contemplator negans meliores fruitiones vt plurimum consequitur, vsque ad initium priuationis. ibidem.

Articulus Decimus.

Synopsis status contemplationis modi negatiui. 91

Articulus Vndecimus.

De spirituali profectu, duratione, & transitu à contemplationis (vtriusque modi) ad priuationis rigorosæ statum. 92

De Mysticis qui ad status modi operandi supernaturaliter non transeunt.

Decisio Nona. 93

Articulus Primus.

Contemplator diutino conamine ad status vlteriores seipsum promouere studeat. ibid.

Articulus Secundus.

Quod si mysticus ad status supernaturales transire nequeat, in inferioribus ordine promiscuo sese perfectius semper exerceat. 94

Arti-

Articulus Tertius.

Vt Mysticus quoquo modo defectus corrigere, tentationes superare, & virtutes exercere studeat. 95

De spectantibus ad instructorem Mysticum.

DECISIO PRIMA.

Articulus Primus.

Mysticum directorem ad facilem, & securam praxin plurimum conferre, & maxime requirendum esse. 98

Articulus Secundus.

Ad vitam Mysticam quinam aptiores. 100

Articulus Tertius.

Quod Mysticorum variis naturis examinatis sese conformare habeat. 103

Articulus Quartus.

Ne sensibilem, siue affectuosam deuotionem nimium excitet. 104

Articulus Quintus.

Extra ordinarias mentis perceptiones, voluntatisq; amorosas, excitationes, sicut etiam actus infusos, statum mystici non mutare. 106

Articulus Sextus.

Priuationes improprias ex ipsa prauitate naturæ, & mentis hebetudine prouenire. 107

Articulus Septimus.

Vt spiritualis Magister spectator sit patiens admirabilis inconstantiæ, ac tædij incipientium, & proficientium. 108

Articulus Octauus.

Vt pericula alterius sexus caueat ordinata discretione. 110

Articulus Nonus.

Summarium statuum mysticorum secundæ partis seu modi supernaturaliter operandi. 111

INDEX PRAXEOS SECVNDAE PARTIS

PROLOQVIVM. 115

PRAXIS MODI SVPERNAturalis Quis ordo & quæ conditio

In genere.

PARAPHRASIS PRIMA. 118

Articulus Primus.

Quo ordine, stylo, & modo praxis sit tradita. 119

Articulus Secundus.

Continuo maior radicatio in charitate, per omnes status, & exercitium actus, aliam atque aliam, conformem tamen requirit operationem. 121

Articulus Tertius.

Quod propter varia accidentia huius vitæ, mysticus quandoq; deficiat ab intellectu ordinis practici, & eius executione. 122

Articulus Quartus.

Quis sit modus inueniendi proprium statum mysticum. 123

Articulus Quintus.

De modo vtiliter legendi praxin, ad prosecutionem status proprij. 125

Arti-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Articulus Sextus.

Familiaria colloqu a de mysticis in praxi efficacius illuminare, quam ea quæ scripto traduntur. 127

Articulus Septimus.

Quæ sit differentia inter mysticos fundos, dimensiones, sphæras, regiones, vbi, situs mentales, operationes, seu verba, & status. 129

Articulus Octauus.

Breuis deductio eorum, quæ eueniunt in praxi per omnes status secundæ partis. 131

PRAXIS

STATVS PRIVATIONIS

ET PRIMO.

DE IIS QVÆ FIVNT IN INITIO per amorem deficientem à viuacitate intellectuali.

PARAPHRASIS SECVNDA.

Articulus Primus.

Breuis deductio eorum quæ eueniunt in praxi toto statu priuationis durante. 134

Articulus Secundus.

Quod propria operatio quamdiu mysticus in initio priuationis versatur, sit amoris deuratio, à viuacitate intellectuali. 137

Articulus Tertius.

De quærimonijs quæ fiunt ordinarie in principio amoris deficientis. ibidem.

Articulus Quartus.

De formatione amoris deficientis, prout est in intellectu per recordationem simplicem. 139

Articulus Quintus.

Quod in simplici recordatione inueniatur spiritualis pulchritudo. 140

Articulus Sextus.

Quod simplex recordatio foueatur appetitu ad primam veritatem. 141

Articulus Septimus.

Quod licet sit difficile quod spiritualis regio, visus, & formationis industria in superficialem vacuitatem abeant, hoc tamen esse necessarium. 142

Articulus Octauus.

Quod singulariter hoc loco cauenda sit immortificata libertas. 243

Articulus Nonus.

Formatio fruitionis fit ex prælibamine fundi affectu adinstar cogitationis alleuiato. 145

ET SECVNDO.

DE IIS QVÆ FIVNT IN MEDIO priuationis per amorem languentem à viuacitate voluntatis.

PARAPHRASIS TERTIA.

Articulus Primus. 147

Quod propria operatio, quamdiu mysticus in medio priuationis versatur, amoris sit fortissima decertatio. 148

Articulus Secundus.

Mysticus tandem prolabitur in ipsum fundum, seu centrum amoris, ex originali peccato vitiatum. 149

Articulus Tertius.

Ordine promiscuo per tendentiam affectuosam, vel intellectualem hic procedendum. 150

Articulus Quartus.

Violenter exagitatur mysticus in quatuor gradibus amoris, quasi insanientibus naturæ corruptæ passionibus. 152

Articulus Quintus.

De admirabili priuatione B. Angelæ de Fulginio. 154

Articulus Sextus.

Tota circumferentia, seu omnes animæ potentiæ doloribus adimplentur, vsque ad mortis anxietatem. 161

Articulus Septimus.

In hoc agone dolores animæ blandimento compassionis, aut etiam amore diuinitus excitato mitigari. 163

Articulus Octauus.

De signis quibus assecuretur mysticus se in hac vera, & non naturali priuatione constitutum. 165

Et Tertio.

DE IIS QVÆ FIVNT IN FINE priuationis per amorem constantem vtriusque potentiæ, voluntatis scilicet, & intellectus. 168

Paraphrasis Qvarta.

Articulus Primus.

Quod propria operatio, quamdiu mysticus in fine priuationis versatur, sit omnium virium in diuinam voluntatem colliquatio. 169

Articulus Secundus.

Quod potentiæ superiores essentiali resignatione diuinæ prouidentiæ subjciantur. 170

Articulus Tertius.

Quod dein totum compositum hominis colliquescat in vnum, cum diuina voluntate. 172

Articulus Quartus.

Priuatio hæc rigida, est essentialis imitatio passionis Domini nostri Iesu Christi. 173

Articulus Quintus.

Virtutis actus deinceps essentiali modo exerceri. 175

Articulus Sextus.

De spirituali profectu, duratione, & transitu à priuationis ad vnionis statum. 176

Praxis.

STATVS VNIONIS MYSTICÆ Et Primo

DE IIS QVÆ FIVNT IN INFImo per alleuiationem ab habita pressura. 180

Paraphrasis Qvinta. 180

Articulus Primus.

Breuis deductio eorum quæ eueniunt in praxi toto statu vnionis durante. 181

Articulus Secundus.

Propria operatio, quamdiu anima in infimo vnionis versatur, est transitus in libertatem spiritus per susurrium mysticum. 182

Articulus Tertius.

A fundo obscure ponderoso oportet se expedire; sed non ab essentiali interim quiete. 184.

Articulus Quartus.

Non amplius procedere potest mysticus vt primum operari. 185

Ar-

Articulus Quintus.

Alleuiatio quæ fit versus spiritum licet augeatur, eius tamen fruitio adhuc improportionata est. 186

Articulus Sextus.

Nisi appetitus fruendi alleuietur secundum spiritum, facile contingit relapsus ad tædium fundi 187

Articulus Septimus.

Circa regionem spiritus aduertitur lumen mysticum. 189

PRAXIS FORMATIONIS OPERATIONum seu verborum mysticorum ad exercitium actus pro statu vnionis per species expressas ad mensuram doni intellectus supernaturalis.

PARAPHRASIS SEXTA. 190

Articulus Primus.

De praxi ad exercitium actus status vnionis prout per imperfectas operationes, disponit ad exprimendam speciem propriam vt causam actualis amoris. 192

Articulus Secundus.

De praxi ad exercitium actus, ad Hic & Nunc prout per species expressus vitalis gustus consortij diuinæ naturæ, in actu transeunte, vel immanente incipit, perficitur, continuatur, excedit, remittit, interrumpitur, deficit ac reincipit. 194

Articulus Tertius.

De praxi ad exercitium actus prout per donum intellectus, ordine, & continuo perfectius aliter atque aliter, mysticæ tum dimensiones, tum species formantur. 197

Articulus Quartus

Quemlibet statum supernaturalem non tantum diuidi in tres substantiales regiones, sed etiam harum singulas subdiuidi in varias circulares operationes, seu gradus quosdam. 202

Articulus Quintus.

Regulæ, axiomata, seu maximæ quædam generales mysticæ ad exercitium omnis actualis operationis modi supernaturalis. 105

ET SECVNDO.

DE IIS QVÆ FIVNT IN MEDIO vnionis per eleuationem & actiuitatem proprij Spiritus.

PARAPHRASIS SEPTIMA. 211

Articulus Primus.

Quod propria operatio quamdiu in medio status vnionis versatur, sit ructus mystici exercitatio. 212

Articulus Secundus.

Dum mysticus lumine diuino perfunditur, animum concipit noui, & supernaturalis modi operandi. 213

Articulus Tertius.

Quanto amplius mysticus ascendit, tanto facilius aduertit actiuitatem proprij spiritus. 214

Articulus Quartus.

Instantanea operatio spiritus actuatur ex vario luminoso visu. 215

Articulus Quintus.

Fruitio vitaliter efficiens semper magis eleuatur vsque ad spiritum diuinum. 216

ET TERTIO.

DE IIS QVÆ FIVNT IN SVMmo per vnionem diuini.

PARAPHRASIS OCTAVA.

Articulus Primus.

Propria operatio quamdiu mysticus in summo vnionis versatur, est spiritus proprij cum spiritu diuino arcta coniunctio. 218

Articulus Secundus.

In summo spiritus proprij, infimum Spiritus diuini attingitur vitali afficientia. 219

Articulus Tertius.

Non tantum fundus, sed etiam spiritus proprius subtus stare debet ob arctam cum Deo vnionem. 220

Articulus Quartus.

Tamdiu in spiritu diuino eleuatur, quousq; ad summum eius pertigerit. 221

Articulus Quintus.

In summo tandem subsequitur subtilissima disparentia spiritus diuini, vt dispositio ad statum transformationis. 222

Articulus Sextus.

Gratia transformationis ad mensuram doni sapientiæ supernaturalis infunditur in instanti. 223

Articulus Septimus.

De spirituali profectu, duratione, & transitu ab vnionis ad transformationis statum. 224

PRAXIS.

FORMATIONIS OPERATIOnum seu verborum mysticorum ad exercitium actus status transformationis modi descendentis per donum sapientiæ, supra affirmationem vel negationem.

PARAPHRASIS NONA.

Articulus Primus.

Praxis operationis ad exercitium actus, secundum quod à præexistente vitali gustu diuina naturæ, perfectè incipit, perficitur, continuatur, & remittit. 227

Articulus Secundus.

Praxis ad exercitium actus formationis verbi, mystici remissione, aut interruptione, etiam quacunque interueniente. 228

Articulus Tertius.

Praxis ad exercitium actus, pro vt ad mentis excessum penetrat, & ab illo remittendo diuinum lumen ad formationem Agalmatis remittit. 229

Articulus Quartus.

Praxis ad exercitium actus, prout per species infusas, prauias voluntatis commotiones, aut superexcellenti aliqua perceptione mentali, incipit perficitur, excedit, & ad formationem Agalmatis remittit. 231

PRAXIS.

STATVS TRANSFORMATIOnis modi descendentis.

ET PRIMO.

DE IIS QVÆ FIVNT IN SVMMO per donum sapientiæ supernaturalis.

PARAPHRASIS DECIMA.

Articulus Primus.

Breuis deductio eorum quæ eueniunt in praxi toto statu transformationis modi descendentis durante. 234

Articulus Secundus.

Propria operatio quamdiu mysticus in summo huius transformationis versatur, est sabbatismi felicissima fruitio. 235

Ar-

Articulus Tertius.

Eius velle & posse adæquatè procedunt. ibid.

Articulus Quartus.

Nulla soleitas interruptione molestatur amplius 237

Articulus Quintus.

Magis ac splendoribus spiritus diuini illustratur. 237

Articulus Sextus.

Ex integro, & perfecta sua totalitate, vt in vmbra Dei habitat mysticus. 239

Et Secvndo.

DE IIS QVÆ FIVNT IN medio transformationis modi descendentis.

Paraphrasis XI. 240

Articulus Primus.

Propria operatio quamdiu in medio transformationis descendentis versatur est secessus mystici viuacitas. ibidem.

Articulus Secundus.

Proprius spiritus à captiuitate diuina absoluitur. 241

Articulus Tertius.

Lumine transformationis contemperato, viuacitas proprij spiritus redit, & claræ visionis similitudinem in se exprimit. 242

Articulus Quartus.

Quantò magis ad mediam regionem descendit; tanto altius regionem spiritus diuini supra se habet. 243

Articulus Quintus.

Adæquatis operationibus intellectus & voluntatis, vsque ad inferiorem regionem descendit.

Ep Tertio. 244

DE IIS QVÆ FIVNT IN infimo Transformationis modi descendentis.

Paraphrasis XII. 245

Articulus Primus.

Propria operatio quamdiu in infimo transformationis descendentis versatur, est silentis mystici quieta fruitio 246

Articulus Secundus.

Obumbratio diuinæ fruitionis in homine inferiore viuacissima quiete possidetur. ib.

Articulus Tertius.

Plena fruitione continuo descendit, quousque sicut spiritum diuinum; ita & spiritum proprium supra se in alto videat. 247

Articulus Quartus.

Remittente lumine transformationis, descensus in profundo habitationem constituit. 248

Articulus Quintus.

Obumbratione fruitionis silentiosè in abysso interioritatis paulatim disparente spiritus admiratio subsequitur. 249

Articulus Sextus.

De spirituali profectu, duratione, & transitu ad statum transformationis modi ascendentis. 250

PRAXIS.

STATVS TRANSFORMATIONIS modi ascendentis per donum sapientiæ.

ET PRIMO.

DE IIS QVÆ FIVNT in infimo.

PARAPHRASIS XIII.

Articulus Primus. 252

Breuis deductio eorum quæ fiunt in praxi toto statu transformationis modi ascendentis durante. 253

Articulus Secundus.

Propria operatio quamdiu in infimo transformationis modi ascendentis versatur, est auditus mystici attentio. 254

Articulus Tertius.

Mysticus in infimo profundi redigitur ad obscuram vacuitatem. 255

Articulus Quartus.

In hac vacuitate non tam pungens soleitas, quã remissio operationis inuenitur. 256

Articulus Quintus. 256

Paulatim reassumuntur operationes, sed admodum tenuiter. 257

Articulus Sextus.

In progressu à remissione operationis erigitur per viuacitatem de nouo redeuntem. 258

Articulus Septimus.

In summo infimi eleuatur ad regionem proprij spiritus intuendam. 259

ET SECVNDO.

DE IIS QVÆ FIVNT IN medio Transformationis modi ascendentis.

PARAPHRASIS XIV. 260

Articulus Primus.

Quod propria operatio quamdiu in medio transformationis modi ascendentis versatur, sit visus mystici actiuitas. ibid.

Articulus secundus.

In regione proprij spiritus eleuatur, ac dilatatur mysticus. 261

Articulus Tertius.

Cum luminosa viuacitate ascendit continuo. 262

Articulus Quartus.

Sub se in profundo mysticus videt regionem inferioris hominis, ac spiritus proprij in alto spiritus diuini autem supra se. 263

Articulus Quintus.

In summo proprij spiritus attingit regionem spiritus diuini. ibid.

ET TERTIO.

DE IIS QVÆ FIVNT IN summo transformationis modi ascendentis.

PARAPHRASIS XV.

Articulus Primus.

Quod propria operatio quamdiu in summo transformationis modi ascendentis versatur, sit suspensionis mysticæ transcendentia. 266

Articulus Secundus.

Reali amplitudine spiritui diuino immergitur. ibidem

Articulus Tertius.

Incessanter eleuatur mysticus, videns regionem proprij spiritus subtus se.

Arti-

Articulus Quartus. 267
In summo tam diu deliciatur, quousque subtilissimam vivacitatem incurrat.

Articulus Quintus. 268
Eiusmodi vacuitas de novo instantanea vivacitate doni sapientiæ adimpletur ad statum transformationis modi descendentis in charitate magis radicandum.

Articulus Sextus. 269
De spirituali profectu, duratione, & transitu ad statum transformationis modi descendentis. 270

Articulus septimus.
In vicissitudine status transformationis, tam descendentis quam ascendentis, modi sicut mysticus con: inuo magis ac magis in charitate radicatur; ita etiam distinctiori, ac accuratiori ordine in minutissimis etiam operationibus, sese conformiter habere addiscit. 272

INDEX
THEORIAE PARTIS SECVNDAE.

PROLOQVIVM. 276

DE STATIBVS MODI operandi supernaturaliter.

In genere.

Decisio I. 279

Articulus Primus.
Ad modum operandi supernaturaliter neminem peruenire, nisi in speciali gratia. 280

Articulus Secundus.
Modus operandi supernaturaliter profluit ex donis intellectus, & sapientiæ; secundum quod sunt effectus habitus charitatis singularis amicitiæ. 283

Articulus Tertius.
Quid & quot sint status modi operandi supernaturaliter, 284

Articulus Quartus.
Quale iudicium possint ferre scholastici de statibus modi operandi supernaturaliter.

Articulus Quintus. 286
Pientiores scholasticos de mysticis, & rectè sentire, & à Deo deuotionis solamine dignari. 288

Articulus Sextus.
Perfectum tamen iudicium de supernaturalibus modis, prærequirere, scientiam, praxin, & longam experientiam. 289

Articulus Septimus.
In explicandis operationibus supernaturalibus, termini egeitatis ipsitatis, identitatis & similibus, sobrie vtendum esse. 291

Articulus Octauus.
Perfectionem mysticam non consistere in eo, ut

vt quis maneat in summo semel adepto, supremi status; sed vt in Nunc operationis perfectius adhæreat Deo. 292

Articulus Nonus.

Quamdiu probabiliter duret vnus status supernaturalis secundum vniformem vt plurimum modum operandi. 298

Articulus Decimus.

Status modi operandi supernaturaliter accommodato, & sibi proprio ordine absoluuntur, ad suum summum fruitione centrali spiritus proprij, & spiritus diuini; & contra. 300

Articulus Vndecimus.

Quilibet status supernaturalis est ordinata & proxima dispositio ad subsequentem magis in charitate radicandum. 303

Articulus Duodecimus.

An mysticus in perfectis statibus molestetur passionibus inordinatis. 304

Articulus Decimustertius.

Vtilitatem vitæ mysticæ in eo consistere, vt pia anima paulatim appropinquet ad felicitatem status innocentiæ, quantum ad subordinationem passionum, puritatem intellectus, & rectitudinem voluntatis in ordine ad dilectionem Dei. 307

QVARTVS STATVS MYsticus est priuationis rigorosæ.

Decisio Secvnda.

Articulus Primus.

Quid sit priuatio mystica proprie. 312

Articulus Secundus.

Priuatio proprie est immediata dispositio necessaria, ad modum operandi supernaturaliter. 313

Articulus Tertius.

Quare contemplator à summis per medios ad infimos vsque operandi modos dilabatur. 314

Articulus Quartus.

In hac priuatione omnes ad supernaturales modos operandi disponendos concurrere, siue amoris, siue ariditatis via processerint. 318

Articulus Quintus.

Perfectionem amoris non consistere in eo, vt fiat sensibiliter, sed spiritualiter magis intensus. 30

Articulus Sextus.

Quare hac priuatione durante, sint in mystico tam graues animæ & spiritus afflictiones. 321

Articulus Septimus.

Non omnes sentiunt æqualiter rigorem priuationis. 324

Articulus Octauus.

Quod annis probabiliter daret status priuationis. 326

Articulus Nonus.

Dono fortitudinis statum priuationis durare tamdiu. 329

Articulus Decimus.

In fine huius priuationis infunditur anima gratia modi operandi supernaturaliter. 331

QVINTVS STATVS MYSTICVS est vnionis.

DECISIO TERTIA. 333

Articulus Primus.

Quid sit mystica vnio propriè. 334

Articulus Secundus.

Ex quibus signis possit scire mysticus, se hunc statum vnionis assecutum. 335

Articulus Tertius.

Spiritus soleitas, dum status vnionis durat, non potest, nec debet caueri ex toto. 337

Articulus Quartus.

Potest tamen & debet caueri modus vnionis, qui est per generalem ad Deum conuersionem, & inhæsionem. 339

Articulus Quintus.

Fruitio vnionis huius consistit in continua successione verbi mystici. 341

Articulus Sextus.

Status vnionis paulatim à centrali, vsq; ad spiritus proprij, & spiritus diuini fruitionem ascendit. 342

DE OPERATIONIBVS SVpernaturalibus pro vt in infimo sui in sphæras, seu dimensiones quasdam diuinas resoluuntur ad ordinatam formationem operationis, seu verbi mystici.

DECISIO QVARTA 343

Articulus Primus.

Quod effectus doni sapientiæ, sint vigiliæ mysticæ, & depurati fundi infatigabiles diuinæ naturæ communiones. 345

Articulus Secundus.

In statu transformationis comprimis prosunt industriæ, & articulatæ notitiæ secundum exactum ordinem ad particulares operationes. 346

Articulus Tertius.

Quid sit dimensio mystica. 351

Articulus Quartus.

Sine dimensionis aliqua similitudine, nec verbo nec scripto tractari posse de mysticis. 362

Articulus Quintus.

Quod loco phantasiæ apud mysticum sint dimensiones diuinitatis, scilicet latitudinis, longitudinis, sublimitatis, & profundi. 356

Articulus Sextus.

Quamdiu sit opus conuersione ad phantata. 358

Articulus Septimus.

De mystico motu circulari, recto & obliquo. 360

Articulus Octauus.

Eiusmodi motuũ multiplicatione, digeri vsum habitus ad sequentem radicandum, per statum transformationis modi ascendentis. 364

DE OPERATIONIBVS SVpernaturalibus verbi mystici, quantum ad modum transformationis ex diuersis speciebus.

DECISIO QVINTA. 365

Articulus Primus.

Verborum mysticorum tres esse species, videlicet expressas, resultantes, & infusas. ibidem

Articulus Secundus.

Species mysticas expressas oriri ex volun-

tate, prout voluntas intellectum præcedit triplici respectu. 368

DE OPERATIONIBVS SVpernaturalibus verbi mystici quãtum ad Hic & Nunc.

DECISIO SEXTA. 374

Articulus Primus.

Quomodo exercitium actus verbi mystici ad Hic & Nunc intelligendum sit. 375

Articulus Secundus.

Quid sit verbum mysticum. 377

Articulus Tertius.

De imperfectis verbis mysticis, prout sunt præambula ad verbum perfectum. 379

Articulus Quartus.

Quid, & quotuplex, sit verbum mysticum perfectum. 382

Articulus Quintus.

Ad formationem verbi mystici perfecti, quatuor esse necessaria. 384

Articulus Sextus.

Quod verbum mysticum formetur in instanti. 387

Articulus Septimus.

Quod hinc facilitas, pronuntiandi verbum mysticum, oriatur. 388

Articulus Octauus.

Per operationem successiuam verborum mysticorum, continuari fruitionem ordinata, & perfecta quiete. 389

Articulus Nonus.

Adhuc enim mysticus patitur phantasmata concomitantia; licet non seruientia. 393

Articulus Decimus.

Quod nimirum sacræ quædam imagines coadstant, quousq; mysticus assequatur conceptum quidditatiuum essentiæ diuinæ in abstracto, seu quod Quid non est. 394

Articulus Vndecimus.

Quod finaliter in altiori (scilicet amatiua) virtute, vniatur diuinæ essentiæ, vt in se est. 338

Articulus Duodecimus.

Quod nimirum stante hoc amoroso voluntatis excessu, saltem coexistat in mente diuinum lumen intellectu superius. 400

Articulus Decimustertius.

Quod hic Deus sit potissimum agens, mysticus autem patiens. 403

Articulus Decimusquartus.

Videlicet in hac passione esse silentium, quo mysticus se habet medio modo, viæ, & patriæ. 405

Articulus Decimusquintus.

Tum demum mysticum esse in summo modo huius viæ, non operandi, sed à Deo accipiendi. 406

Articulus Decimussextus.

Hunc modum, si maneat cum libertate sensuum, non diu durare. 408

Articulus Decimusseptimus.

Quod, cum suauis hic mentis excessus lumine formali ecstatico non perficiatur, intellectus patiens suscipiat speciẽ resultantem ad perfectissimum modum agalmatis formandum. 408

Articulus Decimusoctauus.

Quod durante formatione verbi agalmatis mysticus secundum vtramq; potentiam adæquatè, & optimo modo huius vitæ operandi, viuat supra affirmatio-

mationem, & negationem. 412

Articulus Decimusnonus.

Quod eiusmodi adæquata fruitio propriè accedat ad beatitudinem patriæ. 413

Articulus Vigesimus.

Quod quanto magis à tam perfecta operatione ad reflexas, medias, aut infimas species contemplatio dilabitur, tanto imperfectius quoq; diuinitas repræsentatur. 417

Articulus Vigesimusprimus.

Quod sint interim mystico perfecto, omnia bona valde, siue suprema, siue infima sit operatio. ibidem

Articulus Vigesimussecundus.

Quod mysticus perfectus fruitionem facillimè reassumat per nouam formationem verbi mystici, cuiusque speciei. 420

SEXTVS STATVS MYSTICUS est Transformationis

ET PRIMO 423

MODI DESCENDENTIS

DECISIO SEPTIMA.

Articulus Primus.

Quid sit Transformatio mystica propriè. 424

Articulus Secundus.

Quod Transformatio mystica sit duplex, videlicet modi descendentis & modi ascendentis; ac quænam sit modi descendentis. ibidem

Articulus Tertius.

Quod Transformationis modi descendentis velle, & posse, cum sint vnum, peragantur ordinariè suaui mentis excessu. 427

Articulus Quartus.

Diuinorum quantumcunq; præstantem animum, à supremis per medias ad infimas fruitionis regiones paulatim descendere. 430

SEXTVS STATVS MYSTICUS est Transformationis

ET SECVNDO.

MODI ASCENDENTIS.

DECISIO OCTAVA. 413

Articulus Primus.

Quid sit Transformatio modi ascendentis. ibidem

Articulus Secundus.

Quod Transformatio modi ascendentis habeat ordinariè relapsum à spiritu diuino. 432

Articulus Tertius.

Quod modus Transformationis ascendentis, magis sit perfectus, quam modus descendentis. 433

Articulus Quartus.

Quod vicissitudo descendentis, & ascendentis Transformationis in hac vita sit sufficiens ad maiorem radicationem in charitate. 334

SEPTIMVS STATVS MYSticus est Sanctorum Ecclesiæ militantis.

DECISIO NONA. 436

Articulus Primus.

Vt nemo facilè sibi ipsi vel alteri persuadeat gratiam Sanctorum. 437

Articulus Secundus.

De Sanctorum viatorum mysticis statibus, operationibus, methodo, ac ordine. 438

Articulus Tertius.

Quod sancti viatores experti sint rigidas illas spiritus & animæ priuationes. 439

Articulus Quartus.

Quod in sanctis huius vitæ mystici raptus, ecstases, visiones, miracula, & similes gratiæ gratis datæ, non imitandæ; sed reuerendæ sint. ibidem

Articulus Quintus.

An aliqui Sanctorum in hac vita clarè viderint essentiam Dei. 440

STATVS SANCTORVM claræ visionis seu Ecclesiæ Triumphantis.

DECISIO DECIMA. 441

Articulus Primus.

In cœlo videbimus clara visione diuinam essentiam, eamq; perfecte diligemus, alius tamen alio perfectius. ibidem

Articulus Secundus & vltimus.

Oratio concludens. 442

ERRATA TYPOGRAPHICA MAIORA

Sic corrige.

PAgina 12. columna 2. linea 9. pro quæ lege quas pag. 14. col. 1. l. 19. pro desiderium lege desideria ibid. col. 2. l. 10. pro statu l. in statu p. 21. col. 1. l. 4. pro aliquot leg. aliquod pag. 23. col. 1. l. 8. pro moderatione leg meditatione pag. 24. col. 1. l. 10. pro ditecta leg. directa pag. 43. col. 2. l. 11. à fine leg. aut magnif. pag. ibid. l. 18. pro fa leg. se pag. 44. col. 1. l. 17. pro diffluant leg. diffluunt pag. 47. col. 1. l. 13. pro concretam leg. concreatam pag. 48. col. 1. l. 5. à fine pro atteſtatur leg. attentatur pag. 54. col. 2. l. 7. à fine pro cater leg. carere pag. 60 col. 2. l. 9 à fine conturbunt leg. conturbent p. 67. c. 2. l. 9. à fine pro procedant l. procedunt pag. 71. c. 2 l. 11. à fine leg. ad diuinit. pag. 73. §. itaque l. 15. diuinam leg. diuinum pag. 75. c. 2. §. à fine l. quod puta pag 79. c. 1. l. 16 pro aliquem l. aliquam. p. 81. c. 2. l. 5. pro quo l. quæ p. 84 c 1. l 21. pro intellecta l intellectu p. 95. c. 1. l. 24. pro momo l. modo p. 98. c. 1 l. 3. à fine l. velit Deus p. 100. c. 2. l. vlt. pro vero l. verè p. 109. c 2. l. 4. à fine pro malitia l. militia p. 128. c. 2. l. 12. à fine pro se l. de p. 134. c. 1. l. 1. pro voto l. toto p. 143. art. 8. l. 2 pro moriemur l moreremur pag. 217. ante par. per vnionem adde spititus p. 269. c. 1. l. 20. pro proportionatum leg. proportionatam p. 305. c 2. l. 20 pro tristia l. tristitia p. 318. c. 1. l. 7. pro coure l. counire p 321. c. 2. §. itaque l. 3. pro maxime l. maximæ p 337. c. 1. l 14. in quilibet l. in quolibet p. 359. c. 1. l. 7. particulo l. particulæ.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

GELEN.

Theologia
Mystica

Th
2659